MELASTOMACEARUM

QUÆ IN MUSÆO PARISIENSI CONTINENTUR

MONOGRAPHICÆ DESCRIPTIONIS

ET SECUNDUM AFFINITATES DISTRIBUTIONIS

TENTAMEN.

IMPRIMERIE DE L. MARTINET,
RUE MIGNON, 2.

MELASTOMACEARUM

QUÆ IN MUSÆO PARISIENSI CONTINENTUR

MONOGRAPHICÆ DESCRIPTIONIS

ET SECUNDUM AFFINITATES DISTRIBUTIONIS

TENTAMEN

Auctore CAROLO NAUDIN.

EXCERPTUM E COLLECTANEIS QUÆ INSCRIBUNTUR
Annales des sciences naturelles (tom. XII—XVIII).

PARISIIS,
APUD VICTOR MASSON,
PLACE DE L'ÉCOLE-DE-MÉDECINE, 17.
1849—1853.

EXTRAIT DES **ANNALES DES SCIENCES NATURELLES**, TOME XII,
OCTOBRE 1849.

MELASTOMACEARUM

QUÆ IN MUSÆO PARISIENSI CONTINENTUR

MONOGRAPHICÆ DESCRIPTIONIS

ET SECUNDUM AFFINITATES DISTRIBUTIONIS

TENTAMEN.

Auctore **CAROLO NAUDIN**.

BENEVOLO LECTORI.

Quum primum quinque abhinc annis pauca Melastomaceis additamenta in lucem edidi, non erat in animo vastissimi ordinis totum orbem percurrere sed eas tantum species e Brasilia a clar. Hilario relatas describere. Postquam vero quidquid de Melastomaceis ad hunc usque diem scriptum fuerat lustravi, cito mihi innotuit non tam additamentis, quam omnium partium emendatione et quasi absoluta renovatione opus imperfectum egere. Tanti autem laboris quo solertiorum ingenium dudum exercebatur difficultatibus absterritum me fuisse fateor et mihi quamquam permultæ species analysi subjectæ fuerant, onus validioribus humeris relinquendum decreveram, quum me ad dubium certamen

acerba fortuna reluctantem revocavit. Diis enim placuit ut dira auditus jactura afflictarer, quæ me ab humano commercio segregatum jam fere biennium detinet. Quæ ergo oblectamenta, quod solamen nisi in studiis et improbo labore supererant?

Melastomacearum speciebus describendis ordinandisque plurimi auctores a Linnæanis Donæanisque diebus operam navaverunt, soli Candollæo contigit ut, totam familiam complectens, tribuum rudimenta exhiberet; cujus opus pro tempore sane laudandum, nimio tamen absolutum impetu, revisionem poscebat. Post hunc, celeberrimi Martius et Chamissoes, quos artis describendi magistros Germaniæ Gallia invidet, stirpes brasilianas legentes, materiem incudi redditam iterum et belle quidem tractaverunt, ita ut nullius Melastomatographi opus suo æquiparandum dicam. Maxima quoque laus Blumio debetur qui primus Candollæanarum tribuum tenuitatis conscius, novas proposuit, de speciebus indicis et javanicis scite disserens. Quos secundum, in Britannia Lindleyius, Hookerius Bennetiusque; in Gallia Richardius; in Germania Korthalsius et Schlechtendalius pluresque alii, Melastomacearum condendo systemati ingenii opem contulere; imo inter hujusce ætatis rei herbariæ indagatores, vix ullus fuit qui ædificio, varia fortuna militans, lapillum suum non præberet; quorum operam hic indigitandi nec locus nec otium est.

Tot et in tam diversas partes membra disjecta ut in unum corpus coalescerent molimen suscepi; quem si exitum non assecutus fuero, nullum saltem temeritatis dedecus patiar. Mihi, spero, laboris immensitatem et ipsa auctorum fœcundidate in dies crescentem confusionem excusationi habebunt botanici.

Nunc de operis conformatione et consilio pauca dicam. Solas species, uti titulus indicat, quæ Musæi Parisiensis penes sunt, describendas habere volui ut, si propter descriptionis defectum aut errores quos parum caverit humana natura, in animo lectoris dubium remaneret, ad typum ipsum loco certo asservatum semper recurrere liceret. Facile quidem, si libuisset privatis aut externis herbariis uti, species novas numero adjunxissem, quas negligere malui quam vagantes aut difficile reperiendas in medium ferre. Nec cæterum tanti habui longam specierum gene-

rumque novorum seriem producere, quanti generum ipsorum accuratiorem circumscriptionem delineare et in tribus naturæ magis congruentes sibi convenientes formas consociare.

Ne tamen objiciatur me systema e paucioribus speciebus composuisse, id botanicos monitos volo, nempe Musæi Parisiensis herbarium, saltem quoad Melastomaceas, his quindecim annis mirum in modum locupletatum fuisse, quod satis ista opella patebit, adeo ut nullum ditius in tota Europa crederem. Præter plantas Bonplandianas quæ jam senuerunt, innumera fere specimina a viatoribus tum Gallis quum advenis qui in illo augendo inter se colluctati sunt recepit. Plurima quoque e Musæis Europæ, præsertim Berolinensi, Monacensi et Lugduno-Batavo liberaliter communicata fuere, alia ex herbariis privatis impetrata, quasi ex universo orbe allecta Melastomata, in hocce unum punctum coivissent.

Tantum abest ut me opus perfectum absolvisse existimem. Id, si unquam dabitur, futuris botanicis tantum continget, quando Melastomacearum formæ omnes aut saltem maxima pars innotuerint. Supersunt enim permultæ in naturæ penetralibus latitantes quæ quum in lucem venerint, totam fortasse operis dispositionem mutare cogent; nec eas quidem triente pauciores arbitror.

Ut dignum tamen botanicis videretur istud opusculum nihil neglexi. Nullam præterivi speciem quin prius analysi accuratæ et, ut ita dicam, anxiæ subjecerim cujusque indolem lineari adumbratione, in herbario suam juxta quaque plantam servata, depinxerim. Quoad vero species quæ nobis non suppeditabant, eas quantum ex descriptionibus agnoscere datum est, suo loco retuli et ad calcem cujusque generis nostris addendas indicavi.

Et nunc liceat quibus debentur grates persolvere. Hoc si monographicum tentamen incœpi, si ad exitum adduxi, clarissimis Musæi administratoribus, imprimis autem illustri Brongniartio nostro debeo, qui mihi benigne celebris hujus institutionis fores reserari voluit. Qui me consiliis adjuvarunt aut species novas Musæo, me reposcente, largiti sunt, hic pariter gratiarum actiones accipiant.

Dabam Parisiis Kal. decembris MDCCCXLIX.

MELASTOMACEÆ.

Melastomacearum ordo, in quinque subordines dividitur quorum characteres mox privatim sistemus; in universum desumptus his notis agnoscetur :

Plantæ herbaceæ, frutescentes, rarius arboreæ aut scandentes et pseudo-parasiticæ, sæpius opposite ramosæ. Folia simplicia exstipulata fere semper opposita, nervis primariis sæpissime apicem versus convergentibus. Inflorescentia varia, ut plurimum ramorum dispositionem dichotomam, rarius alterni rami abortu typum scorpioideum, exhibens. Flores tri-polymeri, regulares, hermaphroditi, rarissime abortu unisexuales. Calyx gamosepalus, limbo simplici aut duplici, integro aut in dentes diviso. Corolla polypetala, rarissime monopetala aut nulla, calycis fauci inserta. Stamina perigyna, ante explicationem floris inflexa, petalorum numero sæpissime dupla et alternatim inter se inæqualia, iis rarius numero æqualia, rarissime subindefinita. Antheræ nunquam sessiles nec contortæ, poro vel poris apicalibus aut rimis longitudinalibus dehiscentes, connectivo infra loculos sæpissime producto et varie appendiculato. Ovarium nonnumquam prorsus liberum, sæpius partim vel ad apicem usque calycino tubo, seu toto ambitu seu costis septiformibus antheras in præfloratione inflexas circumdantibus adhærens, uni-multiloculare, polyspermum. Stylus simplex, sæpius filiformis, stigmate punctiformi aut capitellato, rarissime in lobos breves diviso. Placentæ e columna centrali rarius e fundo loculorum ortæ, aut manifeste parietales. Ovula in placentis sessilia, iis raro funiculo brevissimo mediante affixa. Fructus capsularis aut baccatus, calyce vel calycis tubo persistente semper vestitus, uni-multi-locularis polyspermus aut rarius monospermus, varie dehiscens. Semina anatropa aut semi-anatropa exalbuminosa, testa membranacea inclusa, raphem lateralem sæpe monstrantia. Embryo semini conformis, cotyledonibus sibi invicem applicatis, rarius convolutis et embryonis corpus involventibus.

Distributio geographica.

Melastomaceæ in universum zonam intertropicam utriusque orbis incolunt, rarissime Cancri aut Capricorni limites transgredientes. Quæ in veteri frigoris magis patientes sunt, in Asia ad 30um imo et 35um lineam borealem, in Africa australi ad 34^{am} lineam meridionalem usque recurrunt; novi continentis in hemisphærio septentrionali quædam paulo audaciores ad 40um gradum perveniunt, in meridionali, ultra 30um forsan nullæ adhucdum repertæ.

Nec omnibus locis Melastomacearum pariter ferax zona fervida est. Earum copiosissimum agmen e solo irriguo Americæ æquinoctialis insularumque vicinarum gignitur. Maxima quoque caterva Asiæ orientalis regiones calidiores insulasque Oceaniæ occupat; e Nova-Hollandia vero vix non exulantur. Africæ Melastomaceis noverca tellus nonnullas in ambitu meridionali a Zanzibaria ad Senegaliam alit, cæteris partibus prorsus inhospita. Plures in umbrosis vallibus Madagascariæ vigent.

Subordinum hæc est distributio : Melastomeæ amphigeæ sunt; Kibessieæ et Astronieæ Indiam et insulas Oceaniæ tenent; Memecyleæ ab Africæ ora occidentali ad Indiam exspatiantur; Mouririeæ solius Americæ meridionalis sunt incolæ.

Species angustis limitibus ut plurimum inclusæ, raro plurimos gradus latitudinis aut longitudinis explent. Nulla novo et veteri continenti, imo nullum genus commune est; suas proprias stirpes terra quævis alit.

Ordinis subdivisio, tab. X.

Melastomaceæ quantum nobis innotescunt, in quinque subordines dividuntur quorum characteres sic sistimus.

I. Melastomeæ. Calycis limbus simplex aut duplicatus. Stamina sæpissime inter se inæqualia, id est quæ cum petalis alternant majora, cætera minora interdumque sterilia, imo sed rarius omnino obsoleta et nulla. Antheræ apice 1-2 rarius 4-porosæ, rarissime rima unica aut duplici longitudinali dehiscentes; con-

nectivo infra loculos sæpe antice aut postice producto et appendicibus varie conflatis ornato. Ovarium liberum vel adhærens, 2-15-loculare; loculis polyspermis; stigmate nunquam diviso. Fructus capsularis in valvas dehiscens, aut baccatus. Semina minuta, varie fabricata, sæpius reniformia, cochleata aut irregulariter pyramidata.

Herbæ, suffrutices, frutices, rarius arbusculæ aut arbores mediocris staturæ, totius orbis zonam intertropicam incolentes; foliis in eodem jugo nonnunquam disparibus et heteromorphis, rarissime abortu alternis, nervis primariis convergentibus, rarissime subdivergentibus, interdum glandulis oleo essentiali refertis vel punctis resinosis conspersis aut etiam visco madentibus; floribus 3-10-*meris, roseis, purpureis violaceisque, quandoque albis aut luteis, nunquam autem vere cæruleis.*

II. Astronieæ. Flores abortu interdum unisexuales. Calycis limbus simplex. Antheræ longitudinaliter birimosæ; connectivo infra loculos nunquam producto, postice nonnihil incrassato aut tuberculato. Ovarium ad apicem usque toto ambitu adhærens, subdepressum, 2-5-loculare; loculis polyspermis; placentis e columna centrali aut fundo loculorum ortis; stigmate capitellato aut peltato, in lobos nunquam diviso. Fructus capsularis (an etiam subbaccatus?), irregulariter ruptilis (an semper?), nervos calycinos soluto parenchymate liberatos exsiccatos et persistentes relinquens. Semina angulata, oblonga.

Arbusculæ aut arbores archipelagi Indici nonnullarumque Oceaniæ insularum indigenæ; foliis petiolatis, integerrimis, nervis primariis convergentibus; floribus 5-*meris* (*an semper?*), *albis, roseis aut purpurascentibus.*

III. Kibessieæ. Calycis limbus simplex. Antheræ birimosæ; connectivo infra loculos nunquam producto, postice sæpe tuberculato. Ovarium depressum, ad apicem usque toto ambitu adhærens, 4-loculare; loculis polyspermis; placentis parietalibus aut e fundo loculorum ad basim columellæ ortis; stigmate clavato breviter 4-8-lobo interdumque 4-fido. Fructus ignotus.

Arbusculæ et arbores in archipelago Indico et Moluccis obviæ; foliis integerrimis, nervis primariis convergentibus; floribus ad nodos fasciculatis aut solitariis, cœruleis.

IV. Memecyleæ. Cacylis limbus simplex. Antheræ birimosæ, connectivo postice in appendicem conicam porrecto. Ovarium toto ambitu adhærens, 1-loculare. Ovula 4-10, columnam centralem cui funiculo brevissimo affixa sunt circumdantia. Stigma punctiforme, indivisum. Fructus baccatus? monospermus (an semper?). Semen magnum, ovoideum, embryonem cotyledonibus valde accretis involutum continens.

Frutices et arbores a Senegalia et capite Bonæ-Spei ad Asiam tropicam insulasque Indiæ vicinas recurrentes; foliis petiolatis aut sessilibus, integerrimis, glaberrimis, sæpe coriaceis, 1-3-*nerviis; floribus parvis, ad nodos ramulorum fasciculatis, rarius paniculatim terminalibus, cœruleis aut violaceo-cœruleis.*

V. Mouririeæ. Calycis limbus simplex. Antheræ paulo infra apicem rimulis duabus brevibus sublateralibus interdumque poris duobus apicalibus dehiscentes; connectivo postice incrassato aut in appendicem conicam porrecto. Ovarium ad apicem usque et toto ambitu adhærens, 2-3-4-loculare; loculis oligospermis; ovulis placentis brevibus centralibus affixis; stigmate acuto vel punctiformi, indiviso. Fructus baccatus, 2-4-spermus.

Frutices, arbusculæ et arbores Americæ meridionalis incolæ: foliis integerrimis, glaberrimis, nonnunquam subcoriaceis, 1-*nerviis aut penninerviis; floribus ad nodos ramorum fasciculatis. luteis aut albis.*

Oliniæ, Myrrhinii et Fenzliæ genera ab Endlicherio Melastomaceis consociata ex ordine demum excluduntur. *Olinia* sibi propriæ familiæ honorem vindicat; *Myrrhinium* et *Fenzlia* ad Myrtaceas redeunt.

Subordo I. — MELASTOMEÆ.

Melastomeæ, totius ordinis et caput et corpus, genera numerosissima includunt quæ non unicam seriem, uti hucusque creditum

est, constituunt, sed in duas præcipuas parallele vergentes dispescuntur, quarum membra in utroque orbe diversa sibi invicem respondent. Has in tribus magis minusve naturales, a Candollæanis ut plurimum diversas, dividimus.

Tribus Iª. — MICROLICIALES.

Calycis limbus simplex, in dentes divisus. Stamina sæpissime alternatim inæqualia. Antheræ oblongo-ovoideæ aut ovoideæ, rostro aut rostello oblique 1-poroso terminatæ, rarius simpliciter subulatæ; connectivo infra loculos sæpius producto et ad insertionem filamenti bilobo aut in appendicem simplicem vel bifidam antice porrecto, postice prorsus exappendiculato. Fructus capsularis. Semina irregulariter reniformia aut pyramidata, nunquam vere cochleata. Genera omnia Americana.

Conspectus generum :

a. *Antheris longe rostratis.* . . .	Meissneria. Siphanthera. Rhynchanthera.
b. *Antheris rostellatis aut subulatis.*	Stenodon. Lavoisiera. Chætostoma. Microlicia. Trembleya. Centradenia.

I. *MEISSNERIA.*

Meissneria, DC. *Prod.*, III, 114. — Mart., *Nov. gen. et spec.*, III, 118. — Endlich., *Gen. plant.*, n°6187.

Flos 4-merus. Calycis campanulati dentes triangulari-acuti persistentes. Petala obovata, obtusa aut acuta. Stamina 8, alternatim inæqualia; 4 majora fertilia, 4 minora efœta; omnium antheris oblongo-ovoideis, apice in rostrum 1-porosum abeuntibus, connectivo infra loculos nullo aut vix manifesto. Ovarium liberum 2-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula calyce

vestita, subglobosa, loculicide 2-valvis. Semina irregulariter ovoidea et subreniformia non autem cochleata.

Herbæ et fruticuli austro-americani erecti pauciramosi hirsuti microphylli micranthi; foliis sessilibus; floribus rubris aut purpureis.

1. Meissneria microlicioides †, tab. XI.

M. fruticulosa erecta simplex vel parum ramosa, tota corollis genitalibusque exceptis hirtella; foliis sessilibus cordiformi-ovatis integerrimis 1-nerviis, marginibus revolutis ideoque primo aspectu triangularibus; floribus pedicellatis ad apices caulis et ramulorum aggregatis, subpaniculatis, purpurascentibus aut purpureis.

Fruticulus sesqui-tridecimetralis, habitu Microlicias plures referens. Folia 5-8 millim. longa, explicata fere totidem millim. lata, marginibus autem reflexis 1-3 millim tantum lata videntur. Calycis dentes acuti purpurei. Petala circiter 3 millim. longa fere obovata, subacuminata, acuta. Antherarum connectivum infra loculos minime productum. — In Guyana Anglica prope *Roraima;* Schomburgk.

2. Meissneria arenaria DC., *Prod.*, III, p. 114. — Mart., *loc. cit.*, 118, tab. 258, fig. 1.

M. herbacea annua? basi suffruticulosa multicaulis; caulibus subsimplicibus ferrugineo-hirsutis; foliis late ovatis breviter acuminatis serrulatis, vix conspicue 1-nerviis, setuloso-hirtis; floribus ad apices ramulorum paniculatim dispositorum alaribus axillaribus terminalibusque, purpureis; calycibus purpurascentibus, hirsutis.

Plantula 1-2 rarius 3-decimetralis, caulibus gracilibus pennæ passerinæ crassitiem vix superantibus. Folia circiter 5-8 millim. longa et lata, internodiis subæqualia. Petala subobtusa vel obtusa? 3-4 millim. longa et lata. Antherarum connectivum infra loculos non omnino nullum sed vix conspicuum. — In locis arenosis siccioribus et apricis Brasiliæ meridionalis; Claussen, Vauthier, Martius.

3. Meissneria cordifolia Benth., *in Hook. Journ. of bot.*, II, 299.

M. subherbacea, basi suffruticulosa perennans? erecta multicaulis, tota, petalis genitalibusque exceptis, hirsutissima; foliis late cordiformi-ovatis acutis serrulatis 1-nerviis; floribus ad apices ramulorum brevissimorum fere in spicam terminalem dispositorum terminalibus, ut plurimum ternis, purpureis.

Planta *M. arenariæ* simillima nec forsan ab ea segreganda. Hanc uti speciem distinctam ex auctoritate Benthamii descripsimus.— In Guyana Britannica; Schomburgk.

Species addenda:

4. M. paludosa DC., *loc. cit.* — Mart., *loc. cit.*, 119, tab. 258, fig. II.

II. *SIPHANTHERA.*

Siphanthera Pohl, *inédit.* — DC., *loc. cit.*, 121. — End., *Gen. plant.*, n° 6188.

Flos 4-merus. Calycis dentes triangulari-acuti, tubum campanulatum æquantes, persistentes. Petala obovato-rotundata, breviter unguiculata (saltem in *S. cordata*). Stamina 4 fertilia, cum petalis alternantia, antheris oblongo ovatis, rostro gracili 1-poroso terminatis, connectivo infra loculos brevissime producto et bitesticulato; 4-obsoleta inconspicua vel nulla. Ovarium ovoideum liberum 2-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula loculicide bivalvis. Semina ovoideo-reniformia, minuta.

Herbæ basi interdum suffrutescentes annuæ microphyllæ micranthæ, caulibus erectis, foliis breviter petiolatis aut sessilibus ovatis, non autem penninerviis (ut aït Candolleus), *floribus roseis aut purpureis.*

1. Siphanthera cordata Pohl., *Pl. Bras. Icon.*, tab. 84. — DC. *Prod.*, III, p. 121.—Chamisso *Linn.*, IX, 401.

S. herbacea inferne suffrutescens, tota, corollis genitalibusque exceptis, glanduloso-pubescens; caulibus subsimplicibus; foliis

sessilibus aut breviter petiolatis late ovatis acutis, basi non nunquam subcordatis crenulatis 3-nerviis; floribus ad apices caulis ramulorumque brevium axillarium glomeratis spicam interruptam mentientibus, purpureis.

Planta 3-4 decim. alta, caule caulibusve gracilibus pennam columbinam crassitie vix æquantibus, facie et habitu *Origanum vulgare* referens. Folia 5-8 millim. longa et lata, internodiis ut plurimum breviora, petiolo 1-2 millimetrali aut nullo. Calycis dentes sæpe purpurascentes. Petala 2-3 millim. longa et lata. Antheræ purpurascentes, rostro albo gracili loculos ipsos longitudine subæquante. — In permultis locis Brasiliæ australis; Gaudichaud, Guillemin, Claussen, Sellow, Lhotzky,

Species forsan addendæ :

2. ? S. SUBTILIS Pohl., *loc. cit.*, tab. 85, fig. I.

3. ? S. TENERA Pohl., *loc. cit.*, tab. 85, fig. II.

III. *RHYNCHANTHERA.*

RHYNCHANTHERA DC., *Prod.*, III, 106. — Mart., *Nov. gen. et spec.*, III, 120. — Cham., *Linn.*, IX, 377. — Endlich., *Gen.*, n° 6183. — RHEXIÆ species, Bonpl., *Rhex.*, tab. 11.

Flos 5-merus. Calycis limbus plus minus profunde divisus. Petala obovata. Stamina 5 fertilia cum petalis alternantia, inter se subæqualia æqualiave vel sæpius omnino monodynama, antheris rostro gracili uniporoso terminatis, connectivo infra loculos producto arcuato et ad insertionem filamenti nonnunquam antice tuberculato; 5 petalis opposita, abortiva, in filamentum vix perspicuum quasi mutata. Ovarium liberum, 3-4-5-loculare. Stylus declinatus, filiformis, stigmate punctiformi. Capsula apice loculicide 3-4-5-valvis. Semina irregulariter pyramidata, oblonga vel ovata, hilo apicali.

Herbæ, sæpius suffrutices utriusque Americæ incolæ, plerumque metrales; foliis cordiformibus ovatis aut oblongis, rarius linearibus; floribus purpureis, varie paniculatis. Dividuntur in sectiones sequentes :

A. Anisostemones vel monodynamæ.

B. Isostemones.

A. ANISOSTEMONES; stamine uno cæteris fertilibus ferme duplo vel saltem multo majore.

†. *Antherarum rostrum brevissimum, obtusum.*

1. RHYNCHANTHERA BRACHYRHYNCHA Chamisso, *Linn.*, IX, n. 378.

R. subherbacea erecta simplex hirtella; foliis ovatis serrulatis sessilibus; floribus pro genere parvis, paniculatis; stamine monodynamo cæteris non duplo majore.
In Brasilia australi; Sellow.

††. *Antherarum rostrum gracile, loculos longitudine subæquans interdumque superans, antice sæpe inflexum, oblique porosum.*

2. RHYNCHANTHERA GARDNERI.

R. fruticulosa tota molliter hirsuta; foliis sessilibus, late ovato-cordiformibus, acuminatis, tenuissime serrulatis, 3-5-nerviis, villosis; floribus ad apices ramorum axillaribus, paucis, intense purpureis.

Folia 1-3 centim. longa, 1-1 ½ lata. Calycis divisuræ setaceæ, acutæ, tubum urceolatum æquantes. Stamen monodynamum cæteris tertia vel quarta tantum parte majus. Capsula 3-locularis. — In Brasiliæ provincia *Goyaz;* Gardner, Aug. de Saint-Hilaire.

3. RHYNCHANTHERA URSINA †.

R. suffruticosa erecta ramosa foliosa sericeo-villosa; foliis brevissime petiolatis late cordiformibus acuminatis, vix conspicue serrulatis, 7-nerviis; floribus magnis, in thyrsum terminalem confertiflorum dispositis, intense purpureis.

Suffrutex forsan metralis. Folia 3-4 centim. longa et lata. Petala ferme 2 centim. longa. Stamen monodynamum cæteris ferme triente majus. Capsula 3-locularis. — In Brasilia provincia *Minas-Geraes;* Claussen.

4. RHYNCHANTHERA SECUNDIFLORA †.

R. fruticulosa ramosa hispidula; foliis petiolatis ovatis acutis, tenuiter ciliato-serrulatis, parce pilosis, 3-5-nerviis; ramis

secundifloris; floribus in axilla foliorum solitariis, subsessilibus.

Folia inferiora 3-5 centim. longa, ramorum floriferorum vix sesquicentimetralia et lanceolata. Flores majusculi in quovis jugo foliorum solitarii. Stamen monodynamum cæteris duplo majus, connectivo infra loculos complanato et dilatato. — In regione Americæ australioris vulgo *Paraguay* a clar. Weddell lecta.

5. Rhynchanthera collina †.

R. suffruticosa hirtella; foliis petiolatis majusculis cordiformi-ovatis breviter acuminatis serrulatis 5-7-9-nerviis; panicula magna laxiflora foliosa; floribus subsessilibus solitariis purpureis.

Folia inferiora 6-8 centim. longa, 4-6-lata, superiora multo minora. Flores in dichotomiis et in axillis foliorum superiorum solitarii, distantes. Calyx hispidulus, dentibus subulatis tubo paulo brevioribus. Petala ferme 2 centim. longa, obovata acutiuscula ciliata. Stamen monodynanum cæteris non omnino duplo majus. Capsula 3-valvis. — In Bolivia prope urbem *Concepcion de Chiquitos*, locis humidis; D'Orbigny.

6. Rhynchanthera ovalifolia †.

R. suffruticosa erecta simplex hirsuta; foliis petiolatis ovatis basi cordatis acuminatis, argute ciliato-serrulatis, 7-9-nerviis; floribus ad apices ramulorum paniculæ terminalis subternis, foliolis aliquot quasi suffultis.

Folia circiter 5 centim. longa, 2 $\frac{1}{2}$ — lata. Calyx hirsutissimus, dentibus subulatis tubum æquantibus. Petala sesquicenti-metralia obovata apiculata. Stamen monodynamum cæteris non omnino duplo majus. Capsula 3-valvis. — In Brasilia; loco nec collectore designatis.

7. Rhynchanthera simplicicaulis †.

R. subherbacea annua? simplicissima erecta; caule hirtello; foliis petiolatis ovatis basi cordatis acuminatis ciliato-serrulatis 7-nerviis; floribus in ramulis paniculæ laxæ pauciflora secundis solitariis.

Caulis submetralis. Folia 5-6 centim. longa, 2-4 lata; floralia lanceo lato-ovata, vix 1 centim. longa. Flores subsessiles, in quovis jugo solita-

rii. Calycis dentes tubo breviores. Petala sesquicentimetralia obovata apiculata. Stamen monodynamum cæteris ferme duplo longius. Capsula 3-valvis. — In Brasilia ; ex herb. Mus. Lusit.

8. Rhynchanthera novemnervia DC., *Prodr.*, III, 107. — Martius, *Herb. Flor. Bras.*, n° 282.

R. suffruticosa ramosa hirtella ; foliis petiolatis ovatis acutis 9-nerviis.

Specimen nostrum a clar. Martio communicatum suprema pars est rami foliis fere destituti sed floriferi. Paniculæ ramuli secundiflori. Flores in quovis jugo foliorum solitarii subsessiles. Petala obovata apice rotundata ? circiter 1 centim. longa. Stamen monodynamum cæteris subduplo majus. Capsula 3-valvis. Species incerta videtur. — In Brasilia, loco haud designato ; Martius.

9. Rhynchanthera monodynama DC. *l. c.* 107.

R. frutescens erecta ramosa ; caule ramisque setis patulis interdum rigidulis et subaculeiformibus hispidis ; foliis petiolatis late cordiformi-ovatis breviter acuminatis acutis crenato-serratis 5-7-nerviis sparse setulosis ; paniculis maximis terminalibus dichotome ramosis ; floribus alaribus axillaribus terminalibusque ; capsulis globosis.

Planta circiter metralis ramosa vel ramosissima, primo intuitu cum *R. cordata* confundenda, sed distincta caule ramoso et staminibus monodynamis. Folia 3-5 centim. longa, tantumdem lata, petiolo circiter centimetrali. Calycis dentes breves angusti , tubo campanulato paulo breviores. Petala sesquicentim. longa. Stamen monodynamum cæteris fertilibus fere duplo majus. Capsula 3-valvis. — In provincia *Minas-Geraes ;* Martius, Vauthier, Claussen.

10. Rhynchanthera Matthæi †.

R. frutescens vel fruticosa ramosa ; ramis hirtellis obsolete tetragonis subteretibusve ; foliis brevissime petiolatis ovato-oblongis lanceolatisque acutis basi non cordatis serrulatis 5-7-nerviis sparse setulosis ; ramulis ad apices ramulorum axillarium in paniculas terminales digestorum terminalibus, ut plurimum ternis, bracteis lanceolatis suffultis.

Summitatem rami folia suprema tantum exhibentis habemus. Folia

5-7 centim. longa, 1 ½—2 lata, petiolo vix 4-5-millimetrali. Calycis dentes angusti setacei hirti tubum oblongum nonnihilque urceolatum subæquantes. Petala obovata, sesquicentimetrum circiter longa. Stamen monodynamum cæteris fertilibus subduplo majus. Capsula 3-locularis.—Species distincta sed foliis elongatis et habitu ad sequentem accedit. — In Peruvia; Mathews. Species a clarissimo Hooker communicata.

11. RHYNCHANTHERA LIMOSA, DC. *l. c.*, 108.

R. fruticosa ramosa tota, corollis genitalibusque exceptis, hirtella; ramis obsolete 4-gonis; foliis petiolatis elliptico-lanceolatis breviter acuminatis acutis serrulatis 5-nerviis; floribus majusculis, ad apices ramulorum paniculatim dispositorum terminalibus, ut plurimum ternis, breviter pedicellatis.

Frutex submetralis et forsan vegetior. Folia 7-10 centim. longa, 1-2 lata, petiolo semicentimetrum et quod excedit longo. Calycis dentes angusti setacei tubum oblongum longitudine superantes. Petala obovata obtusa, 2 centim. circiter longa. Bracteolæ flores fulcrantes anguste lanceolatæ acuminatæ. Capsulæ 4-gonæ, 4-valves.

Var. β *depauperata* priori similis sed debilior et capsula 3-valvi. Forsan species distincta.

In provincia *Minas-Geraes* Brasiliæ australis; Claussen.

12. RHYNCHANTHERA AMBIGUA †.

R. suffruticosa fruticosave erecta simplex? villoso-hirsuta; foliis petiolatis late ovatis basi non aut vix subcordatis subacuminatis acutis serrulatis utrinque villosis 7-9-nerviis; floribus ad apices ramulorum paniculæ solitariis-ternis, bracteis lanceolatis acuminatis suffultis.

Folia 5-6 centim. longa, 3-4 lata. Stamen unum cæteris multo majus (ut visum est ex alabastro). Capsula 4-valvis, rarius 3-valvis. Descriptio ex specimine unico et incompleto, sed species videtur distinctissima. Forsan affinis *R. grandifloræ*. — In Guyana Anglica; Schomburgk.

13. RHYNCHANTHERA INSIGNIS †.

R. suffruticosa vel frutescens ramosa macrophylla macrantha; caule ramisque puberulis; foliis petiolatis lanceolato-ovatis basi rotundatis aut vix subcordatis longe acuminatis acutis

serrulatis 7-9-nerviis; floribus ad apices ramulorum paniculæ ternis quinisve purpureis, bracteolis lanceolato-linearibus acutissimis fultis.

Folia absque petiolo 8-14 centim. longa, 4—4 ½ lata; suprema minora sed acutiora. Calycis dentes lineares, tubum æquantes. Petala obovata acutiuscula, 3 centim. longa, 2 lata. Stamen monodynamum cæteris non omnino duplo majus. Capsula 3-valvis. Species non confundenda cum *R. Mexicana* DC. quæ est isostemon. — In Republica Mexicana, Galeotti; et prope *Panama*, Seemann.

14. Rhynchanthera grandiflora DC., *l. c.* 107.

R. frutescens dichotome ramosa submacrophylla polyantha; ramis subteretibus hirtis interdumque hispidulis; foliis longiuscule petiolatis cordiformi-ovatis breviter acuminatis serrulatis 7-9-nerviis, pagina utraque setulosis; panicula dichotome ramosa corymbiformi; floribus alaribus terminalibusque breviter pedicellatis.

Planta florum numero et magnitudine decora, forsan metralis. Folia 6-10 centim. longa 3-4 lata, petiolo 2-3-centimetrali. Panicula foliolis minutis foliorum formam retinentibus intermixta. Calycis dentes angusti subsetacei tubum oblongum paulo superantes. Petala obovata, circiter 1 ½ centim. longa. Stamen monodynamum cæteris fertilibus fere duplo majus. Capsula 3-locularis.— In Guyana Gallica et Anglica sat frequens; Schomburgk, Mélinon, Bonpland, Leprieur; nec non in republica Novo-Granatensi; Goudot.

Var. β *microphylla* foliis 2-3 centim. longis vix 2 latis, panicula quam in var. α magis foliosa minus autem floribunda. Habitu quoque discrepat. An mera varietas?

In Guyana Batavica prope *Surinam;* Hostmann et Kappler.

15. Rhynchanthera intermedia †.

R. suffruticosa tota, petalis genitalibusque exceptis, hispida; foliis petiolatis ovato-cordiformibus breviter acuminatis ciliato-serrulatis 9 nerviis; floribus ad apices ramulorum alaribus terminalibusque læte purpureis.

Folia 5-7 centim. longa, ferme 4 lata. Petioli sesqui-bidecimetrales. Flores mediocres. Petala obovata, sesqui-centimetralia. Stamen mono-

dynamum cæteris fertilibus vix quarta parte majus. Capsulæ 3-valves. Planta habitu *R. grandifloræ* primo aspectu affinis, sed pilis hispidis et præsertim characteribus floris qui eam intermediam faciunt inter anisostemones et isostemones distincta. — In Brasilia centrali prope *Salinas;* Weddell.

B. Isostemones.

Scilicet staminibus 5 fertilibus inter se æqualibus aut vix conspicue inæqualibus.

16. Rhynchanthera Hookerii †.

R. suffruticosa pubescens; foliis petiolatis cordiformi-ovatis breviter acuminatis; floribus mediocribus breviter pedicellatis, in ramis paniculæ foliosæ alaribus terminalibusque.

Folia 6-9 centim. longa, 3 ½—4 lata, in nervis præsertim villosa. Petioli 1-1 ½-centimetrales, pilis rufescentibus. Calycis dentes subulati tubum æquantes. Petala obovata, circiter 1 centim. louga. Antheræ longe rostratæ, connectivo brevi. Capsulæ 3-valves. Videtur affinis *R. dichotomæ* DC. sed differt ovario 3-loculari nec 5-loculari ut constat ex descriptione. Vide Desr. in Lamk. *Dict.*, IV, p. 41. — In Peruvia prope *Mojobamba.* Communicata a clar. Hooker.

17. Rhynchanthera modesta †.

R. suffruticosa subherbaceave puberula; ramis subherbaceis 4-gonis inferne denudatis (an semper?); foliis supremis breviter petiolatis parvis mollibus lineari-oblongis interdumque omnino linearibus obtusis ciliato-serrulatis cæterum subglabris 3-nerviis; floribus pro genere parvis breviter pedicellatis, in ramis paniculæ laxæ axillaribus solitariis secundis.

Planta 3-5 decimetra alta. Folia suprema (quæ sola suppetebant in specimine nostro) 1-3 centim. longa, 4-6 millim. lata. Petala 8-10 millim. longa, obovata apiculata. Capsulæ 3-valves. Non est omnino isostemon. — In Guyana Anglica prope *Roraima;* Schomburgk.

18. Rhynchanthera hispida †.

R. fruticosa robusta ramosa floribunda tota, petalis genitalibusque exceptis, pilis longis rigidis hispida; foliis petiolatis ovatis basi cordatis serrulatis 7-9-nerviis; panicula magna terminali foliosa, ramis secundifloris; floribus brevissime pedicellatis plerumque axillaribus solitariis.

Frutex 2-3 metra altus. Caulis ramique primarii subteretes pilis patulis, uti petioli et nervi foliorum subtus, hispidi. Folia caulina 7-9 centim. longa, 5-6 lata; superiora minora; floralia subbracteiformia, vix 1 centim. longa, longe ciliata. Dentes calycini acuti tubum hispidulum æquantes, pilis longis pariter ciliati. Petala ferme sesquicentim. longa, læte purpurea. Antherarum rostrum loculis brevius. Capsula 3-valvis. — In Brasilia, ad ripas fluminis *Araguay* locis humidis; Weddell.

19. RHYNCHANTHERA WEDDELLII †.

R. suffruticosa ramosa fere omnino glabra; foliis petiolatis late ovatis basi subcordatis acutiusculis serratis 5-nerviis; paniculæ ramis tetragonis secundifloris; floribus breviter pedicellatis axillaribus solitariis læte purpureis.

Folia 2-3 centim longa, 1 ½—2 lata; petioli vix centimetrales, pilis aliquot glanduliferis ut et rami paniculæ et calyces sparsi. Petala circiter 1 centim. longa. Antheræ ferme ovatæ, longe rostratæ, non omnino æquales. Capsula 3-valvis. — In nemoribus humidis Brasiliæ australis, *Sertao d'Amaroleite*; Weddell.

20. RHYNCHANTHERA SERRULATA DC., *l. c.*, p. 108. — *Rhexia serrulata* Rich. in Humb. et Bonpl. *Rhex.*, tab. 28.

R. suffruticosa subherbaceave; foliis angustis linearibus aut lanceolato-linearibus serrulatis 3-nerviis; floribus ad apices ramorum terminalibus axillaribusque solitariis læte purpureis; stamine 1 cæteris fertilibus nonnihil majore; capsula 3-valvi.

Herba inferne suffrutescens erecta semimetralis aut paulo elatior, caule basi pennam anserinam æquante, ramis 4-gonis hirtellis. Folia longitudine et latitudine variabilia, ut plurimum 3-6 centim. longa, 2-6 millim. lata. Petala circiter centimetralia. — In Guyana Gallica, Leprieur; Brasilia australi, prope *Salinas* in campis paludosis, Weddell.

21. RHYNCHANTHERA PARVIFLORA †.

R. suffruticosa; ramis hirsutis; foliis breviter petiolatis ovato-oblongis acutis serratis 5-nerviis; ramis supremis secundifloris foliosis paniculatim dispositis; floribus subsessilibus axillaribus solitariis subparvis.

Folia pilosula, 5-6 centim. longa, 1 ½—2 lata. Petioli 2-4-millimetrales. Folia floralia obovata obtusa basi attenuata, vix sesquicentim. longa.

Calyces dense villosi. Petala obovata, 1 centim. circiter longa, apiculata. Stamina fertilia æqualia connectivo antice ad insertionem filamenti tuberculato. Capsula 3-locularis. affinis videtur *R. modestæ* florum dispositione et foliorum floralium forma, ideoque in posterum recognoscenda. — In Guyana Gallica; Leprieur.

22. Rhynchanthera Schrankiana DC., l. c., 107. — Mart., *Nov. gen.*, III, tab. 259. — Eadem (ex auctoritate Martii) ac *R. pentanthera* DC. — Non differt a *R. dichotoma* DC. et a *Melastomate dichotomo* Lamk., *Dict.*, IV, p. 107. — *Melastoma serrulatum* Spreng.

R. frutescens vel fruticosa ramosa floribunda ; foliis petiolatis ovatis acuminatis basi cordatis vel subcordatis serrulatis 5-7-nerviis sparse pilosis ; panicula magna ramosissima foliosa ; floribus alaribus et terminalibus ; capsulis 5-valvibus.

Species quoad magnitudinem et formam foliorum imo et habitum facile variabilis. Illius præcipui characteres in floribus isantheris et ovario 5-loculari resident. Folia nunc ovato-oblonga nunc cordiformi-ovata sunt, semper acuta et breviter acuminata, 5-6 centim. longa aut paulo majora, 1 $\frac{1}{2}$—3 lata, petiolo 5-15-millimetrali. Nec minus variat quoad pubem, specimina enim alia fere glabra reperiuntur alia hirsuta et rufescentia.

Var. β *quadrivalvis*, varietati α similis sed capsula 4-valvis est nec 5-valvis.

In permultis locis Brasiliæ tum australis quum septentrionalis ; Martius, Sellow, Dupré, Guillemin, Salzmann, Blanchet.

Species addendæ.

23. R. cordata DC. — Mart., *Nov. gen.*, III, t. 258.

24. R. Hænkeana DC. forsan eadem ac *R. Schrankiana ;* saltem dubia est.

25. R. Mexicana DC.

26. R. rostrata DC.

27. R. stachydimorpha DC.

28. R. salicifolia DC

29. R. verbenoides Cham., *Linn.*, IX, p. 379.

30. R. cordifolia Benth. in Hook., *Journ. of Bot.*, II, 209.

Species exclusæ :

R. Fothergillæ DC. — Lasiandra Fothergillæ Cham.
R. adenophora Miq. — Uranthera recurva Ndn.

Species deletæ :

R. pentanthera DC.
R. dichotoma DC.
Quæ ad unam *R. Schrankianam* reducuntur.

IV. *STENODON*, tab. XII.

Stenodon Ndn., *Ann. des sc. nat.*, 1844, p. 146. — Valpers, *Repertorium bot. syst.*, V, 698. — Lindl., *Veget. Kingd.*, 732. tab, 489.

Flos 6 merus, rarius 7-merus. Calycis dentes distantes, filiformes, tubum campanulatum longitudine æquantes. Petala obovata acuta. Stamina 12-14 æqualia subæqualiave conformia, antheris subulatis, rostro brevi oblique 1-poroso terminatis; connectivo infra loculos modice producto arcuato et ad insertionem filamenti antice bilobo. Ovarium liberum 4-loculare. Capsula globosa, apice loculicide 4-valvis. Semina ovato-reniformia.

Arbuscula brasiliensis retorta sesquimetralis; ramis crassis teretibus tomentoso villosis, ad apicem dense foliosis, inferne denudatis, glabratis, cortice rugoso suberoso tectis; floribus axillaribus sessilibus subsolitariis rubris.

Genus affine Lavoisieræ.

1. Stenodon suberosus Ndn., *l. c.*

In arenosis Brasiliæ australis, Aug. de Saint-Hilaire.

V. *LAVOISIERA.*

Lavoisiera DC., III, 102, excepta *L. Linifolia* quæ ad Microlicias revertitur. — Mart., *Nov. gen. et spec.*, III, 131. — Cham., *Linnæa*, IX, 369. — Endlich., *Gen, plant.*, n° 6172. — Ndn., *Ann. des sc. nat.*, mars 1845.

Flos 5-6 rarius 8-merus. Calycis limbus magis minusve profunde dentatus, persistens aut deciduus. Petala obovata vel obovato-cuneata, interdum inæquilatera, obtusissima aut apiculata, rarius retusa. Stamina petalorum numero dupla alternatim inæqualia, antheris ovoideis, ovoideo-oblongis, rarius cylindricis,

rostro brevi cochleariformi oblique 1-poroso terminatis, connectivo (saltem staminum majorum) infra loculos longe producto arcuato et ad insertionem filamenti incrassato-bilobo aut etiam antice in appendicem porrecto. Ovarium fere ad apicem usque adhærens, rarius subliberum, 4-5-6-8-loculare. Stylus sigmoideus, stigmate punctiformi. Capsula calyce vestita, in valvas tot quot sunt ovarii loculi sæpius a basi ad apicem, rarius ab apice ad basim dehiscens. Semina ovato-reniformia aut incurva.

Frutices fruticuli suffruticulive huc usque in Brasilia potissimum australi cogniti, erecti, sæpissime dichotome et fastigiatim ramosi, superne foliosi, inferne ut plurimum denudati, glabri et hirsuti; foliis sessilibus approximatis decussatis aut imbricatis; floribus subsessilibus ad apices ramorum solitariis terminalibus, raro axillaribus, purpureis violaceis roseis aut albis, rarissime flavis.

Genus satis naturale nisi ad habitum specierum et floris-partium numerum respiciatur, hinc Stenodonti illinc Microliciæ conterminum.

1. Lavoisiera pulcherrima DC., *l. c.*, p. 104.—Mart., *Nov. gen.*, III, tab. 272. — Ndn., *l. c.* — Per errorem *L. firmula* Mart., *Herb.*, 921.

L. fruticosa dichotome ramosa glaberrima macrantha: ramis teretibus, inferne denudatis articulatis, superne dense foliosis; foliis glaucescentibus semi-amplexicaulibus ovato-lanceolatis acutis integerrimis obsolete 3-nerviis aut multiveniis; floribus 8-meris pulchre violaceis.

Frutex 1-3 metra altus, speciosus. Folia internodiis decuplo longiora, 5 centim. longa, 1 ½ lata. Calycis campanulati dentes triangulari-acuti tubo 4-plo breviores. Petala obovato-oblonga vel potius cuneata apice obtusissima et quasi truncata, ferme 3 centim. longa, 1 ½ lata. Stamina parum inæqualia omnium connectivo longe producto et in insertione filamenti parum porrecto. Ovarium fere ad apicem usque adhærens 8-loculare. Calyx fructifer sub fauce constrictus urceolatus. Capsulæ globosæ demum alares. — In jugis et locis humidis montium provinciæ *Minas-Geraes;* Aug. de Saint-Hilaire, Claussen, Riedel, Martius.

2. LAVOISIERA MACROCARPA Ndn., *l. c.*

L. fruticosa dichotome ramosa glaberrima macrantha; ramis teretibus, superne dense foliosis, inferne denudatis; foliis glaucescentibus semi-amplexicaulibus ovato-ellipticis subobtusis 1-nerviis integerrimis, supremis purpurascentibus; floribus 8-meris; capsulis maturis terminalibus subterminalibusque globosis apice dehiscentibus 8-valvibus.

Planta *L. pulcherrimæ* fere simillima et verisimiliter illius mera varietas, quamvis habitum differentem præ se ferat. Quæstionem solvant posteri botanici qui specimina completa observaturi sunt, in nostro namque flores non suppetebant. — In montibus *Serra do Frio* provinciæ *Minas-Geraes;* Vauthier.

3. LAVOISIERA GRANDIFLORA Ndn., *l. c.*

L. fruticosa dichotome ramosa glaberrima viscidula macrantha; ramis teretibus, superne dense foliosis, inferne denudatis articulatis; foliis semi-amplexicaulibus patulis ovato-lanceolatis subacutis integerrimis aut remote denticulatis, 3-5 obscuriusque 7-9-nerviis, nervulis interse subreticulatis; floribus 6-meris purpureis aut albis.

Frutex sesquimetralis et elatior. Folia ut plurimum 5 centim. longa, 2 et quod excedit lata, internodiis 5-7-plo longiora. Rami supremi foliosi *Saponariæ officinalis* habitum referunt. Calyx oblongus, limbo dilatato sæpius 6, rarius 7-dentato, dentibus subulatis tubo inferne cylindraceo fere 4-plo brevioribus. Petala obovato-oblonga apice obtusissima, 2 $\frac{1}{2}$—3 $\frac{1}{3}$ centim. longa, 1 $\frac{1}{2}$ lata. Stamina valde inæqualia, antheris ovoideo-oblongis subæqualibus, connectivo majorum anthera fere duplo longiore, minorum multo breviore, omnium ultra filamenti insertionem breviter et obtuse porrecto. Calyx fructifer alaris oblongo-urceolatus. Capsulæ fere 2 centim. longæ ovoideo-oblongæ 6-loculares; dehiscentes haud visæ. Planta cum *L. Gentianoide* Mart. non confundenda. — In uliginosis palmiferis ubi crescunt *Mauritiæ viniferæ* Mart. vulgo dictæ *Buritis*, ad fines provinciarum *Minas-Geraes* et *Goyaz;* Aug. de Saint-Hilaire.

4. LAVOISIERA ALBA, DC., *l. c.* — Ndn., *l. c.* — Mart., *Herb.*, 920, et *Nov. gen.*, tab. 268.

L. fruticosa glaberrima glaucescens; ramis acute 4-gonis nec

teretibus, ad apicem dense foliosis, inferne denudatis articulatis; foliis semi-amplexicaulibus ovatis acutis et submucronulatis integerrimis 3-nerviis (nervis lateralibus subobsoletis) multi-veniisque; floribus 5-meris rubris aut purpureis, rarius albis.

Frutex metralis? uti præcedentes dichotome ramosus, ramis 4-gonis et floribus 5-meris facile dignoscendus Folia internodiis circiter 4-plo longiora, 2-3 centim. longa, 1—1 ½ lata. Calycis dentes triangulari-acuti tubo oblongo triplo quadruplove breviores. Petala obovato-oblonga apice truncata et subretusa, sesquicentimetrum et quod excedit longa. Antheræ subæquales ovoideo-oblongæ, connectivis valde inæqualibus et ultra filamenti insertionem in appendicem brevem truncatam porrectis. Ovarium maxima parte adhærens 5-loculare. Calyx fructifer urceolatus. Capsula matura haud visa. — In montibus *Serra d'Ouro Branco* aliisque locis editis provinciæ *Minas-Geraes;* Claussen, de Pissis, Martius.

5. LAVOISIERA FIRMULA, DC., *l. c.* — Ndn., *l. c.*

L. fruticosa dichotome ramosa glaberrima; ramis subtetragonis, ad apicem dense foliosis, inferne denudatis articulatis; foliis sessilibus elliptico-ovatis acutis integerrimis 1-nerviis aut obsolete 3-nerviis; floribus 6-meris purpureo-violaceis.

Planta circiter metralis. Folia sæpius glaberrima, interdum tamen pagina inferiore pilosula, internodiis duplo triploque longiora, 1 ½—2 ½ centim. longa, 1—1 ½ lata; suprema seu flores involucrantia inferioribus paulo majora. Calycis dentes triangulari-acuti tubo campanulato triplo quadruplove breviores. Petala late obovata obtusissima et fere retusa sesquicentimetrum et quod excedit longa. Antheræ subæquales ovoideo-oblongæ, connectivis inæqualibus arcuatis, ad insertionem filamenti subincrassatis subbilobisque. Ovarium apice solummodo liberum 6-loculare. Capsulæ subglobosæ alares a basi ad apicem dehiscentes. Species distinctissima et prioribus quamvis affinis facile distinguenda. — In petrosis montium provinciæ *Minas-Geraes;* Aug. de Saint-Hilaire.

6. LAVOISIERA CARYOPHYLLEA, Ndn., *l. c.*

L. fruticulosa ramosa glaberrima glaucescens; ramis e tetragono teretibus, apice foliosis, inferne denudatis articulatis; foliis sessilibus erectis, inferioribus linearibus angustis, supremis

elliptico-lanceolatis basi cuneatis, omnibus acutis integerrimis 1-nerviis ; floribus 5-meris purpureis.

Fruticulus circiter semimetralis. Folia internodiis duplo quadruploque longiora, 1 $\frac{1}{2}$—2 centim. longa, 3-6 millim. lata, suprema seu flores fulcrantia cæteris paulo majora. Calycis dentes triangulari-acuti tubo campanulato ferme triplo breviores. Petala oblongo-obovata apiculata 2 centim. circiter longa. Antheræ subæquales ovoideo-oblongæ, connectivis inæqualibus arcuatis ultra filamenti insertionem vix porrectis. Ovarium 5-loculare, rarius 4-loculare. — In montibus *Serra da Lapa*, Aug. de Saint-Hillaire, et *Serra do Frio* provinciæ *Minas-Geraes*, Vauthier.

7. Lavoisiera glandulifera Ndn., *l. c.*

L. fruticosa dichotome ramosa tota, corollis genitalibus ramisque vetustioribus denudatis et glabratis exceptis, pilis glanduliferis hirsuta macrantha ; ramis teretibus crassiusculis, ad apicem dense foliosis, inferne denudatis et crebre articulatis ; foliis semi-amplexicaulibus ovato obovatove-ellipticis subacutis serrulato-ciliatis 3-nerviis multiveniisque ; floribus 5-6-meris rubris aut purpureis.

Frutex forsan metralis. Folia internodiis fere decuplo longiora, 2-3 centim. longa, 1—1 $\frac{1}{2}$ lata. Flores sæpius 5-meri quam 6-meri, inter folia suprema inferioribus majora quasi involucrati. Calycis dentes lineari-oblongi ferme centimetrales, pilis glanduliferis hirsuti, tubo oblongo pilosulo vix breviores. Petala circiter 3 centim. longa inæquilatere obovata apiculata et pilo glandulifero terminata. Stamina ut in præcedentibus. Ovarium oblongum summo apice liberum 5-loculare. Capsularum vetustiorum reliquiæ alares et axillares. Capsulæ integræ haud visæ. — In montibus *Serra do Frio* frequens, præsertim in locis sabulosis et humidioribus, provinciæ *Minas-Geraes ;* Vauthier.

8. Lavoisiera nervulosa Ndn., *l. c.*

L. fruticosa ramosa macrantha ; ramis subteretibus, superne dense foliosis, inferne denudatis hirtellis ; foliis semi-amplexicaulibus ovato-oblongis lanceolatisque subobtusis integerrimis, pagina utraque pube brevi glandulifera hirtellis multiveniis, inferiore præsertim nervuloso-reticulatis ; floribus 6-meris, purpureis?

Folia internodiis quintuplo decuplove longiora, 3-4 centim. longa,

1—1 ¼ lata. Calycis dentes lineari-subulati tubo infra limbum constricto et suburceolato multo non autem duplo breviores. Petala oblongo-obovata apiculata ferme 3 centim. longa. Antheræ subæquales breves ovoideæ, connectivis inæqualibus arcuatis et in insertione filamentorum parum porrectis et incrassatis. Ovarium summo apice liberum 6-loculare. Capsulæ maturæ globosæ axillares et alares, a basi ad apicem dehiscentes. — In Brasilia septentrionali loco dicto *Igregia Velha* prope Bahiam; Blanchet.

9. Lavoisiera pulchella Cham., *Linn.* IX, p. 370.

L. suffruticulosa multicaulis erecta microphylla; caulibus obscure 4-gonis, ad inflorescentiam usque simplicibus, a flore primario dichotomis, foliosis subglabris; foliis sessilibus erectis ovatis acutis subacutisque remote ciliatis interdumque fere serrulato-ciliatis 1-nerviis nonnihil carinatis et in nervo unico subtus glanduloso-setosulis, cæterum glabris; floribus paucis in cymam terminalem dispositis 6-meris purpureis.

Caules vix suffrutescentes, fere herbacei, circiter 3-decimetrales. Folia inferiora 1 centim. circiter longa, 5 millim. lata, suprema sesquicentimetralia, omnia internodiis longiora, non autem vere imbricata. Flos primarius in dichotomia situs, secundarii in ramulis axillares. Calycis dentes lineari-oblongi acuti tubum oblongum sub fauce nonnihil constrictum subæquantes, pilis glanduliferis hirtelli et ciliati. Petala obovata apiculata sesquicentimetrum ferme longa. Antheræ subæquales ovoideæ vel oblongo-ovoideæ, connectivis inæqualibus. Ovarium fere ad apicem usque adhærens 4-loculare. Capsula ignota. Ovarium certe 4-loculare invenimus, sed clar. Chamissoes capsulam 6-locularem indicat. Ovarium forsan 4 et 6-merum est. — In Brasiliæ provincia *Minas-Geraes;* Sellow. Specimina nostra e Musæo Berolinensi communicata sunt.

10. Lavoisiera australis Ndn., *l. c.*

L. fruticulosa erecta dichotome ramosa, interdum simplex, microphylla; ramis obtuse 4-gonis glabris; foliis sessilibus carnosulis erectis interdumque subimbricatis ovatis acutis integerrimis 1-nerviis nonnihil carinatis, inferioribus glaberrimis, supremis ciliolatis; floribus ad apices ramorum subconfertis cymosis 6-meris purpureis aut lilacinis.

Planta dubia, *L. pulchellæ* et *L. mucoriferæ* certe affinis, quibus

tamen non consocianda est si ad habitum totum respiciatur. Vegetior et robustior est, caulis caulesve (si plures adsunt) magis ramosi, flores quoque numerosiores sed eadem inest inflorescentia. Folia ut plurimum internodiis longiora, rarius iis subæqualia, infima 7-8 millim. longa, 3-4 lata, suprema quæ flores fulciunt paulo majora. Calycis glanduloso-hirsuti dentes oblongi acuti tubum campanulatum subæquantes. Petala obovata apiculata circiter centimetrum longa. Antheræ ovoideo-oblongæ subæquales, connectivis inæqualibus. Ovarium 4-5-loculare. Capsulæ integræ haud visæ, vetustiorum reliquiæ alares et axillares. An species propria? — In paludosis prope *Igregia Velha* partis australioris provinciæ S^ti^ Pauli dictæ *Campos-Geraes;* Gaudichaud.

11. Lavoisiera Gardneri †. — An eadem ac *L. mucorifera*, Mart.?

L. fruticosa vel fruticulosa trichotome ramosa microphylla tota, corollis genitalibusque exceptis, pube glandulifera hirtella; ramis ad apicem foliosis, inferne denudatis et articulatis, subtetragonis; foliis planis sessilibus patulis ovato-oblongis acutis subotusisve ciliato-serrulatis 1-3-nerviis multiveniisque; floribus 6-meris purpureis aut violaceis.

Specimen nostrum ramus est 3-decimetralis forsan plantam totam, radice excepta, exhibens. Folia internodiis duplo triploque longiora patula sunt et sæpe reflexa nequaquam autem ut in aliis quibusdam speciebus imbricata aut rigida, centimetrum et quod excedit longa, latitudine variabilia, scilicet ea quæ flores fulciunt 7-8 millim. cætera vero 3-4 solummodo lata sunt. Calycis dentes triangulari-acuti tubo late campanulato longiores. Petala oblongo-obovata vix apiculata sesquicentimetrum longa. Antheræ manifeste inæquales, connectivis pariter inæqualibus arcuatis, omnium ultra filamenti insertionem porrectis et obtusis. Ovarium basi adhærens 6-loculare. Capsulæ globosæ alares foliis quasi fulcratæ, a basi ad apicem loculicide 6-valves. Species *L. muciferæ* Mart. nimis affinis et verisimiliter conjungenda quamvis ramorum dispositione trichotoma nec irregulari et capsulæ dehiscentia basilari plantæ Martianæ non conveniat. — In provincia *Minas-Geraes;* Gardner, *Cat.*, n° 4617.

12. Lavoisiera micrilicioides †.

L. fruticulosa ramosa microphylla submicrantha; ramis tetragonis articulatis; foliis sessilibus ovatis acutis tenuissime

serrulatis 3-nerviis glanduloso-puberulis planis, subtus nervo medio nonnihil carinato ; floribus ad apices ramorum solitariis involucratis 6-meris, rubris?

Planta circiter semimetralis, inferne denudata, fere fastigiato-ramosa, microphylla ideoque Microlicias plures referens. Folia internodiis subbreviora, 5-7 millim. longa, 3-4 lata, erecta et ramis quasi applicata sed non imbricata. Flores terminales, foliis 6-8 arcte imbricatis involucrati. Calycis divisuræ lineares glanduloso-ciliatæ tubum æquantes. Petala circiter 1 centim. longa obovata setula terminata. Stamina 12 valde inæqualia, 6 majorum connectivum infra loculos longe productum arcuatum et in insertione filamenti incrassatum, 6 minorum autem vix productum nec ullo modo incrassatum. Ovarium apice liberum 4-loculare. Capsula a basi ad apicem 4-valvis. — In Brasilia meridionali prov. *Minas-Geraes*; Claussen.

13. Lavoisiera humilis Ndn., *l. c.*

L. suffruticulosa nana glaberrima microphylla; foliis sessilibus carnosulis 4-fariam imbricatis ovatis subcarinatis subacutis serrulatis 1-nerviis ; floribus 6-meris rubris aut purpureis.

Caules 1-2-decimetrales erecti subsimplices foliosi. Folia internodiis triplo quintuplove longiora, 5-8 millim. longa, 3-6 lata ; suprema seu flores fulcrantia cæteris majora latius ovata et subobtusa. Calycis dentes rotundato-spathulati obtusissimi ciliolati tubo turbinato breviores. Petala inæquilatere obcordata seu retusa, 12-14 millim. longa. Antheræ parum inæquales ovoideo-oblongæ, connectivis valde inæqualibus, ultra filamenti insertionem præsertim in 6 majoribus porrectis. Ovarium ad medium usque adhærens 4-loculare. Capsula a basi ad apicem dehiscens. Species distincta quamvis ad *L. centiformem* tendat.—In campis arenosis editisque montium *Serra do Frio*, partis provinciæ *Minas-Geraes* dictæ *Distrito dos Diamantes ;* Aug. de Saint-Hilaire.

14. Lavoisiera bicolor Ndn., *l. c.*

L. fruticosa irregulariter ramosa tota, corollis genitalibusque exceptis, pilis glanduliferis sparsis hispidula, microphylla ; foliis semi-amplexicaulibus subcarinatis subimbricatis ovatis obovatisque acutis argute ciliato-serratis 3-nerviis aut multiveniis ; floribus 6-meris intus albis extus rubris aut albo et rubro variegatis.

Frutex metralis et sesquimetralis foliis inferne nudatus, ramis subte-

retibus vel obscure 4-gonis. Folia internodiis duplo ut plurimum longiora, 7-10 millim. longa, 5-6 lata. Calycis hispiduli dentes ovato-triangulares mucronulati tubo fere duplo breviores. Petala obovata obtusa integra aut subretusa, nonnihil inæquilatera, centimetrum circiter longa. Antheræ ovoideæ subæquales, connectivis inæqualibus ultra filamenti insertionem porrectis obtusis. Ovarium ultra medium adhærens 6-loculare. Capsulæ maturæ haud visæ. Species *L. centiformi* jam proxima. — Secus rivulum id valle prope prædium vulgo *Fazenda de Caetano Jose de Melo*, in tractu provinciæ *Minas-Geraes* dicto *Minas-Novas;* Aug. de Saint-Hilaire.

15. LAVOISIERA CENTIFORMIS, Ndn., *l. c.*, mars 1845. — *L. imbricata*, Cham. *Linn.*, IX, p. 369. — *L. imbricata* et *L. cataphracta*, Mart. *Nov. gen.*, tab. 265 et 266. — *L. cataphracta, imbricata, compta, insignis, viminalis*, DC.

L. fruticosa di-trichotome aut irregulariter ramosa sæpius glaberrima microphylla macrantha et submicrantha polymorpha; ramis obscure 4-gonis teretibusque, superne foliosis, inferne ut plurimum denudatis; foliis coriaceis sessilibus ovatis carinatis sæpissime quadrifariam imbricatis acutis setoso-serratis 3-nerviis, nervo medio subtus prominente setulis rigidis armato et interdum quasi ciliato-serrato, lateralibus subobsoletis; floribus 6-meris, roseis purpureis violaceisve, rarius albis.

Planta summopere variabilis a celeberrimis auctoribus Candollæo et Martio in plures species distributa, a Chamissoe jam ante annum 1834 in unam audacter contracta. Hujus sagacissimi observatoris in opinionem mihi tunc infeliciter ignotam sponte incidi quum anno 1845 nonnullas Melastomaceas evulgavi. Nec hodie hanc sententiam, Melastomacearum miram variabilitatem expertus, recuso. Una ergo species polymorpha nobis sint innumeræ formæ quæ ad hunc typum referri possunt. Lubeat autem nomen *centiformis* quod nullam aliam ideam ac illam variabilitatis includit Chamissoano nomini *imbricatæ* anteponi deprecor, non enim semper imbricata sunt folia et, quod gravioris est momenti, si tollatur meræ varietatis nomen pariter et tollitur confusionis occasio.

Difficile imo est *L. centiformem* in varietates certis characteribus definitas dividere aut potius tot varietates quot specimina videre esset illi qui mentem ad incumbendum notis minutissimis et perlevibus proclivem haberet uti apud aliquos consuetudo prævaluit. Ne igitur in vitium turpe veniamus sequentes varietates tantum nobis describendæ sunt;

α. *Clavata;* foliis maxime coriaceis suborbicularibus dense imbricatis mucronulatis margine calloso aculeolatis ; floribus magnis foliis quatuor supremis arcte involucratis et ramulum floriferum clavatum efficientibus purpureis.

Frutex semimetralis. Folia fere 1 centim. longa et lata. Calycis dentes late obovati apiculati ciliolati tubo vix longiores. Petala oblongo-obovata vel cuneata subretusa 3 centim. circiter longa. Capsulæ crassitudine pisi majoris. — In arenosis montium prope pagum *Nossa senhora da Penha* et inter rupes ad aquæ saltum vulgo *Cachoeira de Curmatahy* in parte australiori provinciæ *Minas-Geraes;* Aug. de Saint-Hilaire.

β. *Imbricata* (*imbricata*, *cataphracta*, *compta*, DC. — *Blepharocentra* et *ciliata* Mart.) ; ramis sæpius imbricato-foliatis apice unifloro non manifeste clavatis; floribus subparvis violaceis purpureis aut interdum albis.

Frutex a semimetro ad 2 metra altus. Folia quam in præcedente minora minus rigida magis ovata et acutiora. Calycis dentes obovati ciliolati sæpe scarioso-sphacelati fuscescentes tubum subæquantes. Petala magnitudine variabilia 1—1 ½ centim. longa obovata subretusa. Capsulæ circiter crassitudine pisi. Hæc varietas, quæ ipsa polymorpha est et polyonyma, typum frequentiorem speciei exhibet. — In permultis locis Brasiliæ australis ; Claussen, Gaudichaud, de Pissis, Vauthier, Martius, Riedel.

γ. *Insignis* DC. ; ramulis supremis subcorymbosis; foliis lanceolato-ovatis acutissimis longiuscule ciliatis subpatulis (id est non imbricatis); floribus majusculis purpureis.

Frutex semimetralis et metralis. Folia ferme centimetrum longa et quod excedit. Calycis dentes obovato-oblongi aut sublineares tubo longiores obtusi atro-purpurascentes. Petala ut in præcedente varietate. Varietas vix distinguenda. — In pascuis montium vulgo *Serra da Caraça*, *Serra Negra* et *Serra da Canastra* provinciæ *Minas-Geraes;* Aug. de Saint-Hilaire.

δ. *Viminalis* DC. ; ramis elongatis subvirgatis ; foliis oblongo-ovatis aut lanceolato-ellipticis acutis suberectis nec imbricatis ; floribus subparvis albis aut pallide purpurascentibus.

Frutex metralis et elatior. Folia 1 centim. circiter longa, 3-5 millim. lata. Calycis dentes ferme obovati apiculati sphacelati tubum subæquan-

tes. Petala 1 centim. circiter longa, interdum basi macula purpurea saturatiore notata. Capsulæ crassitie pisi minoris. — In provincia *Minas-Geraes;* Claussen.

ε. *Dendroides* Ndn., *l. c.*; fastigiatim ramosissima erecta arbusculæ formam referens microphylla submacrantha superne tantummodo foliosa; foliis subimbricatis lanceolatis acutis; floribus purpureis.

Frutex, ut ex unico specimine apparet, semimetralis, caule ad basim crassitie digiti. Folia 4-5 millim. longa, 2 rarius 3 lata. Calycis dentes purpurascentes obovati apiculati tubo subbreviores. Petala circiter sesquicentimetrum longa. Capsulæ alares magnitudine pisi minoris. — In provincia *Minas-Geraes* prope *Capanema;* Claussen.

ζ. *Leucantha* Ndn. *l. c.*; foliis vix coriaceis suborbicularibus; calycis dentibus linearibus subacutis atropurpureis; floribus albis interdum carneis aut dilute purpureis. — In montibus campisque editis provinciæ *Minas-Geraes*, præsertim prope vicum *Itambè* Aug. de Saint-Hilaire.

Eæ sunt varietates *L. centiformis* mihi inter specimina Hilariana et Musæi Parisiensis notatæ, sed quin in posterum eis plures aliæ addendæ sint non est dubitandum.

16. LAVOISIERA TETRAGONA Cham. *Linn.*, IX, 370.

L. fruticulosa dichotome ramosa glaberrima microphylla; ramis subteretibus inferne denudatis cicatrisato-rugosis et articulatis; foliis sessilibus carnosulis carinatis quadrifariam imbricatis ovatis acutis integerrimis 1-nerviis; floribus 5-meris.

Fruticulus *Lavoisieræ centiformis* varietatibus quibusdam primo adspectu similis sed depressior, ex specimine Chamissoano nostro 2-decimetralis. Differt potissimum foliis integris et inermibus, flore 5-mero nec 6-mero, calycinis dentibus triangulari-acutis nec obovatis tubo campanulato brevioribus. Cæteræ partes floris haud suppetebant. Capsularum veteriorum reliquiæ alares et axillares. — In Brasilia australi; Sellow.

17. LAVOISIERA CHAMÆPITYS Ndn., *l. c.*

L. fruticulosa multicaulis dichotome ramosa glaberrima micro-

phylla; foliis sessilibus subulato-acerosis acutissimis subpungentibus, supra canaliculatis, subtus 1-nerviis, rigidis suberectis aut patentim quadrifariam imbricato-pectinatis; floribus 6-meris purpureis.

Planta 2-4-decimetralis erecta, superne dense foliosa, inferne denudata. Folia circiter 1 centim. longa, 1-1 ½ millim. ad basim lata, internodiis millimetralibus fere decuplo longiora, suprema seu flores fulcrantia cæteris latiora et quasi ovato-acuminata. Calycis dentes oblongo-ovati acuminati rigidi mucronati tubo longiores. Petala obovato-cuneata apiculata 2 centim. circiter longa. Antheræ oblongo-ovoideæ subæquales, connectivis inæqualibus arcuatis, omnium ultra filamenti insertionem longiuscule porrectis obtusis. Ovarium globosum basi solummodo adhærens 4-6-loculare. Capsulæ alares et axillares a basi ad apicem loculicide dehiscentes. Species nulli affinis. —In pascuis arenosis prope fodinas adamantium vulgo *Serviço dos Diamantes* et prope *Corrego novo* in montibus *Serra de Curmatahy* provinciæ *Minas-Geraes;* Aug. de Saint-Hilaire.

Species addendæ :

18. L. GENTIANOIDES Mart. *Nov. gen.*, tab. 267, macrophylla macrantha; floribus 5-meris albis.

19. L. CRASSIFOLIA Mart., *l. c.*, tab. 267; foliis carnosulis patulis; floribus 6-meris et 5-meris intense violaceis.

20. L. MUCORIFERA Mart,. *l. c.*, tab. 269; floribus 6-meris intense violaceis.

21. L. PUNCTATA Mart., *l. c.*, 270, speciosa macrantha; floribus 6-7-meris pulchre rubris.

22. L. ITAMBANA Mart., *l. c.*, tab. 271, microphylla macrantha; floribus 6-7-meris flavis.

23. L. LYCOPODIOIDES Gardner *in Hook. Plant.*, tab. 502. Species incertissima nec ex incompleta descriptione recognoscenda.

24. L. CONFERTIFLORA Ndn., *l. c.*, mars 1845; *ex Herb.* Richard.

25. L. BLANCHETIANA Ndn., *l. c. ex Herb.* Delessert.

26. L. SCABRELLA Ndn., *l. c. ex Herb.* Rich. et Deless.

Species exclusæ:

L. linifolia DC. — MICROLICIA LINIFOLIA Cham.

L. microphylla Ndn., *l. c.* — MICROLICIA DECIPIENS Ndn.

VI. *CHÆTOSTOMA.*

CHÆTOSTOMATIS spec DC., III, 112; — Mart., *Nov. gen. et spec.*, III, 128; — Cham., *Linn.*, IX, 381; — Ndn., *Ann. des sc. nat.*, mars 1845; — Endlich., *Gen. plant*, n° 6186.

Flos 5-merus. Calycis dentes acuti mucronulati erecti rigidi pungentes, tubum setis aculeiformibus præsertim infra limbum armatum aut subinerme æquantes. Petala obovata aut rhombeo-obovata acutiuscula. Stamina 10 alternatim inæqualia consimilia, antheris lineari-subulatis nec rostratis 1-porosis, connectivo infra loculos breviter producto et ad insertionem filamenti vix manifeste tuberculato. Ovarium liberum 3-loculare. Capsula apice 3-valvis. Semina ovato-reniformia.

Fruticuli brasilienses erecti dichotome et fastigiatim ramosi microphylli isophylli glabri; foliis sessilibus erectis coriaceis angustis carinatis 4-fariam imbricatis acutissimis multiveniis; floribus sessilibus terminalibus solitariis purpureis aut albis.

Genus hinc Lavoisieræ et Microliciæ habitu proximum, illinc characteribus floris Stenodonti conterminum ideoque fere omnino artificiale.

1. CHÆTOSTOMA PUNGENS DC., III, p. 112. — Mart., *l. c.*, III, tab. 264. — Ndn., *l. c.*, p. 91.

C. multicaule fastigiatim ramosum; foliis 4-fariam imbricatis carinatis, margine calloso tenuissime serrulato-aculeolatis, apice pungentibus; floribus purpureis vel albis; calycis tubo turbinato infra limbum aculeolorum corona cincto, dentibus subulatis rigidis setoso-ciliatis.

Fruticulus erectus 2-3-decimetralis. Folia 5-8 millim. longa, 1 ½—2 lata. Petala obovato-apiculata 8-9 millim. longa. Capsulæ alares et axillares. — In montibus *Serra de Canastra*, *Serra de Carrancas*, *Serra do Frio* et permultis aliis locis Brasiliæ australis; Martius *Herb.* n° 922, Guillemin, Claussen, Gaudichaud.

2. CHÆTOSTOMA FASTIGIATUM Ndn, *l. c.*

C. præcedenti simillimum sed robustius et ramis magis fastigiatis

corymbosisve; calyce undique setoso-echinulato infra limbum aculeolis cincto, dentibus angustis subulatis pungentibus; floribus purpureis.

Fruticulus 3-4 decimetra altus, *C. pungenti* fere ut ovum ovo similis nec ab eo verisimiliter distinguendus. Rami numerosissimi corymbose dispositi ita ut plantam scopæformem faciant, superne solummodo foliosi, inferne denudati articulati. Folia exacte ut in *C. pungente*. Flores paulo majores scilicet petalis sesquicentimetrum longis donati. — In montibus *Serra do Popogayo* provinciæ *Minas-Geraes;* Aug. de Saint-Hilaire.

3. Chætostoma inerme Ndn., *l. c.*

C. ramis dense fastigiato-corymbosis undique foliosis vel inferne nudiusculis; foliis margine calloso parce serrato-echinulatis; calycibus inermibus aut aculeolis paucis infra limbum armatis, dentibus triangulari-acutis; petalis purpureis.

Fruticulus *C. pungenti* nimis affinis et verisimiliter pro mera varietate habendus in specie summopere variabili. Differt foliis minus approximatis minusque imbricatis et præsertim calyce subinermi. Petala circiter centimetralia.—In montibus *Serra da Ibitipoca* provinciæ *Minas-Geraes;* Aug. de Saint-Hilaire.

Species addenda :

4. C. diosmoides Mart. *Nov. gen.*, III, 129, tab. 264. An var. *C. pungentis?*

Species exclusæ :

C. Microlicioides Cham. *Linn.*, IX, 382. — Microlicia Chamissois Ndn.

C. tetrastichum Mart. *l. c.*, tab. 264. — Marcetia carinata Ndn.

VII. *MICROLICIA.*

Microliciæ genuinæ Don., *Mem. Wern. Soc.;* Chamisso, *Linnæa*, IX Mart., *Nov. gen. et spec.*, III. — Microliciæ species DC. et aliorum; Endlich. *Genera*, n° 6197. — Microlicia Ndn., *Annales des sc. nat.*, mars 1845. — Rhexiæ spec. auctorum.

Flos 5-merus. Calycis dentes acuti persistentes rarius decidui. Petala obovata sæpissime breviter acuminata aut apiculata.

Stamina 10 alternatim inæqualia conformia aut vix dissimilia sæpe discolora ; antheris raro lineari-subulatis sæpissime ovoideis oblongove-ovoideis rostello oblique 1-poroso (in una *M. macrophylla* subbiporoso) terminatis, connectivo infra loculos longe producto magis minusve arcuato et ultra filamenti insertionem sæpissime, saltem in 5 majoribus, in appendicem varie conflatam porrecto. Ovarium ovoideum liberum vel basi nonnumquam adhærens, apice glabrum aut setosulum, 3-loculare. Stylus filiformis magis minusve sigmoideus, stigmate acuto vel punctiformi. Capsula ab apice ad basim loculicide 3-valvis. Semina ovato-incurva vel subreniformia.

Fruticuli suffruticulive austro-americani in Brasilia potissimum copiose crescentes, erecti ramosi microphylli isophylli et anisophylli (*id est folia in ramis primariis quam in secundariis majora gerentes*), *villosi et glaberrimi ; foliis sæpissime punctis impressis seu glandulis resiniferis cribratis olentibus; floribus axillaribus et terminalibus, solitariis aut approximatis, raro autem vere paniculatis*, *roseis purpureis aut albis*, *rarissime flavis aut aureis.*

Microliciæ genus quanquam Trembleyæ, Lavoisieræ, Chætostomati et Stenodonti proximum sit, maxime naturale est nec cum ullo confundendum. Ab eo removendæ sunt species omnes sive 4-meræ sive ovario biloculari aut quadriloculari donatæ, imo et eæ quarum antheræ omnino lineares sunt, quamvis ipsæ 5-meræ sint et 3-loculares. Exclusis his omnibus, character generis facile definitur, sed quid non idem de speciebus dici potest! Hic certe plantarum descriptores irrisit natura, quum species Microliciæ inextricabiles extricandas tradidit. Mirum est enim quam facile variabiles et quam multæ sint formæ intermediæ quæ species primo intuitu remotissimas conjungere videntur. His in recte distribuendis longos menses desudans condidi, nec adeo insanus sum ut Naturæ consilium me deprehendisse superbiam. Opus ergo imperfectum perficiendum relinquo botanophilis qui, olim Brasiliæ aut saltem Americæ australis cives, facilius feliciusque observaturi sunt innumerabiles formas Microliciæ et quorumdam aliorum generum quas in herbariis

nostris mancas et inutiles habemus aut queis potius omnino caremus.

Propter numerum specierum Microlicias in sectiones sequentes dividimus ; scilicet :

A. Exappendiculatæ.

B. Brachiatæ . . . . { *Subulatæ*. *Eucromiliciæ*. *Chætostomoideæ*.

A. Exappendiculatæ.

Antheræ oblongæ subulatæ nec vere rostellatæ, omnium connectivo cum filamento simpliciter articulato nec ultra filamenti insertionem antice porrecto.

1. Microlicia castrata †.

M. fruticulosa ramosa, superne foliosa, inferne denudata ; ramis piloso-hirsutis ; foliis sessilibus ovato-lanceolatis oblongove-ovatis acuminatis acutissimis in setam abeuntibus, marginibus setoso-ciliosis et quasi serrulatis, pagina superiore fere glaberrimis, inferiore piloso-setosis et impresso-punctatis, parum conspicue 3-nerviis ; floribus ad apices ramorum subterminalibus axillaribusque solitariis purpureis ; antheris subulatis, connectivo infra loculos vix arcuato nec ultra filamenti insertionem porrecto.

Planta, ex specimine unico, circiter semimetralis subgracilis. Folia internodiis ut plurimum longiora, 6-10 millim. longa, 2 rarius 3 lata. Calycis dentes lanceolato-acutissimi tubum oblongo-campanulatum subæquantes. Petala obovato-cuneata subretusa 7 millim. circiter longa. Stamina parum inæqualia, antheris lineari subulatis acutis, connectivo omnium infra loculos producto subrecto et in insertione filamenti castrato. — In Brasiliæ australis provincia *Goyaz* ; Gardner, *Cat.*, n° 3732.

2. Microlicia oxyanthera †.

M. fruticosa suffruticulosaque ; caulibus ex eadem radice pluribus gracilibus erectis parum ramosis, superne hispidulis foliosis, inferne denudatis glabratisque ; foliis sessilibus ovatis acuminato-acutis, marginibus setoso-serrulatis, pagina superiore

subglabra parce, inferiore setoso-hispidula crebre glanduloso-punctatis, 3-nerviis; floribus ad apices ramorum axillaribus subterminalibusque solitariis roseis; antheris subulatis rectis, connectivo ad insertionem filamenti castrato.

Planta præcedenti affinis sed debilior, 3-4-decimetralis. Rami graciles, ut plurimum crassitie pennæ passerinæ aut paulo robustiores. Folia internodiis superioribus subæqualia, inferioribus sæpe duplo breviora, 4-6 millim. longa, 2-3 lata, in quibusdam speciminibus angustiora et fere glabra. Calycis dentes lanceolati acuti tubo subbreviores. Petala late obovata nonnihil apiculata centimetrum ferme longa. Stamina parum inæqualia, antheris lineari-subulatis acutis, connectivo infra loculos subrecto nec ultra filamenti insertionem porrecto.

Var. β *albiflora*, priori similis sed floribus albis.

In paludosis Brasiliæ australis prope *Salinas* prov. *Goyaz;* Weddell, *Cat.*, n° 2166 et 2119. Var. β, n° 2605.

B. Brachiatæ.

Antheræ ovoideæ aut oblongo-ovoideæ rostellatæ, rarius subulatæ erostratæ, connectivo, saltem in 5 majoribus, ultra filamenti insertionem antice in appendicem planam integram aut bilobam porrecto. Hæc sectio iterum dividetur in

a *Subulatas.*
b *Eumicrolicias.*
c *Chætostomoideas.*

a *Subulatæ;*

Antheræ subulatæ 1-porosæ non vere in rostrum terminatæ. Habitus Lavoisierarum.

3. Microlicia resinosa Mart.? — Ndn., *l. c.*

Planta Lessertiana, e Museo Parisiensi exclusa.

b *Eumicroliciæ;*

Fruticuli habitu vario non autem chætostomoideo; foliis ovatis ellipticis linearibus subulatisve sed non pungentibus nec ramos loricantibus; antheris ovoideis aut oblongo-ovoideis rostellatis.

4. Microlicia Lavoisieræformis †.

M. fruticulosa vel fruticosa di-trichotome ramosa glaberrima isophylla, superne foliosa et viscidula, inferne denudata; ramis 4-gonis nodoso-articulatis; foliis sessilibus ellipticis ellipticove-ovatis subobtusis integerrimis 1-nerviis (nervis lateralibus subevanidis), pagina utraque creberrime impresso-punctatis; floribus ad apices ramorum axillaribus terminalibusque sessilibus solitariis nonnihilque in capitulum foliosum approximatis; antheris oblongo-ovoideis longiuscule rostratis.

Planta omnino habitu Lavoisierarum, circiter semimetrum alta si ex unico specimine judicandum est. Folia centimetrum et quod excedit longa; 5-6 millim lata, internodiis duplo triplove longiora, juniora sicut et calyces visco madida. Calycis dentes subulati tubo subbreviores persistentes. Petala obovato-acuta centimetralia. Stamina omnia conformia sed inæqualia, connectivo infra loculos producto et ultra insertionem filamenti porrecto, in majoribus bilobo. Capsulæ ut solito apice 3-valves, in ramis vetustioribus lateraliter sessiles aut in dichotomiis alares, crassitie circiter seminis *Lathyri odorati*. Species nulli affinis. — In Brasilia septentrionali prope *Bahiam* loco dicto *Igregia Velha;* Blanchet, *Cat.*, n^is 3390 et 3459.

5. Microlicia decipiens. — *Lavoisiera microphylla* Ndn., *l. c.*

M. fruticulosa pusilla erecta glaberrima viscosissima microphylla macrantha oligantha; caulibus gracilibus subsimplicibus vel parce et dichotome ramosis; foliis carnosis 4-fariam imbricatis sessilibus ovato-ellipticis obtusis et subobtusis integerrimis enerviis, pagina utraque rugosulo-punctulatis; floribus ad apicem caulis aut ramulorum sessilibus terminalibus solitariis rubris; capsulis vetustioribus alaribus axillaribusque.

Caules ex eadem radice plures 1-2-decimetrales lignosi, vix crassitudine pennæ columbinæ, sæpe graciliores, inferne denudati. Folia 2-3 millim. longa 1 ½ lata, internodiis longiora, erecta ideoque inter se imbricata. Calyx late campanulatus, dentibus acutis tubo brevioribus. Petala obovato-apiculata 15-18 millim. longa. Antheræ ovoideæ rostellatæ subæquales, majorum connectivo longissime producto gracili et ultra filamenti inser-

tionem porrecto, minorum brevi simpliciter articulato. Ovarium 3-loculare, forsan, sed incertissimum est, et 5-loculare.—In campis circa *Tijuco* Adamantium, in provincia *Minas-Geraes;* Aug. de Saint-Hilaire.

6. Microlicia inquinans Ndn., *l. c.*

M. fruticulosa ramosa, inferne denudata, ad apices ramorum dense foliosa et viscosissima; ramis 4-gonis nodoso-articulatis hirtellis; foliis sessilibus semi-amplexicaulibus ovato-oblongis lanceolatisque acutis, margine vix conspicue crenulato setoso-ciliatis, cæterum glabris, pagina utraque creberrime impresso-punctatis, 1-3 rarius 5-nerviis; floribus ad apices ramorum subcapitatis, foliis 4 aut 8 quam cætera latioribus et brevioribus suffultis; antheris ovoideis rostellatis.

Planta circiter semimetrum alta. Folia juniora sæpe agglutinata et visco madentia, vetustiora subpatula, 1 centim. aut paulo amplius longa, 2-4 millim. lata, internodiis triplo quadruploque longiora. Calyx viscosissimus campanulatus, dentibus triangulari-acutissimis seta terminatis et tubum subæquantibus. Petala ovato-acuta, centimetrum circiter longa. Antheræ omnino ovoideæ breviter rostellatæ, majorum connectivo ultra filamenti insertionem porrecto et subbilobo, minorum prominulo. — In petrosis prope *Vareda* nec non in locis apertis et arenosis montium *Serra de Araxa;* Aug. de Saint-Hilaire.

7. Microlicia decussata Ndn., *l. c.*

M. fruticulosa submicrophylla isophylla; ramis teretiusculis pubescenti-hirtellis; foliis sessilibus decussatis elliptico-ovatis subobtusis subacutisque integerrimis adpresse hirto-tomentellis 1-nerviis, propter tomentum non manifeste punctatis; floribus ad apices ramorum terminalibus solitariis, rarius axillaribus subglomeratisque, rubris; capsulis demum alaribus aut axillaribus.

Fruticulus circiter semimetralis, Lavoisierarum minorum nonnihil habitum retinens, superne ramosus foliosus, inferne nudatus glabratusque. Folia internodiis longiora, 2-4 millim. longa, 1-1 ½ lata. Calycis dentes triangulares subobtusi tubo campanulato paulo breviores. Petala obovata 7-8 millim. longa. Antheræ undulatæ oblongo-ovoideæ longiuscule ros-

tellatæ, majorum connectivo in appendicem emarginatam porrecto, minorum infra loculos longiusculo et ultra insertionem filamenti quoque sed breviter porrecto.—Prope vicum *Capelinha* Brasiliæ australis, in parte provinciæ *Minas-Geraes* dicta *Minas Novas;* Aug. de Saint-Hilaire.

8. MICROLICIA MACROPHYLLA Ndn., *l. c.*

M. fruticosa pro genere macrophylla anisophylla viscidula, superne dense foliosa, inferne denudata; ramis breviter hirtellis; foliis sessilibus late ovatis subacutis subobtusisque, basi nonnihil cordatis, integerrimis aut vix conspicue crenulatis, 3-5-nerviis, pube glandulifera undique hirtellis, pagina utraque glanduloso-punctulatis; floribus ad apices ramorum approximato-glomeratis purpureis; antheris rostro biporoso apertis.

Frutex metralis sesquimetralisve. Folia internodiis semper longiora variant magnitudine; ramorum primariorum 1-2 centim. longa sunt, 1-1 ½ lata, secundariorum fere dimidio minora. Calycis dentes lineari-lanceolati acuti, pilis glanduliferis ornati, tubo campanulato ferme duplo longiores. Petala obovata centimetralia. — In arenosis circa *Penha Carascos* haud procul ab *Itambe* provinciæ *Minas-Geraes* Brasiliæ australis; Aug. de Saint-Hilaire.

9. MICROLICIA TOMENTELLA Ndn., *l. c.*

M. fruticulosa erecta subsimplex subisophylla; caule caulibusve subtetragonis hirtellis, basi denudatis, superne foliosis, parce et breviter ramosis; foliis sessilibus elliptico-orbicularibus obtusissimis aut interdum brevissime apiculatis integerrimis 3-nerviis, pagina utraque pube glandulifera hirtello-velutinis nec manifeste impresso-punctatis; floribus in ramulis axillaribus terminalibusque paniculam fere formantibus, intense roseis; antheris oblongo-ovoideis rostellatis, omnium connectivo ultra filamenti insertionem porrecto.

Planta lignosa 4-6-decimetralis. Folia pleraque internodiis breviora, 8-10 millim. longa, 6-8 lata. Calycis dentes triangulari-acuti tubo campanulato subæquales. Petala late obovata apiculata, 7 millim. longa et fere lata. Antherarum omnium connectivum ultra insertionem filamenti longiuscule porrectum, in majoribus subemarginatum, in minoribus

obtusum. Planta primo aspectu *M. macrophyllam* refert sed diversissima est characteribus floris et præsertim antheris 1-porosis. — In pascuis montium *Serra de Grumatahy* ad scatebras fluminis *Rio-Pardo* Brasiliæ australis ; Aug. de Saint-Hilaire.

10. MICROLICIA EUPHORBIOIDES Mart. *Nov. gen.*. III, tab. 252 et *Herb.* n° 939. — Ndn., *l. c.* — *M. variolosa* DC. III, p. 119.

M. fruticosa ramosissima anisophylla submicrantha, superne dense foliosa, inferne ut plurimum denudata, tota tomentoso-hirtella ; ramis 4-gonis ferrugineis vel interdum flavicantibus ; foliis sessilibus subsessilibusque oblongo-ovatis interdumque subellipticis obtusis et subacutis integerrimis 3-5-nerviis, pagina utraque villosula tomentellaque crebre impresso punctatis ; floribus ad apices ramulorum congestis axillaribus terminalibusque , albis aut purpureis, paniculas breves dense foliosas mentientibus ; calycinis dentibus acutis tubo urceolato-campanulato brevioribus ; antheris ovoideis rostellatis.

Frutex metralis et elatior. Folia internodiis semper longiora variant magnitudine ; majora sesquicentimetrum longa sunt et fere centimetrum lata , cætera ut plurimum centimetralia et 4-6 millim. lata. Petala obovata obtusa vel subobtusa 5-6 millim. longa. Staminum majorum connectivi appendix lata et obtusa nec emarginata, minorum vix ultra filamenti insertionem prominula. Capsulæ veteriores infra ramos foliosos congestæ. Planta habitu et aspectu variabilis facile tamen recognoscenda exsiccata lutescit.—In Brasiliæ provinciis *Minas-Geraes*, Claussen ; *Goyaz*, Gardner, Aug. de Saint-Hilaire.

11. MICROLICIA OCCIDENTALIS †.

M. fruticosa ramosissima isophylla tota hirsuta floribunda micrantha ; ramis 4-gonis patentim hirsutissimis ; foliis subsessilibus elliptico-ovatis obtusis raro subacutis subintegerrimis 3-5-nerviis, pagina utraque villoso-hirsuta creberrime impresso-punctulatis ; floribus ad apices ramulorum axillaribus terminalibusque subcongestis ; calycinis dentibus acutis tubo suburceolato duplo brevioribus ; antheris oblongo-ovoideis rostellatis.

Frutex erectus pro genere robustus forsan metralis aut saltem submе-

tralis ut apparet ex specimine nostro, cæterum *M. Euphorbioidi* maxime affinis sed isophyllus. Folia internodiis duplo longiora 7-8 millim. longa sunt et sæpe minora, 3 circiter lata, petiolo non semper omnino nullo. Petala obovato-acuta 4 millim. longa. Staminum majorum connectivum in appendicem obtusam nec emarginatam ultra filamenti insertionem porrectum, minorum cum filamento simpliciter articulatum. — Species hæc *M. Euphorbioidem* habitu et floris fabrica fere refert et tamen quosdam characteres differentiales præbet. An vere distincta? — In Brasilia occidentali ad scatebras fluminis *Paraguay* prope vicum *Diamantino*, in provincia *Mato-Grasso*; Weddell.

12. Microlicia obtusa Ndn., *l. c.*

M. fruticulosa vel fruticosa ramosissima submicrantha; ramis 4-gonis patentim setoso-hispidulis; foliis sessilibus late ellipticis ovatisque obtusulis rarius subacutis 3-nerviis glanduloso-ciliatis subintegerrimis, pagina superiore glabris, inferiore sparse punctulata ad nervos hispidulis; floribus breviter pedicellatis ad apices ramorum terminalibus axillaribus alaribusque; calycinis dentibus acutissimis seta glandulifera terminatis tubo brevioribus; petalis oblongo-ellipticis; antheris oblongo-ovoideis rostellatis, majorum connectivo ultra filamenti insertionem porrecto et obtuso.

Planta ex unico specimine semimetralis videtur. Folia ut plurimum internodiis breviora, 7-8 millim. longa aut amplius, sæpe minora, 4-5 lata. Petala pro genere angusta elliptica interdumque obovato-elliptica apiculata, 5-6 millim. longa, 2 lata. Staminum minorum connectivum ultra filamenti insertionem prominulum. Capsulæ ut plurimum alares. Species distinctissima videtur. Herba exsiccata lutescit — In campis apertis circa *Itajuru* haud procul a vico *Mato-Dentro*, provinciæ *Minas-Geraes*; Aug. de Saint-Hilaire.

13. Microlicia oblongifolia Ndn., *l. c.*

M. fruticulosa ramosa anisophylla floribunda submicrantha; caule ramisque vetustioribus teretibus, junioribus subtetragonis hirtellis; foliis subsessilibus sessilibusque elliptico-oblongis subacutis vix conspicue serrulatis 3-5-nerviis puberulis, pagina inferiore impresso-punctatis; ramulis densifloris in paniculas

terminales dispositis; petalis carneis; antheris ovoideo-oblongis rostellatis.

Fruticulus frutexve semimetralis et elatior. Folia ut plurimum internodiis longiora rarius iis subæqualia, caulis et ramorum primariorum 1 $\frac{1}{2}$-2 centim. longa sunt et 6-8 millim. lata, secundariorum 7-9 millim. longa 2-3 lata. Calycis dentes acuti tubo urceolato-campanulato breviores. Petala obovato-apiculata 7-8 millim. longa. Staminum majorum connectivum in appendicem subbilobam ultra filamenti insertionem porrectum, minorum prominulum. — In vallibus montium *Serra da Ibitipoca* nec non in campis provinciæ *Minas-Geraes* frequens; Claussen, *Cat.*, n° 581.

14. MICROLICIA FASCICULATA Mart., *Herb.*, n° 936. — *M. variolosa* DC., *l. c.*

M. fruticosa subfastigiatim ramosa isophylla; ramis subtetragonis hirsutis ferrugineis rufescentibusve, superne foliosis, inferne denudatis; foliis sessilibus ovatis acutis subobtusisque integerrimis parum conspicue 3-nerviis velutino-hirtellis, pagina utraque impresso-punctatis; floribus ad apices ramorum juniorum inter folia densiuscule congestis et quasi fasciculatis numerosis purpureis aut rubris; antheris oblongo-ovoideis rostellatis, majorum connectivo ultra filamenti insertionem in appendicem emarginatam porrecto.

Frutex semimetralis quandoque paulo elatior. Folia internodiis subæqualia, interdum paulo majora aut minora, 5-7 millim. longa, 3-4 lata. Calycis dentes triangulari-acuti tubo campanulato paulo breviores. Petala obovata apiculata 8-10 millim. longa. Staminum minorum connectivum infra loculos longiuscule productum, in insertione filamenti vix prominulum. Capsulæ annotinæ in ramis vetustioribus fasciculatæ. — Ut deleatur Candolleanum nomen *M. variolosæ* quæ non speciem sed specierum rudem indigestamque molem includit poscimus. Hujus præcipua forma est *M. fasciculata* Mart. quæ quamvis uti pleræque hujus generis species variabilis, non ita exuit characteres proprios ut non agnoscatur. Proxima ei est *M. cuneata* quæ saltem pro semispecie habenda est. — In campis subhumidis arenosisque montium *Serra do Frio* et *Serra do Piedade* nec non in multis aliis locis Brasiliæ australis frequens; Vauthier, Claussen, Martius.

15. MICROLICIA CUNEATA Ndn., *l. c.*

M. fruticulosa subfastigiatim ramosa isophylla, superne dense foliosa, inferne denudata, tota corollis genitalibusque exceptis hirtella; foliis sessilibus oblongo-ovatis lanceolatisque acutis integerrimis subuninerviis, pagina inferiore propter pubem vix conspicue impresso-punctatis; floribus ad apices ramulorum inter folia dense congestis; antheris oblongo-ovoideis ovoideisve rostellatis, majorum connectivo ultra filamenti insertionem longe porrecto, minorum longiusculo et in insertione filamenti simpliciter articulato.

Planta semimetralis? *M. fasciculatæ* Mart. videtur affinis nec cum ea tamen coadunanda. Differt præsertim foliis angustioribus longioribus et ad apices ramulornm floriferorum arctius congestis unde fit habitus diversus. Folia in ramis junioribus ubi approximata sunt internodiis triplo quadruplove longiora, in vetustioribus iis subæqualia nonnumquamque paulo breviora, 8-10 millim. longa, 1-2 rarius 3 lata. Calycis dentes triangulari-acuti tubum campanulatum subæquantes. Petala obovato-acuta, 6-7 millim. longa. Staminum minorum antheræ omnino ovoideæ, connectivo infra loculos longo gracili in insertione filamenti non prominulo. — In Brasiliæ provincia *Minas-Geraes;* Claussen.

16. MICROLICIA HIRSUTISSIMA Ndn., *l. c.*

M. fruticosa fruticulosave ramosa isophylla aut subisophylla hirsuto-villosissima rufescens; foliis sessilibus late ovatis subacuminatis acutissimis in setam abeuntibus 1-nerviis, pagina utraque setoso-villosissimis et margine setoso-serrulatis; floribus ad apices ramorum paucis axillaribus terminalibusque subcongestis intense purpureo-violaceis; dentibus calycinis triangulari-acutis tubo fere duplo brevioribus; antheris subovoideis rostellatis.

Frutex forsan metralis. Folia internodiis subæqualia interdumque iis subbreviora, 5-7 millim. longa, 3-6 lata. Calyx uti planta tota hirtus, dentibus in setam abeuntibus. Petala obovata apiculata centimetrum circiter longa. Antheræ majores oblongo-ovoideæ, connectivo ultra insertionem filamenti subbreviter porrecto et nonnihil bilobo; minores ovoideæ, connectivo in insertione filamenti prominulo subbilobo. — In Brasilia australi, locis haud indicatis; Aug. de Saint-Hilaire.

17. MICROLICIA HILARIANA Ndn., *l. c.*

M. fruticulosa nonnihil anisophylla, inferne sæpius denudata, superne dense foliosa ; ramis hirsutissimis ferrugineis ; foliis sessilibus ovatis obtusis vel subacutis crenato-serrulatis ciliatis, pagina utraque villosis et impresso-punctatis ; floribus ad apices ramorum approximatis paniculas breves dense foliosas fingentibus rubris ; calycinis dentibus late triangularibus apice in setam abeuntibus et calycis tubo campanulato multo brevioribus ; antheris ovoideis aut oblongo-ovoideis rostellatis, majorum connectivo ultra filamenti insertionem porrecto, minorum simpliciter articulato.

Planta circiter semimetrum alta, interdum paulo elatior. Folia magnitudine nonnihil variabilia, 6-8 millim. longa, 4-6 lata. Petala obovata apice rotundata et seta terminata, 6-7 millim. circiter longa. Staminum majorum connectivi appendix obtusa, minorum subnulla aut nulla. — In nemore prope *Itambe* nec non in ruderatis circa *Restio*, provinciæ *Minas-Geraes*, sed præsertim in montibus *Serra de Cadonga* frequens ; Aug. de Saint-Hilaire.

18. MICROLICIA LEUCANTHA †.

M. fruticulosa ramosissima, superne foliosa, inferne denudata, tota, corollis genitalibusque exceptis, villoso-hirsuta ; foliis sessilibus late ovatis acutis basi interdum subcordatis setoso-serrulatis 3-nerviis, pagina utraque tenuissime impresso-punctatis ; floribus ad apices ramulorum axillaribus terminalibusque solitariis, interdum approximatis, albis ; antheris ovoideis rostellatis, majorum connectivo ultra filamenti insertionem obtuse porrecto.

Fruticulus 4-5-decimetralis subisophyllus. Folia internodiis subæqualia, in ramulis junioribus iis paulo longiora, 4-5 millim. longa, 3-4 lata. Calycis dentes triangulares acuti tubo campanulato breviores. Petala obovata apice rotundata obtusissima, 8 millim. circiter longa. Antheræ breviter rostellatæ, minorum connectivo infra loculos brevi et cum filamento simpliciter articulato.—In campis humidis Brasiliæ centralis; Weddell.

19. Microlicia Gardneri †.

M. fruticosa ramosa isophylla submicrophylla, superne dense foliosa, inferne denudata; ramis hirsutis; foliis sessilibus late ovatis subacuminatis acutis integerrimis setoso-ciliatis, pagina utraque, sed inferiore impresso-punctulata præsertim, setoso-villosis, vix conspicue 3-nerviis; floribus terminalibus subterminalibusque solitariis aut approximatis paucis, purpurascentibus? ; antheris ovoideis rostellatis, connectivo majorum ultra filamenti insertionem porrecto, minorum prominulo.

Fruticulus ut videtur 3-5-decimetralis. Folia circiter 4 millim. longa, 3 lata, internodiis fere duplo longiora. Calycis dentes triangulares tubo campanulato breviores. Petala oblongo-obovata vix conspicue apiculata, 7 millim. circiter longa. Staminum majorum appendix porrecta obtusa subinflata integra. Plantæ exsiccatæ rami foliosi ad apicem nonnihil cærulescunt. — In Brasiliæ septentrionalis provincia *Pernambuco;* Gardner, *Cat.*, nº 2852.

20. Microlicia graveolens DC., *l. c.* — Mart., *Nov. gen.*, tab. 253.

M. fruticulosa isophylla; ramis divergentibus nec diffusis; foliis sessilibus ovatis acutis obsolete serrulatis integerrimisque parum conspicue 3-nerviis, pagina utraque villosulis, superiore rugulosa, inferiore glandulis seu punctis impressis cribrata; floribus ad apices ramulorum axillaribus subterminalibusque, interdum approximatis, purpureis; antheris oblongo-ovoideis rostellatis, omnium connectivo ultra filamenti insertionem porrecto.

Planta 4-5-decimetralis. Folia internodiorum circiter longitudine, ad apicem ramorum juniorum iis paulo longiora, in vetustioribus breviora 4-5 millim. longa, 2 et quod excedit lata. Calycis dentes acutissimi tubum oblongo-campanulatum 10-sulcatum æquantes. Petala obovata apiculata. 8 millim. circiter longa. Staminum majorum connectivi appendix emarginata, minorum brevis et obtusa. — In Brasiliæ provincia *Minas-Geraes.* Specimen unicum habemus ex imperiali Musæo Petropolitano missum.

21. MICROLICIA OLIGANTHA. — *M. variolosa* Ndn., *l. c.* — *M. variolosæ* species DC.

M. fruticulosa subfastigiatim ramosa isophylla subglabra pauciflora ; ramis sparse piloso-hirtis ; foliis sessilibus ovatis aut oblongo-ovatis acutissimis integerrimis subuninerviis glabris, vix marginibus ciliis paucis ornatis, pagina inferiore punctis resinosis cribratis, superiore rugulosis; floribus ad apices ramorum terminalibus axillaribusque rubris ; antheris oblongo-ovoideis rostellatis.

Planta 3-4-decimetralis *M. graveolentem* habitu et foliis referens, differt autem glabritie et staminum minorum connectivo in appendiculam non porrecto. Folia internodiis subæqualia iisque interdum paulo breviora, 5-6 millim. longa, 3 lata. Calycis dentes acuti tubum campanulatum æquantes. Petala obovata apiculata 8 millim. longa. Staminum majorum connectivi appendix truncata nec manifeste emarginata, minorum connectivum cum filamento simpliciter articulatum. — In monticulis aridis prope urbem *Ouro-Preto* (Olim *Villa-Ricca* nuncupatam) provinciæ *Minas-Geraes*, Aug. de Saint-Hilaire.

22. MICROLICIA POLYSTEMMA Ndn., *l. c.*

M. suffruticulosa fruticulosave subhumilis erecta anisophylla tota, corollis genitalibusque exceptis, piloso-hirsuta et punctis resinosis micantibus ocelliformibus conspersa ; foliis sessilibus ovatis acutis serrulato-ciliatis parum conspicue 3-nerviis; floribus ad apices caulium et ramorum axillaribus terminalibusque solitariis, interdum approximatis, paucis purpureis ; antheris oblongo-ovoideis rostellatis.

Planta 2-3-decimetralis multicaulis simplex aut ramosa. Caules subtetragoni hirsuti et globulis resinosis conspersi. Folia internodiis adultis multo breviora, 5-8 millim. longa, 3-5 lata, pagina utraque punctis resinosis impressis micantibus et ocellos simplices vesparum aut cicadarum in mentem revocantibus sub lente cribrata. Calycis dentes subulati tubo oblongo-campanulato paulo breviores. Petala 12 millim. longa obovata apiculata. Staminum majorum connectivum appendice porrecta obtusa et integra terminatum, minorum cum filamento simpliciter articulatum nec prominulum. Planta forsan affinis *M. graveolenti*, sed propter staturam habitum et vestitum antherarumque minorum

fabricam ab ea dissocianda. — In montibus Brasiliæ australis *Serra do Araxa;* Aug. de Saint-Hilaire.

23. MICROLICIA HOLOSERICEA Ndn., *l, c.*

M. suffruticulosa fruticulosave tota sericeo-tomentosa candicans; caulibus erectis subsimplicibus; foliis sessilibus ovatis acutis integerrimis.

Planta in herbario nostro valde manca, ad Microlicias ex habitu certe relata, circiter 2-decimetralis. Folia internodiis subæqualia 4-6 millim. longa sunt et 3 aut paulo amplius lata — In montibus *Serra do Frio* Brasiliæ australis et provinciæ *Minas-Geraes*, Vauthier.

24. MICROLICIA HIRTO-FERRUGINEA Ndn., *l. c.*

M. fruticulosa viscidula? microphylla isophylla; ramis subtetragonis hirtis ferrugineis; foliis sessilibus approximato-subimbricatis late ovatis subacutis subobtusisque basi cordatis integerrimis fere 1-nerviis ciliolatis, pagina superiore glabris, inferiore vix punctulata pilosis; floribus ad apices ramorum axillaribus terminalibusque subglomeratis purpureis; calycibus campanulatis, dentibus ovato-acutis tubum subæquantibus deciduis; antheris ovoideis rostellatis, omnium connectivo ultra filamenti insertionem porrecto.

Fruticulus 3-5-decimetralis. Folia erecta internodiis duplo longiora et fere subimbricata, 3-4 millim. longa et lata. Petala late obovata apiculata 7-8 millim. longa. Staminum majorum connectivum in appendicem obtusam porrectum, minorum pariter sed breviuscule porrectum. — In campis dictis *Capoeiras* circa oppidulum *Itabira* provinciæ *Minas-Geraes;* Aug. de Saint-Hilaire.

25. MICROLICIA CARNOSULA †.

M. fruticulosa subfastigiatim ramosa glabra viscidula microphylla isophylla, superne dense foliosa, inferne denudata; ramis 4-gonis; foliis sessilibus carnosulis ovatis acutis integerrimis immerse 1-nerviis subanevrisque impresso-punctatis rugulosis; floribus ad apices ramulorum terminalibus axillari-

busque solitariis pedicellatis ; antheris ovoideo-oblongis rostellatis.

Planta ex unico specimine videtur 3-decimetralis. Folia internodiis fere duplo longiora, 3 millim. longa, 2 lata. Calycis dentes triangulari-acutissimi tubo late campanulato æquales. Petala oblongo-obovata apiculata 8 millim. circiter longa. Staminum majorum connectivum appendice obtusa porrecta terminatum, minorum vix conspicue prominulum aut potius cum filamento simpliciter articulatum. — In provincia Brasiliæ meridionalis *Minas-Geraes*. Specimen e Musæo imperiali Brasiliensi communicatum.

26. MICROLICIA HUMILIS Ndn., *l. c.*

M. suffruticulosa subherbaceave ; caulibus adscendentibus 4-gonis glanduloso-hirtellis ; foliis sessilibus ovatis acutis serratis ciliatis 3-nerviis epunctatis setulosis ; floribus paucis axillaribus terminalibusque solitariis ; calycinis dentibus acutis tubo late campanulato subæqualibus ; antheris ovoideis rostellatis, majorum connectivo ultra filamenti insertionem breviter porrecto, minorum prominulo.

Planta circiter decimetrum et quod excedit alta. Folia ut plurimum internodiis breviora, 6-8 millim. longa, 3-5 lata. Petala ferme 8 millim. longa obovata apice rotundata et in setam abeuntia, purpureo-cærulea. Capsulæ omnino globosæ. — In campis prope *Perituva* provinciæ Sancti Pauli ; Aug. de Saint-Hilaire.

27. MICROLICIA CANASTRENSIS Ndn., *l. c.*

M. viscosa suffruticulosa erecta anisophylla ; caulibus ramisque subgracilibus teretiusculis pube glandulifera hirsutis ; foliis sessilibus late ovatis apiculato-acutis integerrimis subintegerrimisve vix conspicue 3-nerviis subuninerviisve, pagina superiore glabris, inferiore glanduloso-hirtellis, utraque punctis resinosis micantibus cribratis ; floribus ad apices ramulorum terminalibus axillaribusque solitariis pedicellatis ; antheris oblongo-ovoideis rostellatis.

Planta multicaulis basi lignosa, superne herbacea. 3-4-decimetralis. Folia internodiis ut plurimum multo breviora, caulium 1 centim. circi-

ter aut paulo minus longa, 6-7 millim. lata, ramulorum 4 millim. longa, 2-3 lata. Calycis dentes subulati acuti tubum campanulatum subæquantes. Petala obovata apiculata 8-9 millim. longa purpurea. Staminum majorum connectivum ultra filamenti insertionem in appendicem obtusam porrectum, minorum prominens.—In pascuis montium *Serra da Canastra*, Aug. de Saint-Hilaire.

28. MICROLICIA AVICULARIS Mart. *Nov. gen.*, III. — *M. variolosa* DC.

M. fruticosa fruticulosave ramosa submicrantha, superne foliosa, inferne denudata; foliis oblongo-obovatis ellipticisque ut plurimum obtusis, basi in petiolulum attenuatis, vix conspicue crenulatis integerrimisque 3-nerviis glabris, pagina utraque rugulosis nec manifeste impresso-punctatis; floribus pro genere longiuscule pedicellatis ad apices ramulorum axillaribus terminalibusque subapproximatis violaceo-purpureis; staminum majorum connectivo in appendicem bifurcam porrecto, antheris omnibus oblongo-ovoideis rostellatis.

Planta semimetrum et amplius alta. Folia ut plurimum internodiis longiora, raro iis subæqualia, magnitudine parum variabilia; majora 10-12 millim. longa sunt et 3-5 lata, cætera paulo minora. Calycis dentes triangulari-acuti tubo oblongo-campanulato paulo breviores. Petala obovato-acuta 7 millim. circiter longa. Staminum majorum connectivum ultra filamenti insertionem in appendicem more hirundinis caudæ bifurcam porrectum, minorum prominens sed integrum. Variat dentibus calycinis angustioribus et latioribus necnon appendice staminum majorum magis minusve profunde bifida vel biloba; facile tamen foliis breviter petiolatis recognoscenda. — In montibus Brasiliæ australis *Serra d'Ouro Branco*, Aug. de Saint-Hilaire; et *Serra do Frio*, Claussen.

29. MICROLICIA PASSERINA †.

M. fruticulosa ramosa, superne foliosa, inferne denudata; ramis supremis tomentoso-hirtellis rufescentibus; foliis elliptico-obovatis subobtusis, basi cuneato-attenuatis non autem petiolulatis, integerrimis subintegerrimisve parum conspicue 3-nerviis furfuraceo-tomentellis rugulosis nec manifeste glanduloso-punctatis; ramulis floriferis in paniculas breves foliosas dispositis; floribus axillaribus terminalibusque subses-

silibus purpureis; antheris ovoideis rostellatis, omnium connectivo ultra filamenti insertionem in appendicem obtusam nec bifurcam producto.

Planta *M. aviculari* primo intuitu consocianda ab ea nihilominus segreganda si attentius ad characteres respiciatur; utrique enim eadem est statura idem habitus et ambarum adeo conformia sunt folia ut vix nota quadam differre diceres. Hic tamen minus attenuata sunt nec vere petiolata. Quæ sint in floribus differentiæ facilius exprimere est: *M. passerinæ* dentes calycini angustiores sunt et magis subulati, petala fere duplo majora et apice rotundata obtusissima aut vix manifeste apiculata, staminum majorum et minorum connectivum ultra filamenti insertionem fere æqualiter porrectum et in majoribus truncatum aut vix retusum ita ut caudam passerinam in mentem revocet. — In Brasilia meridionali; Dupré.

30. Microlicia myrtifolia †.

M. fruticosa fruticulosave erecta ramosa viscidula anisophylla pro genere macrophylla et macrantha; ramis pulverulentis aut adpresse et brevissime tomentellis magis minusve 4-gonis; foliis subsessilibus sessilibusque late elliptico lanceolatis utrinque acutis integerrimis 3-nerviis glabris viscidulis, pagina utraque tenuissime punctato-cribratis; floribus ad apices ramulorum axillaribus alaribusque solitariis pedicellatis; antheris oblongo-ovoideis rostellatis, omnium connectivo ultra filamenti insertionem porrecto.

Planta semimetralis et forsan submetralis, pro genere robusta. Folia internodiis subæqualia vel iis interdum paulo longiora; ramorum primariorum sesquicentimetrum rarius 2 centim. longa et 1 fere lata, secundariorum 10-12 millim. longa 4 lata. Calycis dentes triangulari-acuti tubum æquantes. Petala obovata apiculata 12-13 millim. longa. Stamina inæqualia sed antheræ subæquales, connectivo majorum in appendicem truncatam porrecto, minorum breviusculo et ultra filamenti insertionem pariter sed brevius porrecto obtuso. — In montibus *Serra do Frio* Brasiliæ australis; Vauthier.

31. Microlicia baccharoides Schrank et Mart. *mss.*

M. fruticulosa fruticosave ramosa, superne foliosa, inferne denudata, subisophylla viscidula; ramis supremis 4-gonis hirtellis;

foliis sessilibus late ellipticis obovatisque interdum suborbicularibus obtusis vel subacutis integerrimis 3-nerviis, pagina superiore glabra ruguloso-punctulatis, inferiore hirtella impresso-punctatis; ramulis floriferis in paniculam dispositis; floribus axillaribus terminalibusque solitariis pedicellatis roseis aut purpureis; antheris ovoideis rostellatis.

Planta ut videtur semimetralis erecta. Folia internodiis longiora, 1-1 ½ centim. longa, 4-6 millim. lata. Calycis dentes angusti subulati tubum campanulatum subæquantes. Petala obovata vix apiculata 1 centim. circiter longa. Stamina inæqualia sed consimilia, omnium connectivo ultra filamenti insertionem porrecto, majorum appendice plana truncata integra, minorum subbiloba. — An specimina herbarii Parisiensis ad *M. Baccharoidem* Schrank et Mart., nobis ex annotatione quadam in herbario Lessertiano solummodo notam pertineant dubitamus. Proxima sunt nostræ *M. myrtifoliæ* quacum tamen non videntur confundenda. An species distincta? — In montibus Brasiliæ australis *Serra do Frio* necnon prope *Tijuco*, provinciæ *Minas-Geraes;* Vauthier.

32. Microlicia fulva Cham., *Linn.*, IX, 391. — *M. variolosæ* forma DC.

M. fruticulosa nonnihil anisophylla; ramis divergentibus, apice foliosis, inferne denudatis, breviter hirtellis tomentellisve; foliis sessilibus ovato-ellipticis acutis integerrimis 1-3-nerviis pube brevissima hirtellis, pagina utraque sed inferiore magis conspicue glanduloso-punctulatis; floribus ad apices ramulorum axillaribus terminalibusque solitariis, interdum subapproximatis, longiuscule pedicellatis purpureis; antheris ovoideis rostellatis.

Planta circiter semimetralis. Folia internodiis sæpe breviora, iis ut plurimum tamen subæqualia, 5-8 millim. longa, 2 rarius 3 lata, ramulorum supremorum paulo minora. Calycis dentes angusti lineari-subulati tubum campanulatum æquantes. Petala obovata apiculata 8 millim. circiter longa. Staminum majorum connectivi appendix subbiloba, minorum connectivum cum filamento simpliciter articulatum aut vix prominulum. Species nonnihil ambigua difficile forsan recognoscenda. — In Brasiliæ australis provincia *Minas-Geraes* loco dicto *Carascos* prope *Ibitipoca*, Aug. de Saint-Hilaire. Habemus etiam ex herbario Berolinensi a Sellowio lectam.

33. MICROLICIA CARDIOPHORA †.

M. fruticulosa superne ramosissima anisophylla floribunda; ramis ramulisque confertis dichotomis sæpe geniculato-tortuosis hirtellis; foliis non omnino sessilibus sed sæpe brevissime petiolatis, ovato-ellipticis obtusis integerrimis 3-nerviis breviter hirtellis, pagina utraque foveolato-punctulatis (punctis autem non resinosis nec glandulosis); floribus (pro genere) longe pedicellatis solitariis axillaribus alaribusque purpureis; antheris omnibus oblongo ovoideis rostellatis, omnium connectivo ultra filamenti insertionem in appendicem porrecto, majorum appendice inflata biloba cordiformi.

Fruticulus ex speciminibus nostris incompletis semimetralis videtur. Folia internodiis sæpe duplo breviora, ramorum primariorum 6-8 millim. longa, 4-5 lata, secundariorum duplo minora. Florum pedicelli, præsertim alarium, 5-8-millimetrales. Calycis dentes angusti subulati tubum campanulatum subæquantes. Petala obovata apiculata 8 millim. longa. Antherarum majorum connectivum infra loculos gracile, ad articulationem filamenti appendice cordiformi abrupte terminatum, minorum breviuscule simpliciterque porrectum. — In Brasiliæ meridionalis provincia *Minas-Geraes;* Claussen, *Cat.*, 1838, n° 57.

34. MICROLICIA VENUSTA Mart., *Herb.*, 938.

M. fruticulosa erecta ramosa anisophylla micrantha oligantha; ramis subvirgatis 4-gonis uti folia ipsa pube densa brevi subvelutina lutescente hirtellis; foliis sessilibus late ovatis obtusis subobtusisque integerrimis 3-5-nerviis subtus tenuiter punctulatis; floribus subparvis longiuscule pedicellatis ad apices ramulorum axillaribus terminalibusque solitariis purpureis; antheris ovoideis rostellatis.

Planta ex unico specimine incompleto videtur circiter semimetralis. Folia internodiis adultis ut plurimum breviora, 7-9 millim. longa, 5-6 lata. Calycis dentes acuti tubum æquantes. Petala obovato-acuta 5-6 millim. longa. Staminum majorum connectivum in appendicem truncatam subemarginatam porrectum, minorum manifeste ultra filamenti insertionem prominens obtusum. Herba exsiccata lutescit. — In Brasilia australi; Martius.

35. MICROLICIA MARTIALIS. — *M. pulchella* Mart., *Herb.*, nº 947. — *M. venusta* Ndn., *l. c.*

M. fruticulosa interdumque fruticosa ramosissima submicrophylla isophylla ; ramis nonnihil fastigiatis subgracilibus uti folia ipsa pube brevi densiuscula hirtellis ; foliis sessilibus ellipticis ovatove-ellipticis acutis integerrimis ciliolatis immerse uninerviis, pagina inferiore impresso-punctatis ; ramulis supremis subfloribundis ; floribus subparvis axillaribus terminalibusque solitariis breviter pedicellatis rubris ; antheris ovoideis rostellatis.

Frutex semimetralis submetralisve erectus robustus. Folia internodiis interdum duplo breviora, sæpius iis subæqualia, 3-4 millim. longa, 1 ½ lata. Calycis dentes angusti subulati tubum campanulatum æquantes. Petala obovata apiculata 6 millim. longa. Staminum majorum connectivum appendice truncata subretusa terminatum, minorum ultra filamenti insertionem breviter sed manifeste prominens. — Planta mihi non confundenda cum *M. pulchella* Cham. quamvis foliorum forma et floris partium fabrica ab ea parum discrepet. Hæc nostra, specie Chamissoana multo elatior et robustior densius hirtella magisque floribunda est, ita ut pro specie distincta habenda sit. — In glareosis subhumidis Brasiliæ meridionalis, prov. *Minas-Geraes ;* Martius, Riedel, Claussen, De Pissis.

36. MICROLICIA DORYPHYLLA Ndn., *l. c.*

M. fruticulosa a basi ramosa manifeste anisophylla subglabra ; ramis subfastigiatis 4-gonis sparse piloso-hirtellis ; foliis sessilibus lanceolato-ellipticis acutis integerrimis 1-rarius 3-nerviis ut plurimum glaberrimis, pagina utraque impresso punctulatis ; floribus ad apices ramulorum paucis axillaribus terminalibus pedicellatis purpureis.

Planta erecta 3-4-decimetralis. Folia ramorum vetustiorum internodiis breviora, 7-8 millim. longa, 1-1 ½ lata. Calycis dentes subulati tubo campanulato breviores. Petala obovato-acuta 7-8 millim. longa. Stamina integra haud visa. — Forma *M. doryphyllæ* dubia est et in posterum revisenda. Valde accedit ad *M. parvifoliam* et *M. pulchellam* nec uni vel alteri tamen eam conjungere ausi sumus propter habitus nescio quod discrimen plantas a mutua consanguinitate abhorrere indicans. — In Vicinia urbis *Ouro-Preto* (olim *Villa-Ricca*). Brasiliæ meridionalis ; Claussen.

37. MICROLICIA JUNGERMANNIOIDES DC., *l. c.*

M. fruticulosa erecta parum ramosa micrantha; ramis 4-gonis patentim et dense hirsutis ferrugineis rufescentibusque; foliis sessilibus patentibus subreflexisque mollibus late subcordiformibus subobtusis tenuissime serrulatis 5-nerviis puberulis, pagina inferiore punctato-foveolatis; floribus ad apices ramulorum paniculatim digestorum axillaribus terminalibusque solitariis aut approximatis rubris; antheris oblongo-ovoideis rostellatis.

Planta lignosa 3-4-decimetralis. Folia internodiis nonnunquam breviora iis sæpius subæqualia parum variant magnitudine; caulis ramorumque primariorum 8–10 millim. longa et lata sunt, secundariorum paulo nonnullaque duplo minora. Calycis dentes acuti tubum campanulatum æquantes. Petala obovato-elliptica apiculata 4–5 millim. longa. Staminum majorum connectivum ultra filamenti insertionem in appendicem obtusam integramque porrectum, minorum cum filamento simpliciter articulatum. Species distinctissima nullam mihi notam varietatem exhibens.—In Brasilia australi, prov. *Minas-Geraes;* Claussen, *Cat.*, n° 190.

38. MICROLICIA CORDATA Cham., *Linn.* IX, 390. — *M. confertiflora* Ndn., *l. c.*

M. fruticulosa subfastigiatim ramosa anisophylla multiflora; ramis piloso-hirsutis glabrescentibusve 4-gonis; foliis sessilibus late ovatis subacutis subobtusisque, basi sæpe cordatis, integerrimis 3-rarius 5-nerviis interdum viscidulis margine ciliolatis, pagina utraque nunc glaberrimis nunc pilosulis, inferiore glandulis impressis cribrata; ramulis apice confertifloris paniculas breves foliosas formantibus; floribus rubris; antheris ovoideo-oblongis rostellatis.

Planta submetralis, uti cæteræ species ejusdem generis, præsertim quoad hirsutiem ramorum glabritiemque foliorum, variabilis. Folia internodiis nunc paulo breviora nunc longiora iis sæpius subæqualia et erecta, ramorum primariorum 7–9 millim. longa, 6–7 lata, secundariorum multo minora. Calycis dentes triangulari-acuti tubum campanulatum æquantes. Petala obovata apiculata, 7 millim. circiter longa. Staminum majorum connectivum ultra filamenti insertionem in appen-

dicem obtusam porrectum, minorum prominulum. Variat foliis majoribus et minoribus, cordiformi-ovatis et omnino ovato-ellipticis. — In permultis locis Brasiliæ australis præsertim provinciæ *Minas-Geraes*, scilicet ad scatebras fluminis *Rio-Pardo* et in vicinia urbiculæ *Tijuco* adamantium ; Aug. de Saint-Hilaire. In aliis locis ejusdem provinciæ, Sellow, Vauthier, Gardner.

39. MICROLICIA PULCHELLA Cham., *l. c.* — Non *M. pulchella* Mart., *Herb.*

M. fruticulosa erecta fastigiatim ramosa microphylla isophylla pube tenui rara vix conspicua pubescens ; ramulis gracilibus ; foliis sessilibus suberectis breviter ellipticis acutis integerrimis subuninerviis, pagina utraque crebre impresso-punctatis; floribus axillaribus subterminalibusque solitariis pedicellatis, antheris ovoideis rostellatis.

Planta, si judicandum sit ex specimine unico et incompleto, 2-3-decimetralis. Folia internodiis nunc longiora nunc breviora 2-3 millim. longa sunt et 1-1 ½ lata. Calycis dentes angusti subulati tubum campanulatum punctisque resinosis conspersum æquantes. Petala obovata subobtuse apiculata 6-7 millim. longa. Staminum majorum connectivum ultra filamenti insertionem in appendicem truncatam vix retusam porrectum, minorum prominulum. — In Brasilia meridionali (*Minas-Geraes?*) ; Sellow. Ex herb. reg. Berolinensi communicata.

40. MICROLICIA PARVIFOLIA Ndn., *l. c.*

M. fruticulosa subfastigiatim ramosa microphylla isophylla glaberrima; ramulis 4-gonis subgracilibus; foliis sessilibus suberectis ellipticis acutis integerrimis carnosulis immerse uninerviis, pagina utraque impresso-punctulatis (punctis non resinosis); floribus ad apices ramulorum axillaribus terminalibusque solitariis pedicellatis purpureis ; antheris oblongo-ovoideis ovoideisve rostellatis.

Planta videtur 2-4-decimetralis. Folia internodiis paululo longiora, 1 millim. longa, 1-1 ½ lata. Calycis dentes triangulari-acuti tubum campanulatum æquantes. Petala inæquilatere obovata 8-9 millim. longa. Staminum majorum connectivum appendice porrecta obtusa terminatum,

minorum vix prominulum. Forma *M. pulchellæ* Cham. proxima eique forsan invitis differentiis paucis coadunanda.

Var. β *viscosa ;* tota viscosissima sparse puberula, foliis quam in specie minutioribus. — *M. pulchellæ* adhuc affinior videtur.

In montibus *Serra do Frio* Brasiliæ meridionalis, prov. *Minas-Geraes ;* Vauthier ; var. β in provincia S^ti Pauli ; Gaudichaud.

41. Microlicia Weddellii †.

M. fruticulosa isophylla ; caulibus ramisque 4-gonis inferne denudatis superne foliosis glabratis, junioribus ad nodos setulosis ; foliis subsessilibus elliptico-ovatis acutis margine setoso-denticulatis aut integerrimis 3-nerviis (nervo utroque laterali subevanido ideoque primo adspectu 1-nerviis) glaberrimis rigidulis, pagina superiore tenuiter rugulosa inferiore punctis impressis cribrata ; floribus ad apices ramorum axillaribus et terminalibus solitariis roseis ; calycinis dentibus acutissimis rigidulis cum setis seu aristis totidem ex intervallo ortis alternantibus ; antheris late ovoideis brevissime rostellatis.

Planta ex specimine unico 2-decimetralis. Folia internodiis duplo triploque longiora, 5-7 millim. longa, 1 ½—2 lata, petiolo subnullo aut nullo. Calycis tubus turbinato-campanulatus dentibus purpurascentibus. Petala obovata apiculata 6-7 millim. longa. Staminum majorum connectivum longe productum et ultra filamenti insertionem in appendicem crassam inflatam obtusam porrectum, minorum ad insertionem filamenti fere truncatum. —In locis apertis montium Peruviæ prope *San Juan del Bro ;* Weddell.

42. Microlicia setosa DC. — Ndn., *l. c.* — Mart. *Nov. gen.*, tab. 253. — Non *M. setosa* Cham. *Linn.* IX.

M. fruticulosa erecta ramosa nonnihil anisophylla ; ramis 4-gonis pilis aliquot hirtis glabrisque ; foliis sessilibus oblongo-ellipticis obtusis subacutisque tenuissime serrulatis integerrimisve 3 nerviis, pagina utraque glabris aut setulosis et crebre impresso-punctatis, punctis sæpe resinosis micantibus ; floribus ad apices ramulorum axillaribus terminalibusque brevissimepedicellatis solitariis ternis ; calycibus suburceolatis, dentibus tubo striolato

subbrevioribus ; petalis retusis inæquilateris ; antheris ovoideis aut oblongo-ovoideis rostellatis.

Planta omnino lignosa 3-6-decimetralis. Folia internodiis paulo longiora centimetrum fere longa aut paulo minora, 2 millim. ut plurimum lata, petiolo nullo vel rarius subnullo. Petala obovato-inæquilatera retusa nec apiculata pallide purpurea. Staminum majorum connectivum anthera fere duplo longius et ultra filamenti insertionem in appendicem obtusam porrectum, minorum breviusculum cum filamento simpliciter articulatum nec porrectum. Capsulæ ovoideæ seminis cannabini circiter crassitudine. Species distinctissima si ad formam petalorum attendatur. A clariss. Candollæo ipso in herb. Hilariano notata.— In prov. Brasiliæ *Minas-Geraes* prope *Capella-Nova*, Weddell ; *Cat.*, n° 1596 ; in eadem provincia, de Pissis; necnon in prov. Sancti-Pauli secus ripas fluminis *Itaréré* ad 24^{am} lineam australem et altitudinem 400 metrorum, Aug. de Saint-Hilaire et Gaudichaud.

43. MICROLICIA MYRTOIDEA Cham. *Linn.*, IX, p. 393.

M. fruticulosa erecta fastigiatim ramosissima microphylla isophylla fereglaberrima superne tantum foliosa ; ramulis subgracilibus erectis 4-gonis ; foliis sessilibus erectis planis oblongo-ellipticis obtusis vel brevissime apiculatis integerrimis uninerviis aut obscure et obsolete 3-nerviis, utraque pagina sparse impresso-punctatis ; ramis apice floriferis corymbum fere mentientibus ; floribus axillaribus terminalibusque solitariis interdum subapproximatis breviter pedicellatis.

Planta 3-4-decimetralis. Folia internodiis ut plurimum duplo longiora, 4-6 millim. longa, 1 $\frac{1}{2}$ lata. Calycis dentes triangulari-acutissimi tubo campanulato breviores. Petala obovata apice rotundato vix apiculata, 7-8 millim. longa? Genitalia haud visa. Species a *M. pulchella* Cham. certe distinctissima.— In Brasilia australi, Sellow. Specimen habemus e Musæo Berolinensi missum.

44. MICROLICIA CHLORACEA †.

M. fruticulosa erecta superne ramosa subisophylla ; ramis patentim sparseque hispidulis ; foliis sessilibus erectis ovatis acuminatis acutissimis in setam abeuntibus, marginibus remote setoso-ciliatis et quasi argute serrulatis, cæterum glabris, parum conspicue 1-3-nerviis, subtus parcissime glanduloso-

punctatis vel punctis omnino destitutis; floribus ad apices ramorum axillaribus subterminalibusque solitariis, interdum approximato-glomeratis, purpureis; antheris ovoideo-oblongis acutis rostellatisque, majorum connectivo ultra filamenti insertionem porrecto.

Fruticulus (ex uno specimine) 3-4 decimetralis. Folia internodiorum circiter longitudine quandoque paulo longiora rarius breviora, 5-7 millim. longa, 2 lata. Calycis dentes triangulari-acutissimi in setam abeuntes tubum hispidulum et sub limbo setis coronatum æquantes. Petala obovata apiculata centimetrum fere longa. Staminum majorum connectivum infra loculos longe productum arcuatum et ultra insertionem filamenti in appendicem truncatam porrectum, minorum pariter sed brevissime ultra filamenti insertionem prominens. Herba exsiccata lutescit. Species non confundenda cum *M. castrata* cui primo aspectu similis videtur quamvis fabrica staminum maxime discrepet. — In Brasiliæ provincia *Goyaz;* Gardner, n° 4152.

45. Microlicia depauperata †.

M. fruticulosa erecta ramosa isophylla glabra; ramis apice tantum foliosis 4-gonis; foliis sessilibus ovato-lanceolatis lanceolatisque acutis in setam abeuntibus integerrimis subuninerviis, utraque pagina (sed non creberrime) impresso-punctatis; floribus terminalibus subterminalibusque solitariis paucis albis aut pallide roseis; antheris oblongo-ovoideis rostellatis, connectivo ultra filamenti insertionem in appendicem obtusam porrecto.

Planta semimetralis et ultra, ramis subgracilibus. Folia internodiorum longitudine vel longiora, 4-6 millim. longa, 1-2 lata. Calycis dentes triangulari-acuti tubum subæquantes. Petala obovato-apiculata imo et subacuminata nonnihil inæquilatera. Staminum majorum connectivum longe et graciliter productum, ultra filamenti insertionem in appendicem truncatam porrectum, minorum breviter prominens. Species *M. chloraceæ* proxima. Exsiccata pariter lutescit. — In Brasiliæ australis provincia *Goyaz;* Gardner, *Cat.*, n° 3156.

46. MICROLICIA CUSPIDIFOLIA Mart., *Herb.* — Ndn., *l. c.*

M. fruticulosa fastigiatim ramosa, superne foliosa, inferne denudata, isophylla glaberrima; foliis non omnino sessilibus erectis obovato-acuminatis seta mucronulata terminatis basi cuneata quasi in petiolulum attenuatis supra medium crenulatis 1-nerviis lævigatis, interdum nonnihil carinatis; floribus ad apices ramorum subcongestis axillaribus terminalibusque rubris aut purpureis; antheris ovoideis rostellatis, majorum connectivo ultra filamenti insertionem in appendicem truncatam subemarginatam porrecto, minorum cum filamento simpliciter articulato.

Fruticulus elegans circiter semimetralis erectus 2-3-chotome ramosus, ramis subgracilibus. Folia internodiis longiora læte virentia, 8-10 millim. circiter longa, 4-6 lata; suprema flores quasi involucrantia cæteris paulo latiora sunt et sæpe rubescunt. Calycis dentes angusti lineari-subulati erecti tubum oblongo-campanulatum æquantes. Petala fere centimetralia oblongo-obovata apiculata. Species fere omnium distinctissima. — In montosis subhumidis provinciæ *Minas-Geraes;* Riedel, Martius, Claussen.

47. MICROLICIA ELEGANS Ndn., *l. c.*

M. fruticosa subfastigiatim ramosa glaberrima isophylla viscidula?; foliis sessilibus erectis approximatis ovatis et ovato-orbicularibus acute cuspidatis integerrimis 1-nerviis rigidulis lævigatis sæpe rubentibus; floribus ad apices ramorum axillaribus terminalibusque approximato-glomeratis majusculis purpureis; calycinis dentibus lanceolatis tubum oblongum subæquantibus; antheris rostellatis, omnium connectivo ultra filamenti insertionem porrecto.

Frutex inter omnes decorus, ut plurimum subsemimetralis. Folia internodiis longiora, 5-7 millim. longa, 4-5 lata. Calycis dentes oblongo-lanceolati acuti demum decidui. Petala obovata apiculata 12-13 millim. longa. Antheræ oblongo-ovoideæ; majorum connectivi appendix subbiloba, minorum obtusa. — In variis locis Brasiliæ australis, provincia *Minas-Geraes*, Gardner, n° 4639; prope *Ponte-alto*, Aug. de Saint-Hilaire.

48. MICROLICIA CRENULATA Mart. *Nov. gen.*, tab. 251. — *Cambessedesia crenulata* DC. III, p. 111.

M. fruticulosa fastigiatim ramosissima superne tantum foliosa isophylla glabra viscidula; foliis orbicularibus apiculatis mucronulatis 1-3-nerviis sparse et obsolete impresso-punctatis; floribus ad apices ramorum subcongestis axillaribus terminalibusque purpureis aut albis; antheris ovoideis rostellatis.

Fruticulus elegans semimetrum et amplius altus, 2-3-chotome ramosus, ramis subvirgatis gracilibus. Folia internodiis æqualia interdumque illis breviora, 5 millim. circiter longa et lata. Calycis dentes triangulari-acuti tubum latiuscule campanulatum æquantes. Petala obovata 8-9 millim. longa apiculata. Staminum majorum connectivum appendice truncata terminatum, minorum ultra filamenti insertionem vix prominulum et fere simpliciter articulatum.—Planta statura, foliorum magnitudine et forma variabilis. Ut distinguatur sequens varietas necesse nobis videtur.

β. *Microphylla*, fruticulus 2-3-decimetralis ramosissimus scopæformis, foliis elliptico-obovatis acutis conspicue impresso-punctatis vix 3 millim. longis et 1 ½ latis. Nisi intermedia specimina essent inter hanc et priorem, eam certe pro distincta specie habuissemus. Sic forsan delendæ sunt in posterum quædam Microliciarum species.

In montosis frigidiusculis Brasiliæ australis; *Serra da Caraça*, Martius, Claussen; in monte *Itacolumi* prov. *Minas-Geraes*, Riedel.

49. MICROLICIA SERRULATA Cham., *l. c.* 390. — *M. ciliosa* Ndn., *l. c.*

M. fruticulosa fastigiatim ramosa superne tantum foliosa isophylla; ramulis 4-gonis, pilis sparsis patentibus hirtis; foliis sessilibus erectis late ovatis apiculatis margine patentim serrulato-ciliatis 1-nerviis, pagina superiore glabra inferiore parce pilosa impresso-punctatis; floribus axillaribus solitariis sparsis

nec ad apices ramulorum approximatis rubris; antheris oblongis ovoideove-oblongis rostellatis.

Fruticulus primo intuitu *M. crenulatæ* simillimus, accuratius autem observatus dissimilis, quamvis ei permultis characteribus statura et habitu potissimum conveniat. Folia internodiis ut plurimum æqualia, 6-7 millim. longa, 4-5 lata. Calycis dentes acuti tubum turbinatum hirtum æquantes. Petala obovata 6-7 millim longa margine interdum crispula. Staminum majorum connectivum appendice spathulata ultra filamenti insertionem porrecta terminatum, minorum vix prominulum. — In pascuis humidis circa *Itambe* prov. *Minas-Geraes;* Aug. de Saint-Hilaire. Habemus quoque specimen Sellowianum e Musæo Berolinensi missum.

50. MICROLICIA ISOPHYLLA DC. III, 120. — *M. pulchella* Mart. *Herb.* n° 916, non n° 947.

M. fruticulosa fastigiatim ramosa scopæformis isophylla glaberrima; ramis elongatis gracilibus apice tantummodo foliosis; foliis sessilibus erectis planis obovato-oblongis oblongove-ellipticis acutiusculis subobtusisque integerrimis immerse 1-nerviis, parce et vix conspicue punctulatis ideoque lævigatis; floribus ad apices ramulorum terminalibus axillaribusque solitariis breviter pedicellatis purpureis; antheris ovoideis rostellatis.

Fruticulus subsemimetralis, statura et foliorum forma magnitudine et viscositate variabilis. Huic accedunt quædam specimina *M. crenulatæ microphyllæ* a quibus vix foliis angustioribus differt. Folia internodiis subæqualia, interdum paulo breviora, 3-5 millim. longa, 1 lata, quandoque angustiora aut latiora. Calycis dentes triangulari-acutissimi tubum campanulatum æquantes. Petala late obovata acuta, 6 millim. longa, 5 lata. Staminum majorum connectivum appendice truncata integra porrecta terminatum, minorum simpliciter cum filamento articulatum. Specimina viscosiora exsiccata nigrescunt, alia foliis laxioribus quæ var. *laxam* Cham. constituunt colorem marcescentem retinent; an eadem species? — In campis herbosis Brasiliæ australis prope *Caxoeira* necnon in sylvis primævis prope *Ibitipoca* prov. *Minas-Geraes*, Aug. de Saint-Hilaire, et in permultis aliis locis ejusdem provinciæ; Martius, Claussen, Guillemin, Dupré, Riedel.

51. MICROLICIA SELLOWIANA. — *M. setosa* Cham. *Herb. Berol.* non DC.

M. fruticulosa ramosissima isophylla glabra; ramis junioribus 4-gonis; foliis non omnino sessilibus angustis linearibus planis acutis integerrimis, basi attenuata quasi petiolatis, 1-nerviis subenervibusque, pagina utraque impresso-punctatis; floribus ad apices ramulorum axillaribus terminalibusve pedicellatis solitariis; antheris ovoideis rostellatis.

Planta quamvis ad formam *M. scopariæ* vergens non vere fastigiatim ramosa, forsan 3 5-decimetralis, superne foliosa, inferne denudata. Folia internodiis nunc multo longiora, nunc iis subæqualia imo, sed rarius, et breviora, 7-9 millim. longa, 1 lata, folia *Taxi baccatæ* vel potius *Juniperi communis* in mentem revocantia. Calycis visciduli dentes subulati tubo oblongo-campanulato breviores. Petala obovato acuta nec retusa. Staminum majorum connectivum ultra filamenti insertionem in appendicem obtusam porrectum, minorum vix prominulum. — Species a clariss. Chamissoe pro *M. setosa* DC. habita quamvis distinctissima. Genuinam Candolleanam formam *M. setosæ* habemus in herbario Parisiensi nec non Hilariano.

Var. β *ciliata;* foliis sparse pilosulis remote patentimque ciliatis.

In Brasila meridionali; Sellow. Specimen e Musæo Berolinensi missum sub nomine *M. setosæ*. Var. β in petrosis ad aquæ saltum vulgo *Grumatahy* et circa oppidulum *Tijuco* provinciæ *Minas - Geraes;* Aug. de Saint-Hilaire.

52. MICROLICIA TAXIFOLIA Ndn., *l. c.*

M. fruticulosa subfastigiatim ramosa isophylla glabra; ramis 4-gonis crassiusculis, supremis nonnihil quadrialatis; foliis non omnino sessilibus lanceolato-linearibus planis subacutis integerrimis basi in petiolulum quasi attenuatis 1-nerviis, pagina utraque impresso-punctulatis; floribus ad apices ramulorum terminalibus axillaribusque solitariis brevissime pedicellatis.

Fruticulus ut videtur 2 4-decimetralis, superne foliosus, inferne denudatus. Rami nec graciles, nec recti ut in sequentibus speciebus. Folia internodiis duplo interdumque subtriplo longiora, 1 centim. et amplius

longa, 1-1 ½ millim. lata, folia *Taxi baccatæ* referentia sed angustiora. Calycis dentes acuti tubo campanulato paulo breviores. Petala obovata apiculata subinæquilatera, 12 millim. longa. Genitalia haud visa. Capsulæ crassitie seminis cannabini. — In Brasilia septentrionali prope urbiculam *La Jacobina*, provinciæ *Bahia;* Blanchet.

53. Microlicia formosa Cham., *l. c.* — *M. glossophylla* Ndn., *l. c.*

M. fruticulosa fastigiatim ramosa scopæformis isophylla glaberrima; ramis elongatis gracilibus apice tantummodo foliosis; foliis sessilibus erectis planis obovato-oblongis oblongove-ellipticis acutiusculis subobtusisque integerrimis immerse 1-nerviis, parce et vix conspicue punctulatis ideoque lævigatis; floribus ad apices ramulorum terminalibus axillaribusque solitariis breviter pedicellatis purpureis; antheris ovoideis rostellatis.

Planta circiter semimetrum alta. Folia 6-8 millim. longa, 1-1½-2 lata, internodiis longiora, forsan in planta viva viscidula. Calycis dentes triangulari-acuti tubo campanulato manifeste breviores. Petala obovato-acuta circiter centimetralia. Staminum majorum connectivum in appendicem truncatam subretusam porrectam terminatum, minorum ultra filamenti insertionem prominulum. — In provincia *Minas-Geraes* circa *Pico d'Itabira;* Claussen.

54. Microlicia Linifolia Cham., *Linn.*, IX, 395. — Ndn., *l. c.* — *Lavoisiera Linifolia* DC., III, 104.

M. fruticulosa erecta fastigiatim ramosa gracilis isophylla viscidula glaberrima oligantha submacrantha; ramis virgatis lentis e tetragono teretiusculis; foliis breviter petiolatis erectis carnosulis angustis linearibus acutis et quasi acerosis immerse 1-nerviis obsolete punctulatis, marginibus subreflexis; floribus ad apices ramorum axillaribus subterminalibusque solitariis brevissime pedicellatis purpureis; calycibus vernicosis violaceis vel purpurascentibus, dentibus linearibus tubo longioribus; antheris oblongo-ovoideis rostellatis.

Specimen nostrum unicum sed completum fruticulus est 7 decimetra altus, radice fibrosa descendente nec repente, caule inferne simplicissimo

superius pauci-ramoso, vix crassitie pennæ anserinæ. Rami graciles elongati superne foliosi ad basim denudati. Folia internodiis duplo triploque longiora, sesquicentimetrum longa, 1 millim. et quod excedit lata, basi in petiolulum manifestum attenuata. Petala obovato-acuminata, 12 millim. longa. Antherarum majorum connectivum ultra insertionem filamenti in appendicem truncatam vix retusam porrectum, minorum prominulum.

Hæc planta genuina est *Lavoisiera Linifolia* DC. seu *M. Linifolia* recentiorum auctorum. Cavendum est ne confundatur cum speciebus analogis. — In Brasiliæ provincia *Minas-Geraes* prope *Tijuco;* Vauthier.

55. MICROLICIA SCOPARIA DC., *Prodr.*, III, 120. — *Rhexia scoparia* Aug. Saint-Hil. in Bonpl., *Rhex.*, tab. 59. — *M. Arenariæfolia* DC.. *l. c.*

M. fruticulosa glaberrima fastigiatim ramosa microphylla isophylla; ramis gracilibus; foliis lineari-subulatis angustis acutissimis, supra canaliculatis, subenervibus punctulato-rugosulis; floribus terminalibus solitariis rubris; calycinis dentibus angustis subulatis tubo campanulato longioribus.

Planta circiter semimetralis erecta scopæformis, superne foliosa, inferne denudata, habitu fere ericaceo. Folia 6-8 millim. longa, non unum lata, erecta internodiis vix longiora. Petala obovato-acuta 9 millim. et quod excedit longa. Antheræ oblongo ovoideæ rostellatæ, majorum connectivo ultra filamenti insertionem in appendicem obtusam et truncatam porrecto, minorum vix prominulo vel potius cum filamento simpliciter articulato. Planta a Brasiliensibus scopis fabricandis usurpata. — In arenosis prope *Chapadao* provinciæ *Minas-Geraes;* Aug. de Saint-Hilaire.

Specimen Sellowianum habemus e Musæo Berolinensi sub nomine *M. scopariæ* communicatum, plantæ genuinæ Hilarianæ non omnino consimile. Differt potissimum foliis longioribus, magis linearibus nec omnino subulatis ut in planta nostra, sed mera varietas videtur.

Huic speciei, utpote meram varietatem, *M. Arenariæfoliam* DC. adjungemus, quæ ab Hilariana planta nonnisi habitu magis scopæformi et ramis gracilioribus nobis differre visa est. Præter illas nullius momenti differentias, duæ sibi invicem formæ conveniunt. Hanc habemus e Musæo Berolinensi missam et in Brasilia a Sellowio lectam.

56. Microlicia multicaulis Mart., *Herb.*, n° 932. — Ndn., *l. c.*, 1845.

M. fruticulosa fastigiatim ramosissima scopæformis glaberrima isophylla microphylla submicrantha; ramis et ramulis elongatis gracillimis; foliis angustis lineari-subulatis acutis et mucronulatis immerse uninerviis rugosulis; floribus terminalibus axillaribus solitariis brevissime pedicellatis; antheris minutis ovoideis rostellatis.

Species dubia, *M. scopariæ* etiam proxima et forsan olim conjungenda quamvis characteribus haud omnino inconspicuis a *M. scoparia* nostra differat. Specimina *M. multicaulis* quæ habemus fruticuli sunt 3-4-decimetrales erecti, radice fibrosa et descendente, caule inferne simplicissimo mox fastigiatim ramosissimo unde planta omnino fit scopæformis. Rami quam in *M. scoparia* graciliores et numerosiores. Folia internodiis longiora erecta, 5-8 millim. longa, non unum lata. Calycis dentes subulati tubo campanulato interdum purpurascente sublongiores. Petala obovata apiculata, 6 millim. circiter longa. Staminum majorum connectivum in appendicem latam bilobam et quasi cordiformem terminatum, minorum cum filamento simpliciter articulatum nec prominulum. — In Brasiliæ provincia *Minas-Geraes;* Claussen, Martius.

57. Microlicia imbricata Cham., *l. c.*, 395.

M. fruticulosa multicaulis erecta glabra viscidula microphylla nec omnino isophylla; caulibus ramisve gracillimis strictis; foliis sessilibus erectis subimbricatis planis oblongo-subulatis acutis integerrimis immerse 1-nerviis punctulato-rugosulis; floribus terminalibus subsolitariis sessilibus purpureis; calycinis dentibus triangulari-subulatis tubo campanulato vix longioribus; antheris oblongo-ovoideis rostellatis.

Specimen nostrum a clar. Chamissoe communicatum rhizoma est tortuosum ex quo plurimi caules decimetrales oriuntur. *M. imbricata*, ut illius eleganter et rite describendi magistri verba adhibeam « fruticulus est campestris igni obnoxius, quo forsan, ut *Buxus* sub forcipite hortulani, faciem et habitum mutat, deustos caules iterum iterumque renovans. » Rhizoma lignosum crassitie fere digiti (Cham.), multiceps. Folia internodiis longiora, 4-7 millim. longa, 1 lata et sæpe angustiora, ad basim caulium ramorumque qui tunc articulati videntur caduca. Petala

oblongo-obovata apiculata ferme centimetralia. Staminum majorum connectivum ultra filamenti insertionem in appendicem obtusam porrectum, minorum prominulum. — In Brasilia verisimiliter meridionali sed loco haud designato; Sellow.

58. Microlicia Ericoides Don? — Mart., *Herb.*, n° 915. — Ndn., *l. c.*

M. fruticulosa fastigiatim ramosissima scopæformis apice tantum foliosa glaberrima isophylla microphylla submicrantha; ramis et ramulis di-trichotomis 4-gonis articulatis; foliis non omnino sessilibus linearibus angustis acutis immerse 1-nerviis rugosulis; junioribus suberectis, vetustioribus patulis; floribus ut plurimum terminalibus solitariis breviter pedicellatis rubris aut purpureis; antheris ovoideis rostellatis.

An nostra genuina sit Donæana species, ex impari descriptione haud facile comperiendum, sed quum celeberrimus Martius ipse hanc uti *M. Ericoidem* indigitavit, nobis sit illíus auctoritas lex et norma. Specimina Parisiensia fruticuli sunt erecti pedales et semimetrales, radice fibrosa et descendente nec repente, caule a crassitie pennæ anserinæ ad digiti crassitiem variante tortuoso, ramis gracilibus sed subtortuosis nec virgatis uti in præcedentibus speciebus, ramulis novellis (qui verticem plantæ occupant) solummodo foliosis, vetustioribus omnibus denudatis. Folia internodiis duplo longiora, 5-8 millim. longa, junioribus exceptis, patula interdumque subreflexa. Calycis dentes angustissimi lineares acuti tubum campanulatum æquantes. Petala obovato-lanceolata acuta, 6 millim. longa. Staminum majorum connectívum appendice obtusa integra terminatum, minorum ultra filamenti insertionem vix conspicue prominulum. — In graminosis subhumidis montium *Itacolumi* et *Pico do Itabira do Campo* in provincia *Minas-Geraes;* Riedel et Claussen. Specimen e Martiano herbario quoque habemus.

c *Chætostomoideæ;*

Fruticuli fere omnino glabri, foliis rigidis acutis pungentibus quadrifariam imbricatis aut arcte adpressis et, ut in Chætostomate, ramos loricantibus; calycibus inermibus vel infra limbum aculeolorum corona cinctis.

59. Microlicia loricata Ndn., *l. c.*

M. fruticulosa; caulibus simplicibus vel parum ramosis; foliis

coriaceis sessilibus quadrifariam imbricatis subimbricatisve adpressis ovato-acutis setuloso-ciliatis glabris multivenosis nervosisve subcarinatis; floribus terminalibus solitariis-ternis purpureis.

Planta 1-3-decimetralis erecta lignosa caulibus subgracilibus. Folia 3-4 millim. longa, 2-3 lata. Calycis dentes acuti tubum subæquantes rigiduli, tarde decidui. Petala oblongo-obovata apice rotundata, sesquicentimetrum circiter longa. Stamina inæqualia antheris oblongo ovatis rostellatis, connectivo majorum longe producto et in appendicem truncatam emarginatam ultra filamenti insertionem porrecto, minorum basi nonnihil bilobo. Planta Lavoisierarum quarumdam habitum quodammodo refert. — In arenosis siccioribus Brasiliæ meridionalis prope *Chapadao;* Aug. de Saint-Hilaire.

60. Microlicia Selaginea, Ndn., *l. c.*

M. fruticulosa glabra di-trichotome ramosa; foliis coriaceis rigidis sessilibus triangulari-lanceolatis acutissimis 1-nerviis subcarinatis adpressis subimbricatisque; floribus terminalibus solitariis-ternis aureis.

Planta 2-4-decimetralis habitu *Chætostomati pungenti* simillima. Folia 5-8 millim. longa, 1 mill. et quod excedit lata. Calycis dentes triangulari-acutissimi rigidi tubum aculeolis armatum æquantes persistentes. Petala late obovata apiculata 6 millim. longa. Antheræ oblongo-ovoideæ subacutæ et rostellatæ, majorum connectivo ultra filamenti insertionem porrecto et bilobo, minorum basi simpliciter articulato et vix incrassato. Planta exsiccata lutescit. — In arenosis Brasiliæ australis prope *Chapadao* cum præcedente; Aug. de Saint-Hilaire.

61. Microlicia stenocladon Ndn., *l. c.*

M. fruticulosa ramosissima glabra; ramis subgracilibus articulatis erectis; foliis omnino adpressis coriaceis sessilibus triangulari-lanceolatis acutissimis nervoso-striatis integerrimis aut rarius denticulato-spinosulis subcarinatis; floribus terminalibus ut plurimum solitariis, flavis ?

Planta 3 ad 6 decimetra alta. Folia 4-5 millim. longa, 1 lata. Calycis dentes acuti nervosi rigidi tubum setoso-aculeolatum æquantes persistentes aut tarde decidui. Petala obovata vix apiculata, 8-9 millim. longa,

flava vel aurantiaca videntur. Antheræ oblongo-ovoideæ rostellatæ, majorum connectivo ultra filamenti insertionem in appendicem truncatam obtusam porrecto, minorum cum filamento simpliciter articulato. Planta exsiccata lutescit. — Inmontibus *Pyrenæos* Brasiliæ australis, haud procul ab urbe *Meia-Ponte* provinciæ *Goyaz*; Aug. de Saint-Hilaire.

Species addendæ, partim vero revisendæ:

62. M. Trembleyæformis Ndn., *l. c. Herb.* Aug. St-Hil.
63. M. cryptandra Ndn., *l. c. Herb.*, Aug. St-Hil.
64. M. acuminata Ndn., *l. c. Herb.* Deless.
65. M. glutinosa Ndn., *l. c. Herb.* Deless.
66. M. hispidula Ndn., *l. c. Herb.* Deless.
67. M. chamæpitys Ndn., *l. c. Herb.* Aug. St-Hil.
68. M. subuliformis Ndn., *l. c. Herb.* Deless.
69. M. Serpyllifolia DC., III, 118.
70. M. Marifolia DC., *l. c.*
71. M. subsetosa DC., *l. c.*
72. M. Seringeana DC., *l. c.*
73. M. vestita DC., *l. c.*
74. M. glabra DC., *l. c.*
75. M. Linophylla DC., *l. c.*
76. M. cupressina DC., *l. c.*
77. M. trichocalycina DC., *l. c.*
78. M. hypericoides Cham. *Linn.*, IX, 289.
79. M. Melastoma Manso et Lhotzki ex Cham. *l. c.*
80. ? M. juniperina Aug. St-Hil., *Voy. au distr. des Diam.*, I, 337.
81. M. Chamissois. — *Chætostoma microlicioides* Cham., *Linn.*, IX, 382.

Species exclusæ :

M. brevifolia DC.	NOTEROPHILA BREVIFOLIA Ndn.
M. bivalvis DC.	NOTEROPHILA BECCABUNGA Mart.
M. limnobios DC.	NOTEROPHILA INUNDATA Mart.
M. Alsinæfolia DC. . . .	URANTHERA ALSINÆFOLIA Ndn.
M. punctatissima DC. . .	URANTHERA?
M. recurva DC.	URANTHERA RECURVA Ndn.
M. variabilis DC.	URANTHERA VARIABILIS Ndn.
M. lanceæflora DC. . . .	URANTHERA VARIABILIS Ndn.
M. violacea DC.	TETRAMERIS MARTIANA? Ndn.
M. viscidula Cham., *l. c.* . .	TETRAMERIS VISCIDULA, Ndn.

VIII. *TREMBLEYA.*

TREMBLEYA DC., *Prod.*, III, 125. — Mart., *Nov. gen.*, III, 104. — Cham., *Linnæa*, IX, 428. — Ndn., *Ann. des sc. nat.*, 1844, p. 154. — Endlicher, *Gen.*, nº 6206.

Flos 5-merus. Calyx campanulatus vel urceolatus, dentibus tubum longitudine æquantibus aut superantibus, acutis. Petala obovata acuta aut obtusa nonnumquamque retusa. Stamina 10, alternatim inæqualia, antheris ovatis ovato-v.-oblongis, rostello oblique poroso terminatis; majorum connectivo infra loculos longe producto arcuato et ultra filamenti insertionem in appendicem clavatam obtusam emarginatamve porrecto; minorum multo breviore et ad insertionem filamenti non aut vix appendiculato. Ovarium ima tantum basi adhærens, 5-loculare rarius, et forsan abortu, 4-loculare. Stylus parum incurvus, stigmate punctiformi. Capsula apice loculicide 5-valvis. Semina ovato-reniformia.

Frutices et fruticuli Brasiliæ meridionalis indigeni ramosi floribundi; foliis sæpe visco madentibus; floribus purpureis roseis aut flavis.

Genus habitu specierum omnino heteromorphum et quodammodo bifrons ideoque parum naturale quamvis eadem floribus adsit structura; cæterum *Lavoisieræ*, *Stenodonti* et præsertim *Microliciæ* proximum.

A. Trembleyæ veræ.

Calycis tubus campanulatus sub limbo nonnihil constrictus. Stamina valde inæqualia, minorum connectivo infra loculos breviter producto et cum filamento simpliciter articulato nec porrecto. Frutices et fruticuli foliis ut plurimum petiolatis ; floribus solitariis aut cymosis non autem vere paniculatis. Plantæ exsiccatæ nigrescunt.

1. Trembleya pityoides Cham., *l. c.*

T. fruticulosa trichotome et fastigiatim ramosissima scopæformis, apice tantum dense foliosa microphylla glabra ; ramis vetustioribus excoriatis, junioribus 4-gonis, angulis uti et foliorum margines crispulis; foliis angustissimis linearibus 1-nerviis rugosulis; floribus ad apices ramulorum axillaribus solitariis breviter pedicellatis, roseis?

Folia 12-15 millim. longa, vix 1 lata aut angustiora, basi in petiolulum attenuata, acuta, internodiis multo longiora. Calycis dentes angusti subulati tubum æquantes. Petala nec genitalia visa.

Specimen aliud a Weddellio relatum habemus quod neque cum *T. Rosmarinoide* Mart. et DC. neque cum *T. Pityoide* Cham., cui tamen affinius est, omnino quadrat. Planta est scopæformis, apice dense foliosa et viscosa, inferius denudata. Folia quam in *T. Rosmarinoide* longiora sunt nec, ut in hac specie, transverse nervulosa sed rugosula et illis *T. Pityoidis* fere simillima, flores autem (si ex sicco specimine judicandum sit) luteola sunt nec rosea. Propter habitus similitudinem tamen hanc formam *T. Pityoidi* consociamus sub nomine *T. Pityoidis Weddellianæ*, quæ varietas forsan olim ad dignitatem speciei promovenda est. — In Brasilia meridionali ; Sellow. Var Weddelliana in provincia *Minas-Geraes.*

2. Trembleya stenophylla †.

T. fruticulosa ramosissima microphylla; ramis 4-gonis inferne subnudatis articulatis; foliis elliptico-linearibus oblongis obtusis 1-nerviis integerrimis vel infra apicem denticulo uno et altero vix perspicuo ornatis, pagina utraque glabris aut inferiore tenuissime pubentibus; floribus ad apices ramulorum axillarium terminalibus solitariis, breviter pedicellatis.

Fruticulus, si ex uno specimine judicandum sit, 3-4-decimetralis.

Folia internodiis duplo triplove longiora circiter sesquicentimetrum longa, 2-3 millim. lata. Calycis dentes angusti lineari-subulati tubum æquantes. Petala nec genitalia visa.

Plantam nostram, primo intuitu, pro *T. Rosmarinoide* DC. habueramus, sed accuratius considerata Martiana icone (*Nov. Gen.*, III, tab. 249) non potuimus eam uti speciem propriam a Martiana et Candolleana non sejungere, a qua discrepat foliis fere duplo longioribus et latioribus, habitu nonnihil vario et dentibus calycinis multo angustioribus. Videant posteri botanici an in errorem delapsi fuerimus. — Prope *Capanema* in provincia *Minas-Geraes*; Claussen.

3. Trembleya calycina Cham., *l. c.*, 430. — *T. revoluta* Ndn., *l. c.*, 155.

T. fruticosa tri-polychotome ramosa glabrescens; ramis 4-gonis subalatis, apice solummodo foliosis, inferne denudatis, articulatis pubescenti-pulverulentis; foliis breviter petiolatis elliptico-oblongis margine utroque revolutis et sic folia linearia mentientibus 1-nerviis, pagina superiore viscidula, inferiore transverse nervulosa et punctulata; floribus ad apices ramulorum axillarium terminalibus solitariis breviter pedicellatis.

Frutex erectus forsan metralis, *T. trifloræ* habitu proximus quamvis cum *T. stenophylla* affinitate non careat; inter has duas species, ut potius dicamus, intermedius. Folia internodiis triplo-quintuplove longiora obtusa, inferne in petiolulum attenuata, marginibus sæpe ad nervum medium usque reflexa, 1 $\frac{1}{2}$-2 centim. longa, 4-8 millim. lata. Calycis dentes angusti subulati tubum æquantes. Petala nec genitalia visa. — In provincia Brasiliæ australis *Minas-Geraes;* Claussen.

4. Trembleya triflora DC., III, 126. — *T. heterostemon* ejusdem, *l. c.*

T. fruticosa ramosissima puberula multiflora; ramis magis minusve 4-gonis; foliis petiolatis lanceolato-ellipticis planis obtusis subobtusisque integerrimis 3-nerviis, pagina superiore glabra vel glabrescente tenuissime punctulata viscidula, inferiore puberula punctulata et transverse nervulosa; floribus ad apices ramulorum axillarium cymoso-corymbosis aut paniculatis pedicellatis, purpureis roseis aut albis.

Frutex 1 et rarius 2-metralis florum et foliorum abundantia decorus.

Folia maxime variant magnitudine, in ramis primariis 3-5 centim. longa sunt et 1-1 ½ lata, in secundariis sæpe duplo et triplo minora, petiolo ½-1-centimetrali. Calycis dentes subulati tubum campanulatum et sub limbo constrictum æquantes. Petala obovata apiculata circiter centimetralia. Stamina valde inæqualia, majorum connectivum longe productum arcuatum et ultra filamenti insertionem appendice biloba terminatum, minorum infra loculos brevissimum et cum filamento simpliciter articulatum. *T. heterostemonem* merito delevit Chamissoes quæ a *T. trifloræ* typo nulla nota discrepat. — In Brasilia meridionali videtur vulgatissima; Martius, Claussen, Riedel, Guillemin, Dupré, Aug. de Saint-Hilaire, etc.

5. Trembleya tridentata Ndn., *l. c.*, 154.

T. fruticosa ramosa glaberrima viscosa; ramis 4-gonis; foliis petiolatis late ovatis obtusis remote et breviter serratis 3-nerviis, pagina superiore lævi nitida et vernicosa, inferiore tenuissime punctulata et transverse nervulosa; floribus ad apices ramulorum axillarium in cymas plerumque 3-floras dispositis, purpureis aut albis.

Frutex submetralis erectus *T. trifloræ* affinis sed statura minore et debiliore, foliis multo latioribus et brevioribus necnon staminum majorum fabrica diversus. Folia 2-3 centim. longa, 1-2 lata, petiolo 5-8-millimetrali. Calycis dentes triangulari-acutissimi tubo campanulato 5-nervoso longiores. Petala ut in *T. triflora*. Staminum majorum connectivum infra loculos longe productum arcuatum et ultra filamenti insertionem appendice plana triangulari antice tridenticulata terminatum. Capsula haud visa. — In montibus *Serra de San-Jose* provinciæ *Minas-Geraes;* Aug. de Saint-Hilaire.

6. Trembleya pentagona Ndn., *l. c.*

T. fruticosa glabra viscidula; ramis 4-gonis; foliis subcoriaceis petiolatis late obovatis ovatisque obtusis vel subacutis remote denticulatis 3-nerviis, nervis subtus carinato-prominentibus; floribus ad apices ramulorum axillarium terminalibus, ut plurimum solitariis, breviter pedicellatis; calycibus subpentagonis 10-costatis viscosissimis.

Planta *T. trifloræ* etiam affinis sed notis pluribus ab ea distincta, sci-

licet habitu contractiore et rigidiore, ramis crassioribus, foliis pro longitudine multo brevioribus imoque interdum suborbicularibus. Nec minus adest discrimen in inflorescentia et calycis structura ut jamjam patebit. Folia internodiis fere triplo et quadruplo longiora 1 ½-2 centim. longa, 1-1 ½ lata, petiolo 4-7-millimetrali crassiusculo. Nervuli transversi in pagina inferiore foliorum sæpe ut nervi primarii prominentes et carinati foveolas ipsis parallelas includentes, unde folia vetustiora quasi bullata videntur. Calycis dentes triangulari-subulati acutissimi dorso carinati tubum late campanulatum æquantes. Petala obovata vix apiculata centimetralia, forsan purpurea aut rosea. Stamina cæterum ut in *T. triflora*, sed capsulæ quam in hac specie crassiores. — In montibus vulgo *Serra d'Ouro Branco* provinciæ *Minas-Geraes;* Aug. de Saint-Hilaire.

7. Trembleya lychnitis DC., *l. c.*, 126.

T. fruticosa ramosa tomentoso-canescens macrantha; ramis subteretibus; foliis petiolatis rigidulis oblongo-ovatis acutis subintegerrimis 3-nerviis, pagina superiore glabratis inferiore cano-tomentosis; floribus ad apices ramulorum axillarium approximatis aut solitariis, breviter pedicellatis.

Frutex inter omnes hujus generis statura habitu et magnitudine florum conspicuus nec tamen pro alterius sectionis typo, ut autumavit Candolleus, habendus; manifeste enim prioris characteres refert in staminum fabrica, inflorescentia et foliorum colore quæ nigrescunt in speciminibus exsiccatis. Quamvis nullam indicationem de statura hujus elegantissimi fruticis habeamus, e ramis qui herbarii Parisiensis penes sunt plantam metralem sesquimetralemve judicamus. Folia 4-6 centim. longa, 1 ½-2 lata, petiolo centimetrali. Calycis dentes subulati propter tomentum teretes, tubo campanulato multo longiores. Petala obovata retusa, 2 ½ centim. longa, colore nobis ignoto (flavum suspicatur Candolleus, nos roseum aut album). Stamina valde inæqualia illis *T. trifloræ* simillima. Capsulæ haud visæ. — In permultis locis Brasiliæ australis præsertim provinciæ *Minas-Geraes;* Martius, Claussen, Vauthier, de Pissis.

B. Heterogenæ.

Calycis tubus urceolatus. Stamina inæqualia sed non dissimilia, id est, minorum connectivo quam majorum vix breviore et ultra filamenti insertionem pariter in appendiculam porrecto. Plantæ suffrutescentes et

subherbaceæ, foliis sessilibus aut brevissime petiolatis, floribus ut plurimum paniculatis. Exsiccatæ lutescunt.

8. TREMBLEYA PHLOGIFORMIS DC., *l. c*, 126.

T. suffruticosa erecta ramosa; corollis genitalibusque exceptis, tota pube glandulifera hirtella; ramis subtetragonis; foliis sessilibus aut breviter petiolatis ovato-ellipticis ellipticove-oblongis acutis argute serrulatis 3-5-nerviis; floribus ad apices ramorum paniculatim dispositorum alaribus terminalibusque pedicellatis purpureis.

Planta basi lignosa, superne subherbacea, $\frac{1}{2}$-1-metralis erecta, ramis subvirgatis, cæterum variabilis. Folia internodiis nunc breviora nunc longiora magnitudine variant. Caulis et ramorum primariorum 4-6 centim. longa sunt, 1-2 lata, secundariorum sæpe duplo et triplo minora ita ut in ramulis floriferis ad bracteolarum statum minuantur. Calycis dentes lineari-subulati tubum urceolatum subæquantes. Petala obovato-oblonga acuminata 1-1 $\frac{1}{2}$ centim. longa. Staminum majorum appendiculæ porrectæ inflatæ, minorum bilobæ, cæterum antheris ipsis subæquales. Capsulæ 5 et 4-loculares.

T. phlogiformis, ut hic definitur, plures forsan species minoris ordinis includit quas pro meris varietatibus habemus. Adsunt enim specimina quibus ovarium 5-loculare est, alia quibus 4-loculare. Occurrunt quoque differentiæ leviores in habitu, foliorum magnitudine, inflorescentia, florum partium fabrica, vestitu, etc. Hæc videant posteri. — In Brasilia australi frequens; Claussen, Vauthier, Guillemin, Riedel, de Pissis, Gaudichaud, Martius.

9. TREMBLEYA NEOPYRENAICA Ndn., *l. c.*

T. fruticosa vel suffruticosa tota, corollis genitalibusque exceptis, puberula; foliis breviter sed manifeste petiolatis ovatis interdumque ellipticis subacutis crenulatis, præter nervulum utrumque marginalem, 5-nerviis, transverse nervuloso-reticulatis; floribus in paniculas terminales pyramidatas confertas digestis, roseis?

Specimen nostrum ramus est (forsan caulis?) e planta metrali decerptus, simplex, in inflorescentia tantum ramosus, obscure 4-gonus. Folia 5-7 centim. longa, 2-3 lata, in ramis paniculæ multo minora et in brac-

teas quasi mutata quamvis priorum formam retineant. Calycis dentes angusti lineares tubum subæquantes. Petala late obovata apiculata 7 8 millim. longa. Stamina fere ut in præcedente. Capsulæ crassitudine pisi, 5-loculares.

Species *T. phlogiformi* affinis sed distinguenda videtur. Differt potissimum habitu simpliciori, foliis majoribus et vere petiolatis, panicula confertiflora et petalis quam in *T. phlogiformi* latioribus.— In montibus vulgo *Pyreneos* (an potius *Perineos ?*) provinciæ *Goyaz ;* Aug. de Saint-Hilaire.

Species addendæ :

10. T. ROSMARINOIDES DC., III, 125.—Mart. *Nov. Gen.*, III, tab. 249.

11. T. AGRESTIS DC., *l. c.*, 126.

Quibus adjungenda est species anonyma, capsula 5-valvi donata, ad Microliciam a clar. Chamissoe relata (vide ad calcem generis in *Linnæa*, IX, p. 396) quam sub sequente nomine recipiendam proponimus, scilicet :

12. T. CHAMISSOANA Ndn.

Species deletæ :

T. heterostemon DC., *l. c.* — T. TRIFLORA.

T. stachyoides Ndn. quæ ad T. PHLOGIFORMEM reduci posse videtur.

T. revoluta Ndn. — T. CALYCINA Cham.

IX. *CENTRADENIA.*

CENTRADENIA Don., *Syst.*, II, 765. — PLAGIOPHYLLUM Schlecht, *Linnæa*, XIII, 429. — RHEXIÆ species Schlecht. et Cham., *Linnæa*, V, 567. — RHEXIA, Linn. — Endlich., n° 6178.

Flos 4-merus. Calyx subtetragonus campanulatus, dentibus brevibus. Petala obovata, apice rotundata aut acuta. Stamina 8 alternatim inæqualia ; antheris oblongo-ovoideis ovoideisve apice obtusis aut brevissime rostellatis 1-porosis, loculis undulatis, 4 majorum connectivo infra loculos longe producto arcuato et ultra filamenti insertionem in appendicem bilobam antice porrecto,

4 minorum multo minus producto et antice appendicula subglobosa subbilobave terminato. Ovarium liberum 4-loculare, apice setulis styli basim cingentibus coronatum. Stylus filiformis sigmoideus, stigmate punctiformi interdumque nonnihil capitellato. Capsula calyce persistente vestita, loculicide 4-valvis. Semina minuta ovoidea, hilo apicali.

Suffrutices fruticulive mexicani et guatemalenses monticolæ erecti ramosi; foliis petiolatis lanceolatis, in eodem jugo ut plurimum maxime disparibus, uno alterum nonnunquam decies et amplius superante; floribus ad apices ramulorum plerumque ternis quinisve, interdum corymbos mentientibus, roseis aut albis.

Genus naturale sed Microlicialium tribui habitu subheterogenum.

1. Centradenia rosea Don, *l. c.* — Lindl., *Bot. Reg.*, 1843, tab. 20.—Paxton, *Mag. of bot.*, X, 101.

C. fruticulosa erecta alternatim ramosa pro genere submicrophylla; ramis 4-gonis ad angulos præsertim hirsutis; foliis in eodem jugo omnino disparibus anguste lanceolatis utrinque acutis subtrinerviis pilosulis; floribus ad apices ramulorum axillarium solitariis-quinis roseis.

Planta 3-5-decimetralis foliosa floribunda, caule lignoso, ramis supremis herbaceis. Folia nonnihil inæquilatera integerrima, basi præsertim acuta et quasi in petiolum attenuata, alternatim adeo inæqualia ut plantam primo intuitu alternifoliam diceres; majora cujusque jugi 2-4 centim. longa, 4-6 millim. lata; opposita, prioribus cæterum conformia, vix semicentimetrum longa et 1 millim. lata. Petala obovata obtusa. Staminum omnium antheræ erostratæ undulatæ albæ; majorum appendicula connectivi porrecta cordiformis, minorum obtusa rotundata, omnium sulfureæ. — In rupestribus montium Mexicanorum vulgo *Cordillera*, ad altitudinem 600 et 1000 metrorum; Galeotti. — Species in hortis frequenter culta.

Species addendæ :

2. C. GRANDIFOLIA Endl., *Mss.* — *Plagiophyllum grandifolium* Schlecht., *l. c.*

3. C. INÆQUILATERALIS Don, *l. c.*—*Plagiophyllum parvifolium* Schlecht., *l. c.*

4. C. FLORIBUNDA Planch., *Flore des serr.*, avril, 1849.

EXPLICATIO ICONUM.

TABULA X, sistens characteres subordinum :

A. MELASTOMEÆ. Paradigma e *Gravesia Bertolonioide* desumptum.

a. Calyx dentibus duplicatis seu denticulum externum ipsis parallelum gerentibus.

b. Corolla explicata, staminum dispositionem in anthesi exhibens.

c. Stamina apice porosa, connectivo postice in appendicem obtusam producto.

d. Alabastrum paulo ante explicationem longitudinaliter sectum ut appareat staminum inflexio necnon placentarum in loculis ovarii dispositio.

e. Flos post anthesim, intactis placentis, longitudinaliter sectus, ovarii coronam styli basim cingentem ostendens.

f. Ovarium transversim resectum ut manifestentur loculorum numerus, placentarum fabrica et ovulorum dispositio.

B. ASTRONIEÆ. Ex *Astronia macrophylla*.

a. Flos nondum apertus.

b. Idem corolla nudatus et longitudinaliter sectus ut in evidentiam veniant placentarum dispositio et locus.

c. Stamina rimis duabus longitudinalibus dehiscentia.

d. Ovarium transversim sectum, unam e placentis ovulis onustam, alteram nudatam exhibens.

e. Capsulæ unius in emissione seminum irregulariter laceræ, reliquiæ e nervis calycinis induratis circa placentas radiantibus constantes.

C. KIBESSIEÆ. Ex *Ewyckia cyanea*.

a. Flos nondum apertus.

b. Idem absque corolla et longitudinaliter sectus, ad monstrandum placentarum locum et fabricam.

c. Stamina longitudinaliter dehiscentia (forsan rima unica).

d. Ovarium transversim resectum, 4-loculare, placentas parietales iterum exhibens.

e. Stylus stigmate lobato instructus.

D. MEMECYLEÆ. E *Spathandra cœrulea.*

a. Flos apertus.

b. Calyx seorsim visus.

c. Stamina brachyanthera, rimis duabus dehiscentia, connectivo postice in calcar breve producto.

d. Ovarium calyci adnatum longitudinaliter sectum, 1-loculare, pauci-ovulatum.

e. Idem transversim sectum, ovula 8 placentæ centrali brevi affixa exhibens.

f. Ovulorum fasciculus e fundo loculi cum placenta columnæformi evulsus et seorsim visus.

E. MOURIRIEÆ. E *Mouriria brevipede.*

a. Flos explicatus.

b. Idem post anthesim longitudinaliter sectus, ovulorum dispositionem demonstrans.

c. Stamina rimulis duabus brevibus subapicalibus lateralibusque aperta ; connectivo crasso, postice calcarato aut saltem producto.

d. Ovarium transversim sectum, 2-loculare, pauci-ovulatum.

e. Ovulorum fasciculus, ablato utroque dissepimento, ex ovarii cavitate evulsus.

f. Ovulum unum a columna centrali placentaria separatum, funiculum brevissimum lamellosum ostendens.

TABULA XI. MEISSNERIA MICROLICIOIDES ejusque floris partes explicatæ.

a. Calyx absque corolla.

b. Flos explicatus.

c. Petalum.

d. Stamina duo inæqualia, scilicet unum e majoribus et alterum e minoribus.

e. Ovarium calycis antica parte nudatum.

f. Idem transversim sectum ut appareant loculi duo et placentæ ovulis onustæ.

g. Capsula valvis duabus loculicide dehiscens.

h. Semina irregulariter ovoidea.

Tribus II. — LASIANDRALES.

Calycis limbus simplex, in dentes divisus. Stamina sæpissime alternatim inæqualia. Antheræ 1-porosæ aut rarissime 2-porosæ, nonnunquam breves truncatæ aut suborbiculares, sæpissime elongatæ subulatæ, interdum etiam in rostrum gracile apice at-

tenuatæ, connectivo ut plurimum infra loculos producto et sæpissime appendiculis varie conflatis ad ipsam filamenti insertionem antice terminato, postice rarissime tuberculato aut caudato. Fructus capsularis aut baccatus. Semina cochleata aut saltem, sed infrequenter, reniformi-ovoidea. Tribus amphigeæ genera sic ordinantur.

Conspectus generum.

GENERA NEOGEA.

—

A. *Gen. Brachyanthera.*

Plantæ exiguæ herbaceæ aut suffruticulosæ paucifloræ micranthæ, antheris brevibus truncatis aut suborbicularibus, 1-2-porosis; seminibus reniformi-ovoideis nec perfecte cochleatis. Non carent affinitate cum plantis tribus præcedentis et quasi inter illas et sequentes mediæ sunt.

Tulasnea.
Onoctonia.
Poteranthera.
Fritzschia.

B. *Gen. Dolichanthera.*

Herbæ, frutices, arbusculæ; antheris ut plurimum elongatis 1-porosis, rarius brevibus ovoideis; seminibus cochleatis aut subcochleatis.

Noterophila.
Dicrananthera.
Uranthera.
Comolia
Nepsera.
Desmoscelis.
Ernestia.
Dichætandra.
Appendicularia.
Pterogastra.

GENERA PALÆOGEA ET OCEANICA.

—

ASIATICA.

AFRICANA.

GENERA NEOGEA.	GENERA PALÆOGEA ET OCEANICA. — ASIATICA.	AFRICANA.
Macairea.		
Hephestionia.		
Oreocosmus.		
Lasiandra.	Melastoma. . .	Melastomastrum
	. . . .	Tristemma.
. . . .	. . . .	Argyrella.
Purpurella.		
Pachyloma.		
Ancistrodesmus.		
Micranthella.	Otanthera.	
	. . . . Osbeckia.	
Arthrostemma.	. . . .	Osbeckiastrum.
	. . . .	Nerophila.
Tetrameris.		
? Aciotis.		
Chætogastra.		
Castratella.		
Chætolepis.		
Spennera.		
. . . .	. . . .	Guyonia.
Haplodesmium.		
Heeria.		
Heteronoma.		
Heterocentron.		
Monochætum.		
Marcetia.		

Genera dubiæ sedis :

		? Dionycha.
		?Dichætanthera.
		? Rousseauxia.

Genera hujus tribus deleta :

Miocarpus Ndn. . . . . Noterophila.
Brachyandra Ndn . . . Arthrostemma.
Lachnopodium Blum . . Otanthera.
Grischowia Karst . . . Monochætum.

§ I. *Genera brachyanthera.*

X. *TULASNEA.*

TULASNEA Ndn., *Ann. des sc. natur.*, 1844, cum icone.

Flos 4-merus. Calycis dentes acuti, tubum campanulatum æquantes. Petala orbicularia. Stamina 8, alternatim majora fertilia et minora sterilia; antheris polliniferis orbiculatis vel late ovatis, non rostratis, late porosis; sterilibus minoribus; omnium connectivo infra loculos breviter producto, nonnunquam bitesticulato. Ovarium liberum 2-loculare. Stylus subclavatus; stigmate punctiformi. Capsula 2-valvis. Semina ovato-reniformia.

Herbæ brasilienses forsan paludosæ, annuæ debiles microphyllæ micranthæ; caulibus erectis simplicibus aut parum ramosis, paucifloris.

1. TULASNEA GRACILLIMA Ndn., *l. c.*

T. pusilla erecta; caule filiformi, vix decimetrali, sæpius unifloro; foliis minutis, paucissimis; connectivo bitesticulato.

In montibus Brasiliæ australis vulgo *Pyreneos* prope urbiculam *Meia-Ponte;* Aug. de Saint-Hilaire.

2. TULASNEA FOLIOSA Ndn., *l. c.*

T. caulibus 1-4-decimetralibus, adscendentibus, basi densius foliosis; foliis sublinearibus; connectivo infra loculos antheræ vix conspicuo.

In Brasilia australi; Aug. de Saint-Hilaire, Weddell.

XI. *ONOCTONIA.*

Flos 5-merus. Calycis campanulati dentes acuti tubum æquantes. Petala obovata. Stamina 10, alternatim majora perfecta et minora sterilia; fertilium antheris brevibus, ovatis suborbicularibusve, late 1-porosis; connectivo infra loculos producto et in articulatione filamenti antice bilobo vel bicalcarato; sterilium ferme prioribus conformibus, sed multo minoribus et efœtis. Ovarium liberum, 2-loculare; stylo filiformi, recto; stigmate punctiformi. Capsula loculicide 2-valvis. Semina reniformi-ovoidea.

Herbæ austro-americanæ, exiguæ, forsan paludosæ si ex habitu judicandum sit, erectæ, microphyllæ; floribus terminalibus axillaribusque, parvis.

Genus quoad habitum, calycis et ovarii fabricam naturale, quoad autem antherarum formam nonnihil artificiale, cæterum Tulasneæ proximum a qua differt flore 5-mero. Poterantheræ quoque affine est sed ab ea staminibus alternatim fertilibus et sterilibus necnon capsula bivalvi discrepat.

1. Onoctonia calcarata †. Tab. XII, fig. 2.

O. erecta sparse pilosa; caule caulibusve gracilibus parum ramosis; foliis minutis sessilibus ovatis semi-amplexicaulibus tenuissime serrulatis (sub lente), radicalibus approximatis, cæteris distantibus; floribus pedicellatis axillaribus terminalibusque, fere paniculatis.

Herba circiter decimetralis, caule basi vix subinflato. Folia 2-5 millim. longa, nervo medio vix conspicuo. Calyx pilis glanduliferis hirtus. Petala 3 millim. longa, obovata, obtusa. Staminum fertilium antheræ ovatæ, connectivo infra loculos longiuscule producto arcuato et antice in calcaria duo porrecto Stylus apice nonnihil clavatus. In Guyana gallica; Leprieur.

2. Onoctonia crassipes †. Tab. XII, fig. 4.

O. erecta simplex aut parum ramosa, inferne glabra, superne pilis glanduliferis hirtella; caule basi incrassato vel inflato; foliis minutis late ovatis semi-amplexicaulibus integerrimis enerviis; floribus axillaribus terminalibusque subsolitariis.

Herba 1-1 ½-decimetralis. Folia 3-4 millim. longa et lata. Petala lanceolato-obovata acuta. Antheræ breves, quasi truncatæ, connectivo infra loculos breviter producto et antice lobis duobus crassis rotundatis terminato. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Planta habitu *Noterophilam inundatam* referens. — In Guyana gallica; Mélinon

3. Onoctonia pauciflora †. Tab. XII, fig. 3.

O. erecta simplex (an semper?) glabella; caule supra radicem interdum subinflato; foliis minutis late ovatis semi-amplexi-

caulibus integerrimis, fere enerviis; floribus axillaribus terminalibusque paucissimis solitariis.

Plantula circiter decimetralis, simplicissima (saltem ex nostris speciminibus), subuniflora. Folia 2-3 millim. longa et lata. Calyx pilis aliquot glanduliferis instructus. Petala orbiculari-obovata, 4 millim. longa. Antheræ suborbiculares, late et oblique apertæ; connectivo breviter producto, arcuato, antice obtuse et crasse bilobo, latitudine antheram æquante in staminibus majoribus, in cæteris autem evidenter minore. An antheræ minores vere steriles? — In Guyana anglica; Schomburgk.

XII. *POTERANTHERA.*

Poteranthera Bong., *Mémoires de l'Académie des sciences de Saint-Pétersbourg*, 6e sér., vol. II, p. 137. — Endlich., *Gen.*. n° 6194.

1. Poteranthera pusilla Bong., *l. c.*, tab. 8, fig. 2.

XIII. *FRITZSCHIA.*

Fritzschia Cham., *Linn.*, IX, 397. — Endlich., *Gen.*, n° 6198.

Flos 4-merus. Calycis dentes tubum hemisphæricum æquantes. Petala elliptico-ovata obovatave. Stamina 8, æqualia subæqualiave; antheris ovoideo-oblongis, apice interdum subrostellato 1-porosis, connectivo infra loculos breviter producto et antice, præsertim in 4 majoribus quum flos est anisostemon, incrassato, bituberculato vel bicalcarato. Ovarium non omnino liberum sed ima basi adhærens, glabrum, 4-loculare. Stylus filiformis declinatus, stigmate punctiformi. Capsula 4-valvis. Semina reniformi-ovoidea.

Suffruticuli brasilienses ramosi microphylli glaberrimi, Serpylli facie et habitu; floribus terminalibus solitariis purpureis; in herbario nigrescentes.

1. Fritzschia integrifolia Cham. et Schl., *l. c.*, 398.

F. isostemon; foliis lanceolatis acutis 3-4-millimetralibus; antheris subrostellatis, connectivo vix bituberculato.

In Brasilia; Sellow.

2. Fritzschia anisostemon Cham. et Schl., *l. c.*

F. anisostemon; foliis ovatis obtusis 4-5-millimetralibus; antheris non rostellatis; connectivo antice bicalcarato.

In Brasilia; Sellow.

3. Fritzschia punctulata †.

F. isostemon; ramis gracilibus decumbentibus vel cæspitosis; foliis breviter petiolatis ovatis acutis integerrimis vel infra apicem dente uno et altero notatis; supra enerviis manifeste impresso-punctatis, subtus 3-nerviis; antheris non rostellatis, connectivo brevi, vix tuberculato.

Planta habitu *Thymum Serpyllum* omnino referens, *F. anisostemoni* proxima, sed folia acutiora et impresso punctata, et, quod gravioris est momenti, antheræ omnes æquales sunt nec connectiva calcarata. Non est magis confundenda cum *F. erecta* Cham. quæ differt caule ramisque erectis, foliis crenato-serratis nec impresso-punctatis. — In prov. Brasiliæ *Minas-Geraes;* Claussen.

Species addenda:

4. F. erecta Cham., *l. c.*, p. 399.

§ II. *Genera dolichantera.*

XIV. *NOTEROPHILA.*

Noterophila, Mart., *Nov. gen. et spec.*, III, p. 110. — Miocarpus Ndn., *Ann. des sc. nat.*, 1844, p. 146. — Microliciæ species DC., *l. c.* — Endlich., *Gen.*, n° 6196.

Flos 5-merus, rarius 4-merus. Calycis dentes acuti tubum campanulatum æquantes Petala obovata. Stamina petalorum numero dupla, sæpius inæqualia; antheris subulatis nec vere rostratis, majorum connectivo infra loculos longe producto arcuato et ultra filamenti insertionem in appendicem bilobam porrecto, minorum breviore et ad insertionem filamenti simpliciter bituberculato. Ovarium omnino liberum 2-loculare. Stylus rectus vel parum incurvus, stigmate punctiformi. Capsula calyce vestita, loculicide 2-valvis. Semina cochleato-reniformia.

Herbæ austro-americanæ paludosæ; foliis parvis sessilibus 1-3-nerviis; floribus ad apices ramorum axillaribus terminalibusque solitariis, purpureis aut roseis.

1. Noterophila inundata Mart., *l. c.*, et *N. limnobios* ejusdem. — *Microlicia inundata* et *M. limnobios* DC., *l. c.*, 117. — *Miocarpus paludosus* Ndn., *l. c.*

N. debilis ascendens; caule inferne inflato, 4-gono folioso parum

ramoso; foliis parvis late cordiformibus semi-amplexicaulibus subobtusis glabris mollibus; floribus 5-meris ad apices ramulorum axillaribus terminalibusque pedicellatis; antherarum majorum appendice ventricosa emarginata.

Caules 3-4-decimetrales. Folia 4-6 millim. longa et lata. Flores diametro ferme centimetrales. Planta variabilis habitu statura et magnitudine florum. — In paludosis Brasiliæ australis; Aug. de Saint-Hilaire, Martius, Weddell.

2. NOTEROPHILA BECCABUNGA Mart., *l. c.*. — *Microlicia bivalvis* DC.

N. caule 4-gono erecto simplici aut vix apice ramoso, basi subinflato; foliis sessilibus, inferne semiamplexicaulibus, ellipticis obtusis; floribus 5-meris, ad apices ramulorum solitariis terminalibus.

Planta sæpe uniflora, 2-3-decimetralis. Folia inferiora ovata interdumque subrotundata, circiter 5 millim. longa; superiora longiora angustiora et acutiora. Partes floris ut in præcedente, sed antherarum appendix minus est inflata. *N. inundatæ* mera verisimiliter varietas. — In paludosis Guyanæ et Brasiliæ septentrionalis; Martius, Blanchet.

3. NOTEROPHILA BREVIFOLIA. — *Microlicia brevifolia* DC. — *Melastoma trivalvis* Aublet.

N. erecta glabra; caule subalato tetragono simplici, superne tantum ramoso; foliis sessilibus, inferioribus ovatis obtusis, superioribus oblongis acutis; floribus 5-meris, ad apices ramorum axillaribus terminalibusque pedicellatis, paniculam fere formantibus.

Herba 2-6-decimetralis. Folia 7-10 millim. longa. Flores circiter diametro centimetrales aut paulo majores. Antherarum appendix bifida, plus minus inflata. — In Guyana gallica et anglica; Leprieur, Schomburgk.

4. NOTEROPHILA TETRAMERA †.

N. erecta glabra; caule tetragono, inferne simplici, superne ramoso; foliis sessilibus, infimis ovatis obtusis, superioribus lineari-oblongis, supremis angustis lineari-subulatis; floribus 4-meris ad apices ramorum solitariis roseis.

Planta 3-4-decimetralis. Folia circiter 1 centim. longa. Radix tuber-

culis albis oblongis instructa (ex clar. Weddell). Petala obovata apiculata. Stamina 8, æqualia, connectivo infra loculos parum producto et ad insertionem filamenti bitesticulato. — In arenosis paludosisque provinciæ *Goyaz*, Brasiliæ australis, prope *Salinas;* Weddell.

NOTEROPHILA PUSILLA †. Tab. XIII, fig. 1.

N. pusilla erecta simplicissima oligophylla pauciflora micrantha; caule gracili 4-gono breviter 4-alato, inferne subinflato; foliis parvis semiamplexicaulibus ovato-rotundatis glabris, inferioribus obtusis, superioribus paulo acutioribus; floribus solitariis terminalibus et axillaribus.

Plantula tenera decimetrum alta interdumque humilior, sæpe uniflora. Caulis, more plantarum quæ in locis inundatis vigent, basi nonnihil inflatus, superius gracilior et in angulis breviter marginatus, fere glaberrimus, flore uno aut altero breviter pedicellato terminatus queis interdum accedit et tertius in axilla penultimi foliorum jugi solitarius. Folia 3-4 millim. longa et lata, sub lente uni-trinervia, tenuissime punctulata, internodiis inferioribus duplo, superioribus triplo sextuploque breviora. Calyx pilis glanduliferis hirtellus, dentibus acutis. Petala 3-4 millim. longa videntur, obovata, rosea? Stamina maxime disparia; majorum fertilium anthera oblonga arcuata, connectivo infra loculos producto et bilobo; minorum vix perspicua efœta recta, connectivo infra loculos subnullo. Stylus sigmoideus, stigmate truncato. Capsula globosa bivalvis. — In Guyana anglica prope *Roraima;* Schomburgk.

XV. *DICRANANTHERA.*

DICRANANTHERA Presl, *Symb. bot.*, I, 75, tab. 50. — Cham., *Linnæa*, IX, 385. — Endlicher, *Gen.*, n° 6193.

Flos 4-merus. Calycis dentes acuti, tubum campanulatum subæquantes. Corolla 4-petala vel nulla. Stamina 8, inæqualia, inter se haud conformia; 4 majorum connectivum infra loculos longe productum arcuatum, ultra filamenti insertionem antice in calcaria seu cornua duo subulata adscendentia incurva antheram longitudine ferme æquantia porrectum; 4 minorum antheræ recurvæ, connectivo vix producto vixque tuberculato. Ovarium liberum 2-loculare. Stylus subsigmoideus clavatus, stigmate obtuso. Capsula 2-valvis. Semina cochleata.

Herbæ austro-americanæ paludosæ ramosæ; foliis subparvis; floribus axillaribus solitariis subsecundis.

1. Dicranantheia hedyotidea Presl., *l. c.* — Walp., *Repert.*, V, 688. — Tab. XIII, fig. 2.

D. apetala, circiter decimetralis; antheris majoribus subulatis, fere in rostrum oblique 1-porosum attenuatis; floribus omnibus axillaribus. An vere apetala ?

In uliginosis Guyanæ batavicæ; Kegel.

2. Dicranantheia Salzmannii †. Tab. XIII, fig. 3.

D. tetrapetala, circiter bidecimetralis (ex specimine nostro); antheris majoribus truncatis biporosis; floribus axillaribus et alaribus.

Folia lanceolato-obovata serrulata glabra, ferme centimetrum longa. Petala obovata subacuta, circiter centimetralia. Staminum majorum antheræ breves, quasi in medio transversim ruptæ (et forsan vere ruptæ in explicatione floris) ideoque biporosæ, connectivo postice angulato-inflexo. — In Brasilia septentrionali, prope Bahiam; Salzmann.

XVI. *URANTHERA.*

Uranthera Ndn., *Ann. des sc. natur.*, 3e sér., III, 1845. — Microliciæ spec. DC. *Prod.* et Mart., *Nov. gen.* — Rhexiæ spec. auctorum.

Flos 5-merus. Calycis dentes tubum campanulatum æquantes. Petala obovata. Stamina 10 alternatim inæqualia, antheris linearibus vel lineari-subulatis, 1-porosis; 5 majoribus sæpius arcuatis et tunc fere in rostrum longum oblique porosum attenuatis, connectivo infra loculos longe producto incurvo et ad insertionem filamenti antice bilobo aut bicalcarato, postice nonnunquam tuberculato; 5 minoribus subrectis, connectivo brevi antice tantum bituberculato. Ovarium liberum 3-loculare. Stylus filiformis aut subclavatus sigmoideus, stigmate punctiformi. Capsula 3-valvis. Semina ovoideo-cochleata.

Herbæ aut suffruticuli austro-americani et antillani, floribundi; floribus purpureis aut roseis, in locis humidis vigentes.

Genus a *Microlicia* cui a clar. Candolleo adjunctum fuerat, habitu, staminum et seminum forma certe diversum, *Tetrameridi* autem, *Comoliæ* imo et *Dicranantheræ* proximum. Nomen a vo-

cibus Οὐρὰ et ἀνθηρὰ quæ antheras quasi in caudam attenuatas indicant.

A. Antheræ majores non arcuatæ nec in rostrum attenuatæ sed obtusæ, connectivo longe bicalcarato.

1. URANTHERA DICRANOPHORA †.

U. herbacea ramosa sparse pilosula; ramis 4-gonis ut plurimum alternis apice dichotomis; foliis petiolatis lanceolato-obovatis subacutis basi attenuatis 3-nerviis; floribus breviter pedicellatis axillaribus solitariis subsecundis, rarius alaribus.

Planta 3-4-decimetralis, habitu *Dicranantheræ* et præsertim *D. Salzmannii* cui etiam quodammodo convenit staminum fabrica; ramis nonnihil divaricatis. Folia circiter 1 centim. longa. Calycis tubus globosus. Petala parva, mature caduca ideoque flores, primo aspectu, apetali facile crederentur. Connectivi appendices calcariformes erectæ acutæ, antheram longitudine subæquantes. Stamina minora recta, connectivo vix bilobo. Stylus subclavatus. Species a Candolleo et aliis melastomatographis cum *Microlicia recurva* confusa. — In Insula *Porto-Rico*, Riedlé.

β *trichotoma*, præcedenti similis sed opposite ramosa nec secundiflora. Connectivorum calcaria recurva sunt et minus acuta videntur.

In eadem insula; Plée.

B. Antheræ majores lineari-subulatæ, id est gradatim et fere in rostrum attenuatæ arcuatæ; connectivo bilobo vel breviter bicalcarato.

2. URANTHERA RECURVA Ndn., *l. c.*, p. 189. — *Microlicia recurva* DC., *l. c.* — *Rhexia uniflora* Vahl. et Spreng. — *Rhexia acisanthera* Willd.

U. subherbacea, interdum suffrutescens, erecta ramosissima pilis glanduliferis hirtella; ramis ut plurimum alternis, apice dichotomis; foliis petiolatis ovato-lanceolatis serrulatis parum conspicue 3-5-nerviis; floribus pedicellatis axillaribus alaribusque solitariis.

Planta 3-4-decimetralis, habitu maxime variabilis, facile tamen ab aliis speciebus distinguenda. Nulli enim convenit nisi forsan *U. dicrano-*

phoræ quæ staminum forma discrepat. Fortasse in posterum in species plures dividenda. Folia 1-1 ½ centim. longa, ½-1 lata, sæpe autem multo minora. Calyx subglobosus, glanduloso-puberulus. Petala purpurea aut violacea, caduca. Antherarum connectivum antice obtuse bilobum. Species vulgatissima. — In Guyana, Brasilia et forsan in Antillis; Weddel, Perrottet, Kegel, Mélinon, Bonpland, etc.

3. URANTHERA ALSINÆFOLIA Ndn., *l. c.* — *Microlicia Alsinæfolia* DC., *l. c.*

U. herbacea; caulibus erectis 4-gonis, basi subsimplicibus, superne opposite ramosis; foliis subsessilibus late ovatis acutiusculis vix serrulatis ciliatis 3-5-nerviis; panicula terminali; floribus majusculis purpureis.

Planta 3-4-decimetralis. Folia 1-3 centim. longa, 1-2 lata, interdum basi cordata, petiolo brevissimo aut subnullo. Petala obovata, 1 centim. et amplius longa. Staminum connectivum in insertione filamenti potius nodosum quam vere tuberculatum. — In Brasilia meridionali; Gaudichaud, Guillemin.

4. URANTHERA VARIABILIS Ndn., *l. c.* -- *Microlicia variabilis* DC.

U. suffruticosa vel potius subherbacea erecta pilis glanduliferis hirtella; foliis petiolatis late ovatis cordatis interdumque orbicularibus aut reniformibus serrulatis 3-5-nerviis; panicula opposite ramosa; floribus majusculis violaceis.

Planta ferme semimetralis. Folia 1 ½-2 centim. longa, 1-1 ½ lata, et sæpe multo minora. Petala obovata, 1 centim. longa. Staminum majorum connectivum obtuse bicalcaratum — In Brasilia meridionali; Gaudichaud, Riedel.

5. URANTHERA HOSTMANNII †.

U. herbacea erecta ramosa pilis glanduliferis brevibus sparsis hirtella; foliis mollibus petiolatis obovatis ovatisve serrulatis glabellis vix conspicue 3-nerviis; floribus ad apices ramorum axillaribus terminalibusque solitariis paucis.

Planta subgracilis (ex incompleto specimine), videtur 3-4-decimetralis. Folia ferme 1 centim. longa aut minora. Antherarum majorum connectivum antice bilobum, minorum vix bituberculatum. — In Guyana batavica; Hostmann.

EXTRAIT DES **ANNALES DES SCIENCES NATURELLES**, TOME XIII,
JANVIER 1850.

MELASTOMACEARUM

QUÆ IN MUSÆO PARISIENSI CONTINENTUR

MONOGRAPHICÆ DESCRIPTIONIS

ET SECUNDUM AFFINITATES DISTRIBUTIONIS

TENTAMEN.

(SEQUENTIA.)

Auctore **CAROLO NAUDIN.**

XVII. *COMOLIA.*

COMOLIA, TRICENTRUM et ARTHROSTEMMATIS spec. DC. *Prod.*, III. — Benth. in Hook, *Journ. of Bot.*, II. — HOSTMANNIA Steudel., *ined.* — RHEXIÆ species auctorum.. — Genus ab Endlicherio neglectum.

Flos 4-merus. Calyx campanulatus 4-dentatus. Petala obovata. Stamina 8 inæqualia conformia; antheris subulatis 1-porosis, connectivo infra loculos producto (longius in 4 majoribus), arcuato, antice ad insertionem filamenti bilobo vel biauriculato, postice interdum tuberculato et quasi calcarato (*Tricentrum*). Ovarium liberum 2-loculare. Stylus sæpe sigmoideus, stigmate punctiformi. Capsula 2-valvis. Semina plus minus perfecte cochleata.

Herbæ, sæpius tamen fruticuli aut suffruticuli austro-americani, habitu vario; floribus plerumque solitariis, axillaribus terminalibusve, purpureis aut roseis.

Genus Urantheræ affine sed flore 4-mero et capsula 2-valvi facile dignoscendum.

1. COMOLIA DENUDATA. — *Tricentrum ovalifolium* DC., *l. c.*, p. 123.

C. fruticulosa ramosa microphylla oligantha, apice tantum foliosa, inferius denudata et excoriata; ramis ramulisque ut plurimum

alternis; foliis petiolatis late ovatis subrotundatisque apiculatis 5-nerviis villosis; floribus ad apices ramulorum axillaribus solitariis alternis.

Planta inconspicua, ramis sæpius retortis nudis, circiter 3-4-decimetralis. Folia 5-8 millim. longa et lata. Connectivum staminum majorum ad insertionem filamenti postice tuberculatum. — In Brasilia verisimiliter meridionali; Sellow.

2. Comolia hirtella †.

C. fruticulosa ramosa tota pilis rufescentibus hirsuta; foliis petiolatis obovatis acutis basi attenuatis vix conspicue serrulatis 3-5-nerviis villosis; floribus axillaribus solitariis.

Folia vix 1 centim. longa, 4-7 millim. lata. Staminum connectivum antice simpliciter bilobum nec postice tuberculatum. Planta priori affinis sed certe distincta. — In Guyana anglica; Schomburgk.

3. Comolia Berberidifolia DC., *l. c.*, p. 114.

C. fruticulosa oligantha ut plurimum alterne ramosa; foliis obovatis acutiusculis, basi in petiolum brevissimum attenuatis, supra medium ciliato-serrulatis, 3-nerviis, utrinque glabris, supra præsertim quasi vernicosis; floribus axillaribus vel ad apices ramulorum brevium terminalibus solitariis.

Folia circiter centimetralia vel adjecto petiolo paulo longiora. Staminum connectivum antice biauriculatum et postice subcalcaratum. — In Brasilia; Bonpland?

4. Comolia Veronicæfolia Benth. *l. c.*, p. 295.

C. subherbacea tota pilis rufescentibus hirtella; foliis pro genere majusculis petiolatis ovatis obovatisve acutiusculis serrulatis 3-5-nerviis; floribus axillaribus solitariis vel ad apices ramulorum brevium solitariis-ternis.

Folia 1 ½-3 centim. longa, 1-1 ½ lata. Petala obovata obtusa inæquilatera, 1 centim. circiter longa. Staminum connectivum postice non manifeste tuberculatum. — In Guyana anglica; Schomburgk.

5. Comolia Nummularioides. — *Arthrostemma Nummularioides* DC., *l. c.*, p. 137. — *Rhexia Nummularioides* Bonpl., *l. c.*, tab. 23.

C. fruticulosa alterne ramosa; foliis petiolatis orbiculari-ovatis obtusissimis basi subcordatis tenuiter serrulatis 5-nerviis utrinque adpresse tomentellis; floribus ad apices ramulorum brevissimorum terminalibus plerumque solitariis.

Folia 1-2 centim. longa, 1-1 ½ lata. Petala obovata, æquilatera? Staminum connectivum postice non manifeste tuberculatum. — In republica Venezuelensi; Bonpland.

6. Comolia purpurea Miq., *Linn.*, XVIII, p. 617.

C. suffruticosa ramosa (ex clar. Miquel; nostra enim simplicissima est); ramis decumbentibus tetragonis hirtis; foliis petiolatis late ovatis vel ovato-ellipticis, apice acutiusculis, basi subacutis, serratis ciliatisque 3-5-nerviis utrinque villosulis; floribus plerumque axillaribus subterminalibusque solitariis breviter pedicellatis; petalis lanceolatis acutis.

Folia 1-1 ½ centim. longa, 1 lata. Petala circiter 7-8 millim. longa, 3-5 lata. Staminum connectivum postice non tuberculatum. Ovarii loculos non vidimus. — In Guyana Batavica; Kappler.

7. Comolia Lythrarioides. — *Hostmannia Lythrarioides* Steud., *ined.*

C. suffruticosa erecta parum ramosa fere omnino glabra; caule ramisque 4-gonis; foliis petiolatis lanceolato-obovatis acutis basi cuneata in petiolum attenuatis ciliato-serratis 3-5-nerviis; floribus ad apices ramulorum axillarium solitariis.

Planta forsan semimetralis. Folia adjecto petiolo 2-2 ½ centim. longa, 1 vel paulo amplius lata. Petala elliptico-ovata acuta, 1 centim. longa. Connectivum postice non manifeste tuberculatum. — In Guyana Batavica; Kappler.

8. Comolia leptophylla. — *Tricentrum leptophyllum* DC., *l. c.*, 123.

C. subherbacea vel suffruticulosa parum ramosa decumbens?

foliis angustis linearibus vel lineari-oblongis glabris aut parcissime setuloso-ciliatis integerrimis; floribus ad apices ramulorum axillarium solitariis.

Planta 3-4-decimetralis? Folia 1 ½- centim. longa, 1-2 millim. lata, subacerosa, in petiolum gracile attenuata. Petala centimetralia obovata apiculata. Antherarum connectivum postice ad insertionem filamenti tuberculatum. — In humidis prope ripas Orinoci in republica Venezuelensi; Bonpland.

Species addenda :

. C. MICROPHYLLA Benth. *l. c.*, p. 295.

XVIII. *NEPSERA*, tom. XII, tab. XIV, fig. 1.

SPENNERÆ spec. DC., *Prod.*, III, 116. — RHEXIÆ spec. Bonpl., *Rhexiæ*, 104.

Flos 4-merus (forsan etiam 5-merus). Calycis dentes lineares acuti tubum hemisphæricum longitudine superantes. Petala elliptico-lanceolata acuta. Stamina 8 (fortassis etiam 10?), æqualia vel subæqualia; antheris subulatis 1-porosis, connectivo infra loculos longiuscule producto arcuato et ultra insertionem filamenti antice in calcaria duo recurva ascendentia antheris multo breviora porrecto (an etiam bilobo aut subnullo?). Ovarium globosum subliberum glabrum 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula 3-valvis. Semina cochleata.

Suffrutex (an suffrutices?) austro-americanus et antillanus, ramosus micranthus; foliis petiolatis ovatis acutis subcordatis serratis 7-nerviis; floribus in paniculam laxam basi trichotomam dispositis alaribus terminalibusque solitariis.

1. NEPSERA AQUATICA. — *Spennera aquatica* DC., *l. c.* — *Rhexia aquatica* Bonpl., *l. c*, tab. 40.

Suffrutex metralis, flore 4-mero, ramis tetragonis hirsutis. Folia 4-6 centim. longa, 1 ½-2 lata. Petiolus centimetralis vel paulo brevior. Petala 5-6 millim. longa. Paniculæ rami graciles, sæpe omnino filiformes, recti, divergentes. In insulis Antillanis *Martinique*, *Guadeloupe*, *Porto-*

Rico, *Saint-Thomas*, *Sainte-Lucie*, etc.), Plée, Lherminier, Bonpland; in Brasilia, Martius, Salzmann; in Guyana, Martin.

Planta a veris Spenneris habitu et omnibus characteribus omnino diversa.

Species 5-meræ forsan addendæ:

2. ?? NEPSERA PENDULIFOLIA. — *Spennera pendulifolia* DC., *l. c.* — *Rhexia pendulifolia* Bonpl., *Nav. et Malm.*, tab. 26.

Planta habitum *Nepseræ aquaticæ* referens, sed flore 5-mero et staminum fabrica discrepans, si imperfectæ Bonplandianæ descriptioni fidendum est.

3. ? NEPSERA GLANDULOSA. — *Spennera glandulosa* DC. — *l. c.* — *Rhexia glandulosa* Bonpl., *l. c.*, tab. 27.

Planta 5-mera sed *Nepseræ aquaticæ* staminum fabricam præbens.

XIX. *DESMOSCELIS*, tom. XII, tab. XIV, fig. 2.

CHÆTOGASTRÆ spec. DC., *Prod.*, III, 132. — RHEXIA Bonpl., *Rhex.* — MELASTOMA Aubl., *Guyane*, III, 132.

Flos 5-merus. Calycis dentes acuti tubum campanulatum æquantes. Petala obovata subretusa. Stamina 10 valde inæqualia dissimilia; antheris oblongis subulatis 1-porosis, 5 majorum connectivo infra loculos longe producto et antice in appendices duas filiformes fere loculorum longitudine ultra filamenti insertionem abeunte, 5 minorum breviusculo valde arcuato et simpliciter biauriculato. Ovarium ad medium usque adhærens apice villosum 5-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula 5-valvis. Semina cochleata.

Herba austro-americana basi suffrutescens $\frac{1}{2}$-1-*metralis, tota villoso-hirsuta; caule simplici aut ramoso obscure 4-gono; foliis breviter petiolatis oblongo-ovatis acutis integerrimis*, 5 *rarius* 7-*nerviis; floribus ad apices ramulorum axillarium brevium aggregatis sicque spicam foliosam confertifloram mentientibus, rarius paniculam formantibus, purpureis aut albis.*

Genus Lasiandræ vicinum, sed propter antherarum fabricam

ei non consociandum. Nomen a vocibus Δεσμὸς et Σκέλις quæ connectivi appendices in crura elongatas indicant.

1. Desmoscelis villosa. — *Melastoma villosa* Aubl., *l. c.*, tab. 168. — *Rhexia villosissima* Bonpl., *l. c.*, tab. 31. — *Chætogastra Hypericoides* DC., *l. c.*, et verisimiliter *C. Lychnitoides* et *C. Stachyoides* ejusdem auctoris.

Folia 3-6 centim. longa, 1-2 lata, petiolo 3-8-millimetrali. Petala circiter 1 centim. longa. Stylus fere inclusus aut dentes calycinos vix superans. Species nonnihil polymorpha, variat caule simplici et ramoso, floribus majoribus et minoribus necnon inflorescentia, sed semper villosissima est. — In locis humidis imo et subpaludosis Brasiliæ et Guyanæ. In Brasilia repererunt Weddell et Salzmann, in Guyana Hostmann et Leprieur.

Species forsan addendæ :

2. ? D. Lychnitoides. — *Chætogastra Lychnitoides* DC.

3. ? D. Stachyoides. — *Chætogastra Stachyoides* DC., quæ, ut supra diximus, an a *D. villosa* differant valde dubium est.

XX. *ERNESTIA*, tom. XII, tab. XIV, fig. 3.

Ernestia DC., *Prod.*, III, 121. — Cham., *Linn.*, IX, 400. — Endlicher, *Gen. plant.*, n° 6199. — Rhexia Bonpl., *Rhex.*

Flos 4-merus. Calycis dentes subulati tubum campanulatum æquantes. Petala obovata obtusa. Stamina 8 inæqualia sed conformia ; antheris lineari-subulatis 1-porosis , connectivo infra loculos producto, basi postica in calcar breve conicum crassiusculum producto, antica appendicibus duabus aristæformibus sursum erectis anthera ipsa brevioribus instructo. Ovarium liberum globosum 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula subglobosa calyce persistente velata loculicide 4-valvis. Semina cochleata.

Herba novo-granatensis inferne suffrutescens semimetralis, trichotome divaricatimque ramosa, pilis glanduliferis hirtella ; ramis obscure 4-gonis ; foliis petiolatis cordato-ovatis acuminato acutis serrato-ciliatis 5-nerviis pilosis ; paniculis terminalibus laxifloris ; floribus albis.

1. Ernestia tenella DC., *l. c.* — Cham., *l. c.* — *Rhexia tenella* Bonpl., tab. 30.

Icon Bonplandiana plantæ faciem et habitum bene quidem fingit, quoad vero antherarum fabricam summopere infidelis est. Bonum est hic ipsissima Chamissois verba opinionemque de Bonplandii analysi et descriptione memorare : « celeberrimus auctor basalem deorsum productam atque incrassatam connectivi partem pro ipsa anthera (ab insectis videlicet erosa) sumpsit, descripsit, adumbrari curavit. Alabastrum scalpello tentatum integras non denegasset illi antheras. » Sic etiam illustrissimus Candolleus antheras triquetras esse iterum monuit, quamvis si libuisset propria analysi uti, Bonplandianum errorem deprehendere et emendare facile habuerit. Planta primo obtutui *Nepseram aquaticam* mentitur. — In montosis umbrosisque Novæ Granatæ. Specimen nostrum a Bonplandio ipso, prope *Javita* ad flumen Orinocum lectum est.

XXI. *DICHÆTANDRA*, tom. XII, tab. XIV, fig. 4.

Flos 4-merus. Calycis dentes acuti tubo campanulato longiores. Petala obovata. Stamina 8 alternatim inæqualia subdissimilia ; antheris lineari-subulatis 1-porosis, connectivo infra loculos longe producto (quadruplo longius in staminibus majoribus quam in minoribus) arcuato et antice ultra filamenti insertionem in appendices duas filiformes subulatas abeunte, 4 majorum appendicibus divergentibus antheræ loculos longitudine subæquantibus, 4 minorum adscendentibus conniventibus quam antheræ loculi brevioribus. Ovarium liberum 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula haud visa.

Suffrutex novo-granatensis erectus ; caule obscure 4-gono ferrugineo-hirsuto ; foliis petiolatis ovatis oblongove-ovatis tenuiter serrulatis 5-7-nerviis villosulis ; panicula paniculisve terminalibus ; floribus violaceis aut purpureis.

Dichœtandrœ genus Ernestiæ proximum est imo et habitu parum discrepat. Maximum inter eas discrimen in antherarum connectivo versatur, quod in Dichætandra longe productum est, non autem postice calcaratum aut tuberculatum, dum in Ernestia infra loculos modice producitur et basi postice in tuberculum fere calcariforme porrigitur, unde fit ut anthera ipsa quodam-

modo Dissochætarum antheras in mentem revocet. Nomen a vocibus δὶς χαίτη et ἀνὴρ.

1. Dichætandra Goudotii †.

Folia 5-7 centim. longa, 2-3 lata, petiolo circiter centimetrali. Panicula subaphylla laxa dichotome ramosa. Petala videntur 1 centim. longa. — In montibus prope *Chaparal;* Goudot.

XXII. *APPENDICULARIA*, tom. XII, tab. XIV, fig. 5.

Appendicularia Seringe, mss. — DC., *Prod.*, III, 114. — Genus ab Endlicherio neglectum.

Flos 4-merus. Calycis oblongo-campanulati dentes tubo breviores. Petala obovata. Stamina alternatim inæqualia uniporosa; connectivo infra loculos producto incurvo et ad insertionem filamenti in setas duas anthera longiores antice porrectas et divaricatas mutato; 4 majorum antheris linearibus arcuatis, connectivo gracili longe producto; 4 minorum antheris subrectis brevioribus et connectivo minus producto. Ovarium liberum 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula 3-valvis. Semina cochleata.

Herba guyanensis annua erecta ramosa hirtella ; foliis vix centimetrum longis petiolatis ovatis tenuissime serrulatis; floribus ad apices ramorum axillaribus solitariis secundis, interdum alaribus, albis.

1. Appendicularia thymifolia Ser, *Mss.* — DC., *l. c.*

In Guyana gallica prope *Cayenne ;* Bonpland, Leprieur, Mélinon.

XXIII. *PTEROGASTRA*, tom. XII, tab. XV, fig. 8.

Chætogastræ spec. DC., *Prodr.*, III. — Rhexia Bonpl., *Rhex.*

Flos 4-5-merus. Calycis dentes triangulari-acuti ciliati; tubus alis brevibus denti cuivis respondentibus et ciliato-serratis instructus. Petala obovata rotundata ciliata. Stamina petalorum numero dupla alternatim inæqualia consimilia; antheris lineari-subulatis 1-porosis, loculis undulatis recurvis, connectivo infra

loculos producto, arcuato (unde anthera tota fit sigmoidea) et ad insertionem filamenti bituberculato. Ovarium ovoideum liberum, apice setis coronatum, 4-5-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula 4-5-valvis, columella persistente apice setis ovarii coronata et placentas securiformes gerente. Semina cochleata.

Herbæ austro-americanæ, dichotome ramosæ; ramis tetragono-subalatis; floribus alaribus axillaribusque solitariis, purpureis?.

Nomen a πτερὸν et γαστὴρ, quod tubum calycis pterophorum esse indicat.

1. PTEROGASTRA DIVARICATA. — *Rhexia divaricata* Bonpl. *Rhexiées*, t. 22. — *Chætogastra divaricata* DC., *l. c.*, p. 132.

P. pentamera; ramis subtetrapteris divaricatis; foliis oblongo-ovatis ellipticisve integris 3-5-nerviis; capsula 5-valvi.

Caulis volubilis, si clar. Bonplandio credendum sit, specimina autem incompleta Herb. Mus. Par. minime plantam volubilem exhibent. Folia breviter petiolata, 3-6 centim. longa, marginibus strigosa, cæterum setulosa. Herba exsiccata lutescit. — Ad ripas Orinoci, prope *Maypuré;* Bonpland, et prope *Chaparal* Novæ Granatæ, Goudot.

2. PTEROGASTRA MINOR †. Tom. XII, tab. XV, fig. 8.

P. tetramera erecta; caule gracili dichotome sed non divaricatim ramoso; foliis oblongo-ovatis; capsula 4-valvi.

Plantula circiter 1-1 $\frac{1}{2}$-decimetralis. Folia pauca breviter petiolata ciliolata puberula 3-nervia. Flores quam in præcedente specie minores. — Ad ripas Orinoci, prope *Atures;* Bonpland.

XXIV. *MACAIREA.*

MACAIREA DC., *Prod.*, III, 109. — Cham., *Linn.*, IX, 381. — Benth in Hook., *Journ. of bot.*, II, 291. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6209.

Flos 4-merus. Calycis dentes sæpius angusti lineari-subulati, rarius ovati tubum campanulatum æquantes persistentes. Petala obovata apice rotundata. Stamina alternatim parum inæqualia conformia; antheris lineari-subulatis rostellatis oblique uniporosis,

connectivo infra loculos longiuscule producto arcuato et in insertione filamenti postice præsertim tumido vel gibbo; filamento facie antica pilis glanduliferis sæpius ornato, rarius glabro. Ovarium liberum vel forsan costis 8 ad basim adhærens ovoideum apice villosulum 4-loculare rarius 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula calyce vestita 4-valvis. Semina incurva et ideo fere cochleata.

Frutices in parte tropica Americæ australis vigentes, ramosi submicranthi sæpe villosissimi vel strigosi; foliis petiolatis obovatis ovatisve; floribus paniculatis purpureis.

Genus Lasiandræ affine, facile tamen distinguendum habitu peculiari sed potissimum flore 4-mero et dentibus calycinis persistentibus.

1. MACAIREA ADENOSTEMON DC. *l. c.*

M. tota villoso-hirsutissima rufescens vel ferruginea; foliis ovatis obovatisve obtusis vel subobtusis integerrimis 5-nerviis; paniculis magnis terminalibus; capsulis 4-valvibus.

Folia magnitudine sicut et forma variant, adsunt decimetralia et plus quam dimidio minora, 2-5 centim. lata, petiolo 1—1 ½-centimetrali. Variant pariter vestitu nunc sericeo-villoso nunc strigilloso. Petala obovato-elliptica, 8 millim. circiter longa. Stylus glaber. — In Brasilia meridionali frequens videtur, Claussen; occurrit etiam in septentrionali, Martius, necnon in Bolivia, d'Orbigny.

2. MACAIREA RADULA.—*Rhexia radula* Bonpl et Kunth. *Rhex.*, tab. 41.—*Macairea radula* DC. *l. c.*

M. præcedenti fere simillima et verisimiliter adjungenda; differt tamen foliis late ovato-ellipticis, pagina superiore strigoso-asperrimis, inferiore hirto-villosulis foveolatis et stylo pilis glanduliferis hirtello.

In Brasilia loco haud designato; Bonpland.

3. MACAIREA PACHYPHYLLA Benth., in Hook. *Journ. of Bot.*, II, 291.

M. adenostemoni simillima sed setis rigidioribus tota hirta est. Quum

compertum fuerit quam variabiles sint vestitu Melastomaceæ haud ægre hæc varietas *M. adenostemoni* conjungetur. — In Guyana britannica; Schomburgk.

4. MACAIREA PARVIFOLIA Benth., *l. c.*, p. 292.

M. ramis junioribus scabris, vetustioribus excoriatis; foliis elliptico-obovatis, apice subrotundatis vel obtusissimis, basi subacutis, integerrimis 3-nerviis, pagina superiore bullato-strigosis asperrimis, inferiore foveolatis tomentellis; paniculis parvis terminalibus; capsulis trivalvibus.

Folia 3-5 centim. longa, 1-1 $\frac{1}{2}$ lata, petiolo sæpius centimetrali. Petala circiter 8-10 millim. longa. Ovarium 3-loculare. Species distinctissima. — In Guyana britannica ad montem *Roraima;* Schomburgk.

5. MACAIREA CALVESCENS †.

M. ramis supremis hirto-ferrugineis, vetustioribus glabratis; foliis elliptico-lanceolatis utrinque subacutis tenuissime serrulatis 3-nerviis, pagina superiore dense strigosis, inferiore hirto-tomentosis; paniculis mediocribus terminalibus; capsulis 4-valvibus; staminum filamentis styloque glabris.

Folia 4-7 centim. longa, 1 $\frac{1}{2}$—2 lata, petiolo uni-sesquicentimetrali. Petala circiter 6-8 millim. longa. Ovarium 4-lobum apice 4-dentatum. — In Guyana britannica ad montem *Roraima;* Schomburgk.

6. MACAIREA THYRSIFLORA, DC., *l. c.*

M. ramis supremis pube ferruginea adpressissima vestitis; foliis majusculis ellipticis apiculatis integerrimis 3-nerviis, pagina superiore glaberrimis, inferiore adpresse rufescenti-tomentellis; paniculis terminalibus magnis floribundis; staminum filamentis et stylo pube glandulifera crebra ornatis; capsulis 4-valvibus.

Folia 10-14 centim. longa, 4-5 lata, petiolo 1—1 $\frac{1}{2}$-centimetrali. Nervi laterales tenues subevanidi marginibus proximi, medius crassus et validus, inde folia primo intuitu ferme 1-nervia videntur. Calycis ferruginei dentes late ovati nec angusti ut in prioribus speciebus. Ovarium 4-lobum

apice dentibus 4 glandulas citrinas gerentibus coronatum. Species distinctissima est et forsan differt a *M. thyrsiflora* Benth. — In Brasilia loco haud designato.

Species addendæ sed non omnino certæ.

7. M. RUFESCENS DC., *l. c.*

8. M. MULTINERVIA Benth., *l. c.*

9. M. RIGIDA Benth., *l. c.*

XXV. *HEPHESTIONIA.*

CHÆTOGASTRÆ spec. DC., *Prod.*, III, 134. — RHEXIA Bonpl., *Rhex.*

Flos 5-merus. Calycis oblongo-campanulati dentes tubo subbreviores erecti persistentes. Petala ovata vel obovata. Stamina 10 æqualia subæqualiave; antheris oblongis 1-porosis, connectivo infra loculos producto; filamentis glabris. Ovarium basi nonnihil adhærens ovatum setis coronatum 5-loculare. Stylus sigmoideus, stigmate punctiformi. Capsula 5-valvis. Semina cochleata.

Fruticuli antillani et caroliniani in jugis declivitatibusque montium ignivomorum crescentes, ramosi microphylli submacranthi strigosi, floribus pulchre violaceis purpureisve insignes.

Genus quoad habitum subnaturale quoad autem floris characterem subartificiale, hinc Lasiandræ illinc pluribus aliis generibus propinquum. Nomen a voce Ἡφαίστειος *vulcanicus*, quæ locum natalem in Antillis indicat.

1. HEPHESTIONIA STRIGOSA. — *Rhexia ornata* Humb. et Bonpl., *Rhex.*, tab. 26. — *Chætogastra strigosa* DC, *l. c.*

H. ramis 4-gonis setoso-strigillosis; foliis breviter petiolatis ovatis 3-nerviis, pagina superiore strigis robustioribus adpressis exasperatis, inferiore in nervis marginibusque reflexis mollius strigillosis; floribus ad apices caulis et ramorum in cymas corymbosas paucifloras congestis.

Planta 2-4 decim. alta, a basi sæpius ramosa necnon aliquando for-

mam arbusculæ usurpans. Folia 8-10 millim. longa, 5-8 lata, petiolo 2-millimetrali. Flores pedicellati nec involucrati. Calyx strigilloso-setosus, dentibus oblongo-ovatis ciliatis. Petala late ovata obtusa setoso-ciliata, 1 centim. longa. Stamina æqualia, antheris oblongo-ovatis, connectivo loculis fere duplo breviore arcuato. — In insula Guadalupa ad cacumen montis ignivomi vulgo dicti *La Soufrière* et in jugis vicinis, Lherminier, Beaupertuis, Perrottet; occurrit quoque in insula Martinica, Plée; et in Carolina Americæ septentrionalis, Noisette.

Planta aspectu valde polymorpha ; variat foliis latioribus et angustioribus, strigosis et setosis necnon magnitudine.

2. HEPHESTIONIA CHAMÆCISTUS †.

H. præcedenti nimis propinqua et forsan non distinguenda ; differt petalis late et inæqualiter obovatis glanduloso-ciliatis staminibusque subinæqualibus, antheris subulato-oblongis, connectivo infra loculos non arcuato ad insertionem filamenti incrassato et loculis quadruplo breviore.

In insula Martinica ad cacumen montis vulgo *Montagne pelée*, Mme Rivoire.

XXVI. *OREOCOSMUS*, tab. XIV, fig. 6.

CHÆTOGASTRÆ spec. DC., *Prod.*, III. — RHEXIA auct.

Flos 5-merus. Calycis dentes tubo campanulato longiores aut saltem æquales lineares angusti. Petala obovata subacuta nec (ut in plerisque Lasiandris) retusa. Stamina alternatim inæqualia ; antheris subulatis 1-porosis, connectivo infra loculos plus minus producto et antice ad insertionem filamenti bitesticulato ; filamentis glabris. Ovarium basi adhærens 5-loculare. Stylus glaber, stigmate punctiformi. Capsula 5-valvis. Semina cochleata.

Suffrutices suffruticulive mexicani monticolæ ramosi; foliis petiolatis ovatis aut lanceolatis ; floribus magnitudine mediocribus, purpureis aut violaceis, rarius albis, bracteolatis non autem involucratis.

Genus subartificiale Lasiandræ proximum et tamen sat diversum ut dignoscatur. Præcipui characteres in dentibus calycinis

versantur necnon in patria quæ nullas Lasiandras proprie dictas alit.

1. Oreocosmus tortuosus. — *Chætogastra tortuosa* DC., *l. c.*, p. 132.

O. fruticosus ramosissimus submicrophyllus; ramis forsan decumbentibus nonnihil tortuosis; foliis petiolatis lanceolatis utrinque acutis integerrimis 3-nerviis pagina utraque setulosis: floribus ad apices ramulorum in paniculas irregulares digestorum solitariis vel subglomeratis albis.

Folia circiter 1-1 ½ centimetrum longa, 4-8 millim. lata, petiolo 2-3-millimetrali. Calycis hirsuti dentes lineares tubum æquantes. Petala circiter sesquicentimetralia. Stamina inæqualia, 5 majorum connectivo longiusculo canaliculato ad insertionem filamenti subbilobo.— In montibus mexicanis prope urbem *Tasco*, ad altitudinem 2400 metrorum; ex herb. Bonpland.

2. Oreocosmus monticola †.

O. suffruticulosus erectus; foliis ovatis subacuminatis integerrimis aut conspicue serrulatis 5-nerviis utraque pagina villosulis; floribus ad apices ramorum subcongestis paucis.

Caulis (ex unico specimine) 2-3 decim. altus. Folia 2-3 centim. longa, 1 vel paulo amplius lata. Calycis dentes angustissimi lineari-subulati. Petala circiter 1 centim. longa, paulo minus lata. Ovarium ovoideum.— In Andibus mexicanis prope *Oaxaca* ad altitudinem 2000—2700 metrorum; Galeotti, *Catal.*, n° 2931.

3. Oreocosmus Galeottianus †.

O. caulibus erectis vel adscendentibus gracilibus 4-gonis; foliis ovato-acuminatis acutissimis tenuissime serrulatis subintegerrimisve utraque pagina pilosulis 3-5-nerviis; floribus ad apices ramulorum axillaribus terminalibusque paucis, non vere in paniculam dispositis.

Planta præcedenti affinis sed magis herbacea et gracilior videtur, 3-5 decim. alta. Folia 2-4 centim. longa, 1 vel paulo amplius lata, petiolo ½—1-centimetrali. Calycis dentes in flore aperto reflexi, minus quam in *O. monticola* subulati. Petala obovata, 1 centim, circiter longa. Ova-

rium lageniforme, apice angustato styli basim includente. — In Andibus mexicanis prope *Oaxaca* ad altitudinem 1300—2700 metrorum, Galeotti, *Catal.*, n° 2935 ; necnon inter civitates *Tampico* et *Real del Monte*, Berlandier. — Variat foliis magis pubentibus et floribus triente majoribus.

4. Oreocosmus Naudinianus. — *Chætogastra Naudiniana* Decaisne, *Revue horticole*, 1847, p. 86.

O. frutescens erectus ; caule ramisque teretibus sicut et foliorum utraque pagina villosis ; foliis lanceolatis subacuminatis basi subacutis integerrimis vel tenuissime serrulatis 5-nerviis ; floribus numerosis in paniculas terminales foliosas digestis.

Planta videtur metralis et forsan elatior. Folia 3-7 centim. longa interdumque majora, 1-1 $\frac{1}{2}$ rarius 2 lata, petiolo circiter centimetrali. Dentes calycini lineares tubo longiores. Petala staminaque ut in præcedentibus. — In provincia *Oaxaca* reipublicæ mexicanæ prope oppidum *Zacualtipan ;* Ghiesbrecht, *Catal.*, n° 38. In horto Parisiensi colitur.

5. Oreocosmus Ghiesbrechtii †.

O. frutescens erectus ; caule ramisque obscure tetragonis hirtellis ; foliis ovato-lanceolatis acuminatis tenuissime serrulatis villosulis, adjecto utroque nervulo submarginali, 5-nerviis ; floribus majusculis ad apices ramorum in paniculas corymbiformes digestis.

Planta videtur metralis et forsan elatior. Folia 4-10 centim. longa, 1-2 lata, petiolo 1-2-centimetrali. Calycis dentes lineares, tubo longiores. Petala obovata, 2 centim. circiter longa. Ovarium ovoideum, apice quasi truncatum. — In prov. *Oaxaca ;* Ghiesbrecht.

(*Mox sequetur.*)

EXTRAIT DES **ANNALES DES SCIENCES NATURELLES**, TOME XIII,
MARS 1850.

MELASTOMACEARUM

QUÆ IN MUSÆO PARISIENSI CONTINENTUR

MONOGRAPHICÆ DESCRIPTIONIS

ET SECUNDUM AFFINITATES DISTRIBUTIONIS

TENTAMEN.

(SEQUENTIA.)

Auctore **CAROLO NAUDIN**.

XXVII. *LASIANDRA.*

LASIANDRA et PLEROMA DC., *Prod.*, III. — CHÆTOGASTRÆ spec. DC., *l. c.* — LASIANDRÆ spec., Mart., *Nov. gen.*, III. — Cham., *Linn.*, IX, 431. — RHEXIÆ spec. Bonpl., *Rhex.* — Endlich., n° 6208.

Flores 5-meri, rarissime et verisimiliter abortu 4-meri. Calycis tubus magis minusve oblongus subcylindraceus urceolatusve, interdum brevis campanulatus ; dentibus tubo longioribus aut brevioribus, sæpissime caducis. Petala obovata integra aut retusa, sæpe inæquilatera. Stamina 10 (8 in floribus 4-meris), alternatim inæqualia : antheris lineari-subulatis longis 1-porosis plus minus arcuatis aut sigmoideis ; connectivo infra loculos semper producto et ad insertionem filamenti varie terminato ; filamentis interdum glabris sæpius piliferis aut barbatis. Ovarium infra medium septis antheras in præfloratione inflexas separantibus calycino tubo adhærens, apice villosum, 5-loculare (4-loculare in floribus 4-meris). Stylus filiformis sigmoideus glaber aut pilosus, stigmate punctiformi. Fructus, capsula 5-4-valvis calycis tubo persistente vestita, aut rarius bacca carnosula irregulariter ruptilis. Seminea cochleata.

Frutices suffrutices, rarius herbæ aut arbusculæ in America meridionali, Brasilia autem potissimum crescentes; habitu vario;

floribus ut plurimum magnis paniculatis aut solitariis, purpureis violaceis aut albis.

Genus sat naturale nec merito dividendum quamvis numerosæ sint species et habitu vario ; quas tamen in sectiones nunc naturales nunc artificiales distribuimus, ut fierent distinctu faciliores.

A. Dicranopus.

Herba basi lignosa vel fruticulosa erecta subsimplex strigillosa ; floribus 5-meris ; staminibus disparibus, 5 majorum connectivo longiuscule producto et antice in calcaria duo ascendentia producto, 5 minorum brevi et simpliciter bitesticulato : filamentis styloque glabris.

1. Lasiandra calcarata †.

L. caule tereti subgracili ; foliis subparvis petiolatis late lanceolatis utrinque acutis subintegerrimis integerrimisve, supra subtusque setoso-strigillosis 3-nerviis ; floribus ad apices ramulorum axillarium brevium solitariis-ternis.

Caules 3-4 decimetra alti. Folia 1-2 centim. longa fere 1 lata, petiolo 3-5-millimetrali. Calycis setosi dentes acuti purpurascentes tubum æquantes. Petala obovata ciliolata 8 millim. circiter longa. Staminum majorum connectivum infra loculos antheram polliniferam ferme æquans, calcaribus paulo longius. — In Boliviæ provinciis *Yungas* et *Yuracara*, Pentland, *Catal.*, n° 195.

B. Simplicicaules ;

Herbaceæ erectæ ; caulibus simplicibus ; foliis sessilibus aut brevissime petiolatis ; floribus 5-meris paniculatis, calycibus suburceolatis ; staminum filamentis glabris. *Chætogastræ species* DC et Mart.

2. Lasiandra Hieracioides. — *Chætogastra Hieracioides* DC., p. 133.

L. caule pilis nigrescentibus longis hispidissimo, inferne foliis instructo, superne scapiformi ; foliis brevissime petiolatis elliptico-ovatis subacuminatis vix conspicue serrulatis utrinque villoso-hirsutis 5-7-nerviis ; panicula terminali brevi, ramis 1-3-floris.

Herba basi lignosa. 2-4-decimetralis. Folia 4-6 centim. longa, 2-3

lata, petiolo 4-6-millimetrali. Calyx post anthesim potissime urceolatus hispidissimus, dentibus acutis. Petala obovata ciliata sesquicentimetrum longa. Antheræ subulatæ, connectivo infra loculos breviusculo et in insertione filamenti bituberculato. Planta exsiccata lutescit. — In Brasiliæ australis provincia *Minas Geraes*; Claussen, Dupré, Weddell.

β *ferruginea*, præcedenti similis sed tota villis rufis hirsuta et forsan caule debiliore.

3. Lasiandra nudicaulis †.

L. caule basi tantum folioso mox scapiformi nudo vel foliolis duobus paulo infra flores instructo, pilis nigrescentibus hispido; foliis brevissime petiolatis subsessilibusque elliptico-ovatis subacutis fere integerrimis 5-7-nerviis utrinque villosis; floribus paucis in axillis bractearum solitariis aut terminalibus subternis lilacinis

Herba *L. Hieracioidi* fere simillima sed debilior et caule magis scapiformi, circiter 3-decimetralis. Folia 4-5 centim. longa, 2 lata, petiolo 2-4-millimetrali. Flores quam in præcedente pauciores, non vere paniculati. Calyx villosissimus. Petala obovata, 2 centim. circiter longa et lata. Antherarum loculi undulati, connectivum arcuatum et ad insertionem filamenti bitesticulatum. Planta exsiccata lutescit. — In campis provinciæ *Minas-Geraes;* Weddell.

4. Lasiandra villosa †.

L. caule 4-gono hirsuto; foliis subsessilibus cordiformi-ovatis subacuminatis subintegris, utraque pagina villosis, 7-nerviis; paniculæ terminalis ramis plerumque 3-floris.

Herba basi sublignosa, circiter semimetralis. Folia 6-10 centim. longa, 3-5 lata, petiolo vix perspicuo. Caulis fere usque ad paniculam foliosus. Calyx suburceolatus villosus. Petala 2 ½ centim. longa, obovata. Stamina ut in *L. Hieracioide.*—In Brasiliæ provincia Sancti Pauli; Gaudichaud.

5. Lasiandra gracilis. — *Chætogastra gracilis* DC., *l. c.*, p. 133. — *C. fraterna* Mart. et DC., *ibid.* — *Rhexia Agrostemma* Mart. et Schr. *mss.* — *Rhexia gracilis* Bonpl., *Rhex.*, tab. 52.

L. herbacea erecta villoso-hirsuta suboligophylla; caule tereti

vel e tetragono teretiusculo fistuloso sæpius rufescente ; foliis breviter petiolatis interdumque subsessilibus lanceolato-oblongis sublinearibus acutis tenuissime crenulatis subintegerrimisque 3 5-nerviis ; floribus ad apices ramulorum pedunculiformium et in paniculam interruptam dispositorum glomeratis roseis aut purpureis ; calycibus villosis, dentibus acutis persistentibus.

Planta per immensum Americæ meridionalis spatium diffusa et ob locorum diversitatem variabilis, facile tamen recognoscenda nisi pro genuinis speciebus varietates habeantur. A semimetro ad metrum caput extollit et caule pennæ anserinæ crassitiem æmulante solo innititur. Folia quæ internodiis sæpius breviora sunt 6-8 centimetra longitudine, 1-2 latitudine explent raro superant ; infima, id est radici propiora, multo breviora sunt et formam ovatam retinent. Rami floriferi breves 3-9-flori foliolo ovato-acuto nec tamen plane in bracteam mutato suffulti, paniculam racemiformem interruptam, in luxuriantibus speciminibus 2-3-decimetralem, formant. Quod si planta terra noverca nata sit, florum glomerulo depauperato infeliciter terminatur. Petala obovata sesquibicentimetralia ; stamina stylusque ut in præcedente et sequente. Affinis videtur *Chætogastræ hirsutæ* DC. — A Brasilia australi ubi frequentissima est ad Boliviam et rempublicam Venezuelensem erratica. Habemus a clar. Aug. de Saint-Hilaire, Martius, Gaudichaud, Claussen, Weddell, d'Orbigny, Funck, etc.

6. Lasiandra pulchella †.

L. herbacea erecta ad inflorescentiam usque simplicissima oligophylla ; caule teretiusculo villoso-hirsuto ; foliis subsessilibus ovato-ellipticis obtusis acutisque crenulato-serrulatis 5-7-nerviis, pagina utraque setulis malpighiaceis villosa ; floribus ad apices ramulorum axillarium in paniculam terminalem fere dispositorum arcte glomeratis pulchre violaceis ; calycibus villosis, dentibus persistentibus cum denticulis totidem parum conspicuis interjectis alternantibus.

Planta semimetralis habitu simplici subgracili et floribus glomeratis *L. strigillosæ* Mart. consanguinea nec ab illa facile distinguenda. Folia infima fere rotundata, superiora autem oblongiora, a 3 centim. ad 8 longitudinem et ab 1 ad 4 latitudinem variant. Calycis villosissimi dentes ovato-acuti erecti tubum subæquantes. Petala late obovata apice rotun-

data ciliolata, centimetrum circiter longa. Stamina parum inæqualia, connectivo infra loculos breviusculo bitesticulato, filamentis glabris. Stylus pariter glaber. — In locis herbosis prope *Vertentes do Sardim* in Brasilia australi; Aug. de Saint-Hilaire.

C. Urceolaria.

Herbaceæ simplicaules; floribus paniculatis 5-meris; calycis dentibus linearibus persistentibus, tubo urceolato vix brevioribus; staminum filamentis styloque glaberrimis.

7. Lasiandra urceolaris †!

L. herbacea erecta subsimplex oligophylla macrophylla; caule 4-gono inter nodos fistuloso sparse hispidulo; foliis breviter petiolatis ovatis acutis basi cordatis argute duplicato-serratis 7-9-nerviis, pagina superiore pilis caudatis fere malpighiaceis hispidula, inferiore inter nervos nervulosque sparse setosulos glabra; floribus in paniculam terminalem paucifloram dispositis purpureis aut violaceis; calycibus urceolatis muricato-hispidulis.

Planta nobis unico specimine cognita, circiter semimetralis; caule basi nonnihil radicante subtetraptero, in specimine exsiccato fuscescente. Folia 1 decimetrum circiter longa, 5 8 centim. lata, petiolo centimetrali. Flores in ramis paniculæ cymosi breviter pedicellati. Calycis dentes lineares angusti acuti ciliati tubum oblongum et post anthesim præsertim basi ventricosum æquantes persistentes. Petala obovata apice rotundata, sesquicentimetrum et quod excedit longa. Stamina inæqualia; antheris linearibus sigmoideis, connectivis majorum longe productis, omnium ultra filamenti insertionem bilobis; filamentis glaberrimis. Ovarium apice setis coronatum; stylo longo filiformi sigmoideo glabro; stigmate punctiformi. — In Brasilia australi, loco haud designato: Aug. de Saint-Hilaire.

D. Macrodon.

Frutescentes ramosæ; floribus 5-meris, calycinis dentibus subfoliaceis mollibus tubo fere longioribus, staminum filamentis glabris.

8. Lasiandra sarmentosa. — *Chætogastra sarmentosa* DC., *l. c.*

L. fruticosa vel suffruticosa patentim ramosa; ramis rufescenti-

hirsutis; foliis petiolatis ovatis basi cordatis acutis subacuminatisve serrulatis 5-7-nerviis pagina utraque villosis; floribus magnis ad apices ramulorum congestis paucis pedicellatis.

An planta sarmentosa, ut ait Candolleus? Folia 3-4 centim. longa, 2-3 lata, petiolo circiter semicentimetrali. Calycis tubus campanulatus villosissimus, dentes subreflexi intus extusque villosi, fere centimetrum longi. Petala late obovata ciliata, 2 ½ centim. longa et fere tantumdem lata, subinæquilatera. Antheræ subulatæ, connectivo præsertim in 5 majoribus longe producto et inferne bituberculato. — In Peruvia *val de Tarqui* prope *Cuença* et *S. Felipe;* Bonpland.

E. Mavrocarpus.

Frutescentes ramosæ; floribus 5-meris; calycinis dentibus brevissimis; staminum filamentis glabris; calyce fructifero carnosulo atropurpureo.

9. Lasiandra Pleromoides †.

L. fruticosa vel suffruticosa; ramis junioribus hirtellis, vetustioribus excoriatis glabratisque; foliis petiolatis ovatis subacuminatis vix conspicue crenulato-serrulatis 5 nerviis, pagina superiore inter nervos strigosis, inferiore pilosulis et foveolatis; paniculis brevibus paucifloris terminalibus, rarius axillaribus.

Folia 6-10 centim. longa, 3-4 lata, petiolo 1-2-centimetrali. Calycis tubus subsphæricus sub fauce parum constrictus, dentes breves submembranacei et ad apicem nervo tumido paululum incrassati sed non omnino duplicati ut in Miconialibus. Petala sesquicentimetrum longa obovata inæquilatera. Stamina inæqualia, connectivo præsertim majorum longe producto et ad articulationem filamenti bilobo. Semina cochleato-oblonga. — In Peruvia prope *Cuzco;* Gay.

F. Dendroideæ.

Fruticosæ, nonnihil in formam arbusculæ ramosæ; foliis parvis breviter petiolatis vel subsessilibus, sæpe strigosis; floribus 5-meris; calycinis dentibus tubum subæquantibus; staminum filamentis glabris aut pilosis.

10. Lasiandra asperior Cham., *Linn.*, IX, 435.

L. ramis junioribus breviter strigosis, vetustioribus glabratis; foliis brevissime petiolatis coriaceis rigidis oblongo-ovatis acutis serrulatis 5 nerviis, supra inter nervos, subtus in nervis ipsis valde prominentibus strigosis asperis; floribus ad apices ramorum paucis aggregatis vel subpaniculatis majusculis.

Folia 1 $\frac{1}{2}$ 2 centim. longa 1-1 $\frac{1}{4}$ lata, petiolo 1-2-millimetrali vel subnullo. Petala 2 centim. et amplius longa obovata inæquilatera. Staminum majorum connectivum longe productum, in insertione filamenti biauriculatum; omnium filamenta sicut et stylus glaberrima. — In Brasilia australi; Sellow.

11. Lasiandra dendroides †.

L. fruticosa ramosissima microphylla; ramis junioribus strigillosis, vetustioribus excoriatis; foliis breviter petiolatis elliptico-ovatis subacutis integris, utraque pagina sed supra præsertim strigoso-asperis, 3-nerviis; nervis subtus prominentibus; floribus ad apices ramorum aggregatis paucis.

Frutex omnino arboriformis, caule ramisque lichenes hospitantibus. Folia ut plurimum 1 centim. longa, 6-7 millim. lata. Calyx strigosus, dentibus tubum æquantibus acutis ciliatis. Petala obovata, 1 centim. et amplius longa. Staminum majorum filamenta pilis aliquot ornata, minorum sæpius sicut et stylus glabra.—In Brasilia australi; Martius, Claussen, *Catal.*, nº 1639.

12. Lasiandra cardinalis. — *Chætogastra cardinalis* DC., p. 134, et forsan etiam *Osbeckia Parnassiæfolia* ejusdem p. 140.

L. ramis villosis vel hirsutis mox excoriatis et tunc glabratis; foliis subsessilibus sessilibusve fere omnino orbicularibus obtusis basi cordatis integerrimis 7-9-nerviis subtus præsertim villosis; floribus majusculis ad apices ramorum congestis paucis purpureis.

Frutex 1-2-metralis erectus ramosus nonnihil arboriformis. Folia ut plurimum 1 centim. longa vel paulo majora, tantumdem lata. Calyx campanulatus, dentibus acutis ciliatis tubum æquantibus. Petala obovata ciliata, 1 $\frac{1}{2}$-2 centim. longa. Stamina parum inæqualia; antheris

subsigmoideis, connectivo arcuato et ad insertionem filamenti bituberculato; filamentis styloque pilosis. Variat ramis plus minus villosis, floribus majoribus et minoribus, filamentis magis minusve pilosis. — In Brasilia septentrionali, Bonpland, et meridionali, Weddell, Claussen, Dupré.

G. Sphærocarpus.

Suffrutescentes; caule tetraptero; floribus 5-meris; calyce subgloboso, dentibus brevibus; filamentis pilosulis.

13. Lasiandra tetraptera †.

L. erecta simplex?; caule 4-ptero; foliis petiolatis oblongo-ovatis subacuminatis acutis integerrimis, supra velutinis, subtus sericeo-albicantibus, 7-9-nerviis; panicula terminali.

Folia ferme 1 decim. longa, 3 centim. lata, petiolo 1-2-centimetrali. Calycis tubus furfuraceo-velutinus subsphæricus infra limbum parum constrictus, dentes breves subacuti confluentes. Petala fere 2 centim. longa vel paulo minora, obovata ciliolata. Stamina inæqualia, minorum antheræ magis arcuatæ, omnium filamenta pilosula. Stylus glaber. — In Brasilia meridionali, *Serra dos Orgaos;* Guillemin, *Catal.*, n° 887.

H. Martiales.

Herbaceæ vel frutescentes, simplices aut ramosæ; foliis sessilibus; floribus 5-meris, bractea duplici caduca involucratis, paniculatis; calycis dentibus obtusis tubum æquantibus deciduis; filamentis pilosis. Plantæ exsiccatæ lutescentes.

14. Lasiandra Martiusiana DC., p. 127.

L. fruticosa erecta ramosa glabrescens; foliis sessilibus elliptico-oblongis subacutis fere integerrimis 3-nerviis, supra glabris, subtus et ad margines vix conspicue setulosis; paniculis terminalibus.

Folia 3-6 centim. longa, 1-2 lata. Calyx strigillosus, dentibus obtusis. Petala 1-1 ½ centim. longa obovata ciliolata. Stamina parum inæqualia, connectivo brevi arcuato tuberculato, filamento piloso. Stylus glaber. Variat foliis majoribus et minoribus, paniculis floribundis et depauperatis, filamentis staminum dense vel parce pilosis.—In Brasilia australi; Claussen, Bonpland, Riedel, Martius.

15. Lasiandra trifolia. — *Lasiandra trifolia* et *L. frigidula* DC., p. 127. — *L. Martiana* Cham., *l. c.*, p. 431.

L. herbacea, basi interdum suffrutescens, erecta subsimplex; caule nonnunquam trigono scabrido; foliis oppositis aut ternis, non omnino sessilibus, elliptico-oblongis acutis integerrimis 3-nerviis, utraque pagina sed supra ad margines præsertim sparse setulosis; paniculæ ramis 3-7-floris; floribus majusculis.

Planta $\frac{1}{3}$-$\frac{1}{2}$-metralis vel metralis, caulibus interdum ex eadem radice pluribus. Folia sæpius in eodem verticillo ternata, primo aspectu glabra, 8-12-centim. longa, 2-3 lata. Bracteæ florum purpureæ. Calyx strigillosus, dentibus obtusis. Petala 2 $\frac{1}{2}$ centim. longa obovata ciliata violacea. Stamina ut in præcedente, filamentis facie antica pilosis. Planta, invito clar. Chamissoe, cum priore non confundenda, differt enim habitu et florum magnitudine. — In Brasilia australi; Riedel, Gaudichaud, Weddell, Sellow.

16. Lasiandra verticillaris †.

L. subherbacea erecta simplicissima (an semper ?); caule trigono strigoso; foliis ternatis sessilibus, infimis suborbicularibus, superioribus elliptico-oblongis acutis, omnibus integerrimis 3-nerviis, supra ad margines potissimum setulosis, subtus scabris; paniculæ terminalis paucifloræ ramis 1-3-floris.

Planta ad radicem lignosa cæterum herbacea vix semimetralis. Folia infima 1-2 centim. longa et lata, reliqua 3-4 longa, 1-1 $\frac{1}{2}$ lata. Calyx strigosus, dentibus subobtusis. Cætera ut in *L. trifolia*. Flores purpurei. Accedit ad *L. trifoliam*, sed distincta est. — In campis elatis Brasiliæ australis; Weddell.

I. Brachypodæ.

Fruticosæ ramosæ; foliis brevissime petiolatis sed non sessilibus; floribus 5-meris et 4-meris; calycinis dentibus subacutis tubum æquantibus deciduis; staminum filamentis barbato-pilosis. Sectio præcedenti valde affinis.

17. Lasiandra Martialis Cham., *l. c.*, p. 433.

L. erecta ramosa; ramis junioribus argute 4-gonis strigosis;

foliis oppositis ternatisve ovato-ellipticis acutis integerrimis, prætermisso utroque nervo marginali 3-nerviis, utraque pagina setuloso-scabrellis; cymis axillaribus terminalibusque 3-5-floris paucis, interdum in paniculam parvam dispositis.

Frutex metralis? Folia 2-3 centim. longa, 1-1 ½ lata. Calyx strigillosus. Staminum connectiva parum producta, filamenta stylusque pilosa. Species distinctissima, habitu *L. Martiusianam* referens, sed foliis petiolatis acutis et strigillosis discrepans. — In Brasilia meridionali; Sellow, Gaudichaud, Bonpland; in rep. Novo-Granatensi, Funk.

18. LASIANDRA RIEDELII †.

L. erecta ramosa 4-mera submicrantha; ramis 4-gonis strigosis; foliis late ellipticis obtusis vel apiculatis subintegerrimis 5-nerviis, utraque pagina setuloso-strigillosis; paniculis terminalibus parvis, pedunculis axillaribus 1-3-floris.

Frutex circiter metralis vel paulo altior. Folia 2 3 centim. longa, 1-1 ½ lata, petiolo 2-3-millimetrali. Flores 4-meri. Calycis strigillosi dentes caduci acuti. Petala circiter centimetrum longa obovato-acuminata rosea. Staminum majorum filamenta barbato-pilosa, minorum subglabra. Ovarium 4-loculare, stylo pilosulo. Planta exsiccata lutescit. — In Brasiliæ provincia *Minas Geraes;* Riedel, *Cat.*, n° 3.

J. ANGUSTIFOLIÆ.

Fruticosæ; foliis angustissimis; floribus 5-meris; staminum filamentis styloque parce setosulis.

19. LASIANDRA ANGUSTIFOLIA †.

L. fruticulosa fastigiatim ramosa; ramis tetragonis ad angulos strigillosis; foliis subsessilibus linearibus pro genere angustissimis obtusis marginibus revolutis 1-nerviis strigosis; floribus ad apices ramulorum terminalibus solitariis violaceis; calycibus setoso-hispidissimis.

Quæ sit plantæ nostræ statura haud comperimus, sed si speciminis unici habitui fidendum est, fruticulus subsemimetralis videtur. Folia internodiis duplo triplove longiora 2-3 centim. longa sunt, 2-3 millim. lata, basi in petiolulum vix millimetralem coarctata. Calyx setis robustis subpatentibus hispidus purpurascens, dentibus ovatis ciliatis in anthesi

reflexis aut saltem patulis. Petala obovata apice rotundato ciliolata, 2 centim. circiter longa. Stamina parum inæqualia, connectivis infra loculos modice productis, filamentis facie antica setis aliquot ornatis, minorum interdum subglabris. Stylus pariter sparse setosulus. Cætera ignota. — In montibus *Serra do Frio* provinciæ *Minas Geraes*, haud procul a vico *Milho Verde;* Aug. de Saint-Hilaire.

K. Macrogastræ.

Subherbaceæ vel frutescentes; foliis petiolatis; floribus 5-meris; bracteolis brevibus aut angustis flores non vere involucrantibus; calycis dentibus tubo oblongo vel subcampanulato manifeste brevioribus deciduis; filamentis pilosis aut glabris.

20. Lasiandra Gaudichaudiana DC., *l. c.* — Mart., *Herb.*, nº 3.

L. fruticosa erecta ramosa; foliis ovato-acuminatis acutissimis basi rotundatis integerrimis 5-nerviis, pagina superiore strigilloso-scabris, inferiore præsertim ad nervos pilosulis; paniculis terminalibus parvis.

Folia 4-6 centim. longa et forsan amplius, 1 ½-2 lata, petiolo fere centimetrali. Calycis dentes ovati acuti tubo suburceolato paulo breviores. Staminum filamenta ad basim tantum pilosula. Stylus glaberrimus. — In Brasilia; Martius.

21. Lasiandra obscura Cham., *Linnæa*, IX, p. 435.

L. fruticosa erecta ramosa; foliis oblongo-ovatis acuminatis acutissimis, basi quoque subacutis, integerrimis 5-nerviis, pagina superiore strigilloso-scabrellis, inferiore pilosulis subglabratisve; paniculis axillaribus terminalibusque parvis.

Planta præcedenti certe proxima et tamen diversa videtur. Folia 5-7 centim. longa, 1 ½-2 lata, petiolo centimetrali, magis ovata sunt quam in *L. Gaudichaudiana.* Calycis dentes acuti tubo strigilloso fere duplo breviores. Petala 2 centim. circiter longa oblongo-obovata retusa inæquilatera. Staminum filamenta basi tantum pilosula. Stylus glaberrimus. Ex descriptione Chamissois ad *L. obscuram* relata, sed superest aliquid dubii. — In Brasilia meridionali prope *Rio de Janeiro;* Gaudichaud, nº 742.

22. Lasiandra sulcata †.

L. subherbacea? erecta; caule alternatim hinc et inde compresso et sulcato ad nodos setoso scabriusculo; foliis ovato-oblongis acutis basi rotundatis integerrimis 5-nerviis, pagina superiore adpresse breviterque setulosa scabriusculis; panicula terminali haud conferta.

Folia circiter 1 decim. longa et forsan amplius, 2 ½-3 lata, petiolo 1-1 ½ centimetrali. Calycis adpresse sericei dentes ovati obtusi tubo plus quam duplo breviores. Petala late obovata, 1 ½ vel 2 centim. longa, parum inæquilatera. Staminum filamenta antice sparse pilosula. Stylus glaber. — In Brasilia septentrionali prope *Bahiam;* Blanchet, *Catal.* n° 1697.

23. Lasiandra spoliata †.

L. suffruticosa erecta ramosa; caule ramisque subtetragonis hirto-pubescentibus; foliis oblongo-ovatis subacutis basi rotundatis integerrimis 5-7-nerviis, utraque pagina adpresse breviterque villosis subsericeis; panicula terminali parum conferta.

Planta (saltem in nostris speciminibus incompletis) foliis fere omnibus denudata. Folia superiora (quæ sola supersunt) 5-6 centim. longa, 2-2 ½ lata. Calycis tubus oblongus dentibus acutis fere triplo longior. Staminum filamenta glanduloso-pilosa. Stylus glaber. — In Brasilia meridionali prope *Rio de Janeiro;* Gaudichaud, *Catal.* n° 152.

24. Lasiandra phalacrostemon †.

L. suffruticosa hirtella; foliis oblongo-ovatis acutis integerrimis 5-nerviis pubescentibus; dentibus calycinis tubo ferme triplo brevioribus; staminum filamentis glaberrimis.

Planta nostra omnino incompleta est. Folia suprema quæ supersunt circiter 6 centim. longa et 2 lata. Petala obovata sesquicentimetralia. Cætera ignota. — In America æquatoriali (forsan Brasilia septentrionali); Bonpland.

25. Lasiandra lutescens †.

L. fruticosa erecta parum ramosa; ramis 4-gonis hirtellis; foliis breviter petiolatis ovatis vel ovato-ellipticis acutis integris

5-nerviis, pagina superiore scabrellis, inferiore lutescenti-villosulis subsericeisque; paniculis terminalibus.

Folia 4-6 centim. longa, 1 ½-2 lata, petiolo semicentimetrali. Calycis villosi dentes subacuti tubo paulo (non duplo) breviores. Petala 2 2 ½ centim. longa, obovata retusa inæquilatera. Staminum filamenta antice parce breviterque glanduloso-pilosa. Stylus inferne pilosulus. — In Brasilia meridionali prope *Rio de Janeiro*; Gaudichaud, *Catal.*, n° 743.

26. LASIANDRA ANNULARIS †.

L. fruticosa ramosa; ramis junioribus subcompressis subtetragonisque hirtellis demum subglabratis, ad nodos præcipue setis longioribus annulatis; foliis ovato-oblongis acuminatis integerrimis, nervo utroque marginali adjecto 5-nerviis, pagina superiore adpressissime setulosis non autem scabris, inferiore glabris vel glabratis; paniculis terminalibus brevibus parum confertis.

Folia 1-1 ½ decim. longa, 3 centim. lata, petiolo fere sesquicentimetrali. Calycis dentes obtusissimi tubo turbinato strigilloso breviores. Petala ferme 2 centim. longa et amplius, obovata retusa inæquilatera. Staminum filamenta antice pilosa. Stylus glaberrimus. Habitu *L. Fontanesianam* refert. — In Brasiliæ provincia *Minas Geraes;* Claussen.

27. LASIANDRA MAXIMILIANA DC., *l. c.*, 128. — Mart., *Nov. gen.*, III, tab. 240.

L. frutescens suffrutescensve erecta parum ramosa; ramis 4-gonis fistulosis adpresse strigilloso-scabris, ad nodos setis crebrioribus et robustioribus cinctis; foliis breviter petiolatis ovatis vel ovato-lanceolatis acutis integerrimis 5-7-nerviis, pagina utraque villoso-setosulis subsericeisque; panicula terminali pyramidali; floribus violaceis.

Planta metralis sesquimetralisque; caule inferne teretiusculo, pennæ cycneæ crassitiem attingente, ramos paucos virgatos proferens. Folia internodiis breviora, 5-9 centim. longa, 2 ½-3 lata (saltem suprema quæ sola in specimine nostro suppetunt), petiolo 5-8-millimetrali Calyx breviter strigillosus, ante explicationem floris bracteolis minutis mox caducis suffultus. Petala ferme 2 centim. longa obovata. Staminum filamenta

ima basi setulis perpaucis ornata interdumque glabra. Stylus filiformis exsertus glaber aut parcissime pilosus. De reliquis confer cum præstantissima Martii explanatione et icone. — In provinciis *Rio de Janeiro* et *Saint-Paul;* Bonpland.

L. MUCORIFERÆ.

Frutescentes vel suffrutescentes, habitu vario, micranthæ et macranthæ, paniculatæ et subuniflorae, 5-meræ; connectivo staminum in insertione filamenti glandulifero. Propter diversitatem habitus sic dividuntur.

a. *Paniculæ micranthæ vel submicranthæ; stylo vix exserto.*

28. LASIANDRA HOLOSERICEA †.

L. frutescens erecta tota mollissime villoso-sericea candicans; caule caulibusve simplicibus? 4-gonis; foliis breviter petiolatis ovato-acuminatis basi cordatis 7-nerviis, pagina superiore sericeo-nitentibus, inferiore magis cano-tomentosis; panicula terminali magna conferta aphylla purpurascente; floribus parvis.

Folia 7-10 centim. longa, 3-4 lata, petiolo vix semicentimetrali. Calyx sericeus purpurascens, dentibus acutis tubum æquantibus. Petala 7-8 millim. longa late obovata retusa ciliolata. Staminum 5 majorum connectivum glanduliferum, filamentum crebre et omnino glanduloso-pilosum, 5 minorum connectivum et filamentum glaberrima. Stylus pilosiusculus. — In Brasiliæ provincia *Minas Geraes;* Claussen, *Catal.*, n° 556.

29. LASIANDRA ADENOSTEMON DC., *l. c.*

L. frutescens erecta forsan simplex; caule robusto crasso tetragono et fere 4-ptero villoso-furfuraceo; foliis majusculis petiolatis oblongo-ovatis interdumque omnino ovatis acutiusculis basi rotundatis integerrimis 5-7-nerviis, pagina superiore villoso-velutina, inferiore magis tomentosa candicante; panicula magna vel maxima terminali ramosa floribunda; floribus subparvis.

Planta habitu variabilis, 2-3 metra alta. Folia sæpius opposita, rarius ternata et tunc caulis hexagonus est, 1-1 ½ decim. longa,

5-6 centim lata, margine interdum purpurascentia, petiolo 1-2-centimetrali. Flores ut in præcedente specie sed paulo majores et staminum omnium filamenta basi tantum glanduloso-pilosa. Stylus vix exsertus sigmoideus pilosulus. — In Brasilia meridionali; Claussen, Vauthier, *Catal.*, n° 49; Gaudichaud, *Catal.*, n° 146; Dupré, Sellow, Weddell.

30. Lasiandra macrophylla †, tab. XIV, fig. 7.

L. herbacea basi suffrutescens erecta simplex vel parum ramosa; foliis majusculis petiolatis late ovatis subacutis integris 5-7-nerviis, pagina superiore scabra, inferiore tomentosa canescente; panicula terminali, ramis subcorymbosis.

Planta circiter metralis. Folia inferiora approximata 1-1 ½ decim. longa, 8-10 centim. lata, petiolo 3-4-centimetrali. Flores bracteolis ovatis purpurascentibus involucrati. Calycis dentes obtusi caduci. Petala sesquicentim. longa et fere tantumdem lata emarginata inæquilatera. Staminum omnium connectiva glandulifera, filamenta parcissime pilosa et sæpe calva. — In Brasilia australi prope *Rio de Janeiro;* Weddell., *Catal.*, n° 472.

31. Lasiandra Gardneri †.

L. frutescens; caule? ramisve 4-gonis 4-pteris; foliis petiolatis ovato-acuminatis longis basi cordato-auriculatis integerrimis quintupli-septuplinerviis, pagina superiore scabrellis, inferiore tomentellis; panicula terminali, ramis subcorymbosis; floribus parvis.

Utrum simplex sit an ramosa, ex unico specimine incompleto non est judicandum. Folia sesquidecimetrum longa et 4-6 cent. lata, petiolo 2-centimetrali et amplius. Flores ut in præcedentibus sed staminum omnium filamenta ad basim pilis aliquot ornata sunt et majorum tantum connectivum glanduliferum. Stylus glaber vix exsertus hamosus. — In Brasiliæ provincia *Ceara*; Gardner, *Catal.*, n° 1603.

b. *Macranthæ pauciflorœ aut rarius paniculatæ; stylo sæpius exserto.*

32. Lasiandra lanceolata †.

L. fruticosa ramosa scabrella macrantha; foliis petiolatis lanceo-

latis utrinque acutis integerrimis prætermisso nervo utroque adpresse setulosis ; paniculis axillaribus et terminalibus.

Folia 1 decim. et amplius longa, 2-3 centim. lata, petiolo 1-1 ½ centimetrali. Calycis dentes acuti tubo campanulato sublongiores decidui. Petala obovato-cuneata late emarginata inæquilatera, 3-3 ½ centim. longa. Stamina inæqualia, antheris undulatis, connectivo breviter producto glandulifero, filamentis dense et omnino pilis glandulosis hirsutis. Stylus media parte inferiore pilosus. — In Brasiliæ provincia *Minas Geraes*, Vauthier, *Catal.*, n° 55 ; Claussen, n° 557.

33. Lasiandra mucorifera †.

L. fruticosa ramosa ; ramis villoso-hirsutis rufescentibus ; foliis petiolatis lanceolatis utrinque acutis integerrimis 5-nerviis, pagina superiore scabrellis, inferiore villosis ; floribus ante explicationem bracteis duabus ovatis acuminatis purpurascentibus caducis involucratis, axillaribus terminalibusque, solitariis-ternis, interdumque subpaniculatis.

Folia circiter decimetralia et sæpe minora, 1-2 centim. lata. Bracteæ florales alabastro longiores villosæ. Calyx campanulatus, dentibus tubo brevioribus caducis. Petala late obovata, ferme 2 centim. longa et lata. Stamina subæqualia, connectivo glandulifero, filamentis pube glandulosa ornatis. Stylus brevis nonnihil clavatus glaber aut parum pilosus. Calyx fructiferus subglobosus. Planta quoad villositatem et hirsutiem variabilis. — In Brasiliæ provinciis *Minas Geraes* et *Saint-Paul* ; Claussen, *Cat.*, n° 35 ; Gaudichaud, *Cat.*, n^is^ 817 et 145.

34. Lasiandra Moricandiana DC., *l. c.*, 128. — *L. dimorphandra* Miquel, *Linn.*, XXII, 539. — Tab. XV, fig. 9.

L. fruticosa ramosa macrantha heterostemon ; foliis petiolatis ovato-oblongis acuminatis integris 5-nerviis, pagina superiore scabrellis, inferiore puberulis ; floribus ante explicationem bractea duplici involucratis ut plurimum terminalibus solitariis-ternis.

Folia 5-6 centim. longa, 1-1 ½ lata, petiolo circiter centimetrali. Calycis campanulati dentes subulati distantes tubo subbreviores caduci. Petala obovata emarginata inæquilatera ciliata, 3 centim. longa, 2 ½ lata. Stamina parum inæqualia, majorum connectivo glandulifero, minorum eglanduloso, sed antice in calcaria duo recurva porrecto,

omnium, sed majorum præsertim filamentis glanduloso-pilosis. Calyx fructifer subglobosus subechinatus. Hanc ad *L. Moricandianam* DC. retulimus quamvis Candolleana descriptio quoad staminum fabricam sit incompleta. — In Brasiliæ australis montibus *Serra dos Orgaos;* Guillemin, *Cat.*, n° 856.

35. Lasiandra terminalis †.

L. fruticosa erecta parum ramosa? foliis petiolatis oblongo-ovatis ovatisve subacuminatis integerrimis 5-nerviis, pagina superiore scabrellis, inferiore adpresse villosulis; floribus terminalibus solitariis-ternis?

Planta præcedenti consanguinea cui etiam staminibus convenit, sed folia magis ovata sunt et in eodem jugo nonnihil disparia; majora circiter 8 centim. longa, 2 lata; minora 5-6 longa, 1 ½ lata. Petala et genitalia omnino ut in *L. Moricandiana* cujus verisimiliter mera varietas est. Descriptio ex unico et incompleto specimine. — In Brasiliæ meridionalis provincia *Rio de Janeiro;* Claussen, *Cat.*, n° 165.

36. Lasiandra Matthæi †.

L. frutescens; ramis supremis 4-gonis; foliis petiolatis oblongo-lanceolatis acuminatis vix manifeste serrulatis 5-nerviis, pagina superiore præsertim strigillosis setulosisve; panicula paniculisve paucifloris.

Folia 7-10 centim. longa, 2-3 lata, petiolo 1-1 ½-centimetrali. Flores bracteis ovatis villosis purpurascentibus caducis ante explicationem involucrati. Calycis dentes tubo fere longiores caduci. Petala violacea, 3 centim. circiter longa. Staminum omnium connectivum in insertione filamenti glanduliferum. Stylus inferne pilosus. Species ad sectionem *Involucralium* habitu pertinens, sed propter characterem staminum *Mucoriferis* referenda. — In Peruvia prope *Chachapoyas;* Matthews. Musæo Parisiensi a clar. Hooker communicata.

M. Sericophyllæ.

Frutescentes vel suffrutescentes 5-meræ et 4-meræ; foliis sessilibus vel breviter petiolatis villoso-sericeis; floribus paniculatis; calycinis dentibus acutis tubo ut plurimum brevioribus; staminum connectivis bituberculatis, filamentis parcissime breviterque pilosis.

37. Lasiandra argentea DC., *l. c.*

L. frutescens erecta parum ramosa; caule 4-gono et fere 4-ptero setoso-strigilloso; foliis sessilibus late ovatis ovatove-ellipticis, ut plurimum apice obtusissimis et rotundatis rarius apiculatis, basi cordatis integerrimis 7-9-nerviis, pagina utraque sericeo-villosis candicantibus; panicula terminali majuscula.

Planta 2-3 metra alta. Folia plerumque sessilia rarius breviter petiolata, 5-8 centim. longa, 4-6 lata. Calycis oblongi sericeo-villosi candicantis dentes ovato-acuti tubo paulo breviores. Petala late obovata, 1-1 ½ centim. longa, intense et pulchre violacea. Staminum filamenta inferne tantum pilis aliquot brevibus glanduliferis ornata. Stylus pariter pilosulus. — In Brasilia meridionali, prope *Rio de Janeiro* frequens; Gay, Vauthier, Gaudichaud, Weddell, et in pluribus aliis locis Brasiliæ, Martius, Sellow. Bonpland. Colitur in Horto Parisiensi.

38. Lasiandra longistyla †.

L. frutescens erecta ramosa; caule alato-tetragono rufescenti-puberulo, ad nodos setis patentibus coronato; foliis petiolatis late ovatis acutis vel subobtusis basi parum cordatis integerrimis, pagina superiore adpresse sericeis nitentibus, inferiore canescenti-tomentellis, 7-nerviis; panicula terminali pyramidata.

Folia 7-9 centim. longa, 3-5 lata, petiolo centimetrali. Calycis tubus sericeus oblongus, dentibus duplo triplove longior. Petala obovata emarginata inæquilatera ciliata, circiter centimetrum longa vel paulo amplius. Staminum filamenta basi pilosula ut et stylus qui longe exsertus est. Planta præcedenti nimis propinqua et illius forsan mera varietas; differt tamen foliis petiolatis et acutioribus. — In Brasilia septentrionali prope *Bahiam;* Blanchet, Salzmann.

39. Lasiandra cordiformis. — *L. setulosa* Mart., *Herb.*, n° 283; non *L setulosa* Spring.

L. fruticosa; ramis subteretibus dense villoso-hirsutis; foliis brevissime petiolatis ovatis subacuminatis basi cordatis 5-7-nerviis, pagina utraque velutino-sericeis; panicula terminali floribus ad apices ramulorum dichotome congestis.

Folia 4-8 centim. longa, 3-4 lata, petiolo villoso vix semicentimetrali.

Calycis tubus villoso-hirsutus, dentibus longior. Staminum connectiva antice breviter biloba, lobis subdivergentibus; filamenta a basi usque ad medium pilis aliquot glanduliferis ornata. Planta exsiccata lutescit. — In Brasilia septentrionali; Martius, Salzmann.

40. Lasiandra sericea †.

L. fruticosa; ramis junioribus dense villoso-hirsutis; foliis brevissime petiolatis late ovatis subacuminatis basi subcordatis 5 rarius 7-nerviis utrinque villoso-sericeis; panicula terminali, floribus 4-meris.

Planta *L. cordiformi* fere simillima et verisimiliter ab ea non distinguenda. Folia tamen paulo minora sunt et magis conferta. In specimine unico nostro, flores, forsan incompleti, 4-meri reperti sunt, cæterum prioris speciei floribus fere omnino conformes. — In Brasilia, loco haud indicato. — Bonpland.

41. Lasiandra velutina †.

L. fruticosa ramosa; ramis supremis 4-gonis sericeis; foliis subparvis petiolatis oblongo-ovatis acutissimis 5-nerviis, supra velutinis, subtus sericeis; paniculis terminalibus parvis paucifloris.

Folia 3-4 centim. longa, 1-1 ½ rarius 2 lata, petiolo circiter semicentimetrali. Calycis dentes tubum sericeum subæquantes acutissimi. Staminum filamenta supra basim pilis paucis glanduliferis sparsa. Stylus a basi ad medium villosulus. — In Brasilia septentrionali prope *Bahiam*; Blanchet.

N. Involucrales.

Frutescentes vel fruticosæ; foliis petiolatis oblongis oblongove-ovatis; floribus 5-meris bracteis 2 vel 4 vel pluribus caducis ante explicationem involucratis; calycis dentibus sæpius deciduis et tunc tubum truncatum hemisphæricum subglobosumve linquentibus.

a. *Involucrum in calyptram duplicem conflatum, basi lateribusque lacerum, caducum.*

42. Lasiandra diplostegium Cham., *Linnæa*, IX. — *Diplostegium canescens* Don. — DC.

L. fruticosa macrantha; ramis supremis teretiusculis rufescenti-

hirtis; foliis petiolatis oblongo-ovatis acuminatis integerrimis 5-nerviis, supra strigillosis, subtus adpresse setulosis; floribus ad apices ramulorum ut plurimum ternis ideoque interdum subpaniculatis.

Frutex magnus 2-5 metra altus. Folia 6-10 centim. longa, 2 ½-3 lata, petiolo circiter centimetrali. Flores magni, ante explicationem calyptra duplici obtusa villosa inclusi. Calycis dentes ovati obtusi tubum albicanti-setosum fere superantes, decidui. Petala ferme 4 centim. longa et lata, obcordata ciliata insigniter purpurea. Stylus et staminum filamenta villoso-hirsuta. — In Brasiliæ provincia *Minas Geraes*, Weddell; et *Rio de Janeiro*, Claussen, Sellow.

b. *Involucri bracteæ liberæ nec inter se coalitæ.*

43. Lasiandra mutabilis Riedel, *ined.*

L. fruticosa macrantha; ramis junioribus puberulis interdumque rufescenti-hirsutis, vetustioribus calvescentibus; foliis petiolatis elliptico-lanceolatis acutis integerrimis 5-nerviis, utraque pagina, superiore autem præsertim, scabrellis; floribus ad apices ramulorum ut plurimum solitariis.

Folia 9-10 centim. longa, 2-3 lata, petiolo 1-1 ½-centimetrali. Bracteæ quatuor florem in vernatione involucrantes concavæ obtusæ membranaceæ purpurascentes, extus villosulæ. Calyx totus dense sericeo-setosus albicans, dentibus magnis obtusis tubo nonnihil longioribus caducis. Petala obovata retusa aut rotundata, 3-4 cent. longa. Staminum filamenta a medio ad apicem rufo-villosa vel tota facie antica setosula. Stylus inferne villosissimus interdumque breviter lanato-hirsutus. — In Brasiliæ meridionalis provincia Sancti Pauli; Guillemin, Gaudichaud, Aug. de Saint-Hilaire.

44. Lasiandra Sellowiana Cham., *Linn.*, *l. c.*

L. fruticosa ramosa; foliis petiolatis elliptico-lanceolatis, breviter acuminatis utrinque acutis vix conspicue serrulatis 3-nerviis, pagina utraque tenuissime scabrellis imoque subglabris; floribus ad apices ramulorum solitariis.

Folia 4-6 centim. longa, 1 ½-2 ½ lata, petiolo ½-1-centimetrali. Bracteæ 4-6 concavæ florem in vernatione involucrantes. Calyx totus

dense sericeo-setosus, dentibus obtusis tubo paululo brevioribus. Petala late obovata retusa, 2-2 ½ centim. longa. Staminum connectiva subbicalcarata vel biloba, filamenta antica facie brevissime strigosa. Stylus glaberrimus. — Planta exsiccata nonnihil lutescit. — An affinis *L. Raddianæ* DC.? — In Brasilia australi.

45. Lasiandra versicolor †.

L. fruticosa a basi ramosa; ramis ramulisque magis minusve tetragonis scabrellis; foliis petiolatis elliptico-lanceolatis utrinque acutis integerrimis 3-nerviis adpresse et vix conspicue strigillosis scabris; floribus ad apices ramulorum terminalibus solitariis bractea quadruplici involucratis versicoloribus, calycibus sericeo-villosis albicantibus, dentibus obtusis caducis tubo paulo brevioribus.

Planta circiter bimetralis, *L. mutabili* et *L. Sellowianæ* proxima. Ab utraque differt foliis angustioribus, id est 3-6 centim. longis et 1-1 ½ latis, petiolis 5-8-millimetralibus. A *L. mutabili* satis distinguitur foliis 3-nerviis nec 5-nerviis, floribus minoribus et calycinis dentibus tubo subbrevioribus. *L. Sellowianæ* multo affinior est et ut ab ea dissocietur vix sufficit character styli a basi ad medium setulis ornati nec ut in illa glaberrimi. In nostra tamen addendum est staminum omnium connectiva infra loculos productiora esse et acutius bicalcarata in insertione filamentorum. Petala hujusce speciei, quæ obovato-retusa et ferme 3-centimetralia sunt, mirum in modum colorem variant; in prima anthesi enim alba sunt, apicibus exceptis qui jam cæruleo tinguntur, mox tota cæruleo-purpurea demumque rubra evadunt. *L. mutabili* imo et *L. Sellowianæ* easdem coloris mutationes suspicamur. — In dumetosis prope *Inhasinha* provinciæ Sancti Pauli ; Aug. de Saint-Hilaire.

46. Lasiandra Tibouchinoides DC.

L. fruticosa ; ramis obscure tetragonis strigillosis ; foliis breviter petiolatis elliptico-oblongis subacutis integerrimis 3-nerviis scabrellis ; floribus longiuscule pedunculatis, ad apices ramulorum trinis quinisve, rarius solitariis, interdumque in paniculas paucifloras digestis.

Folia 3-6 centim. longa, 1-1 ½ lata, petiolo 3-5-millimetrali. Involucrum foliolis 2 vel 4 ovatis acuminatis purpurascentibus constans. Calyx totus breviter strigosus, dentibus angustis acutis rigidis tubum æquan-

tibus demum deciduis. Petala obovata retusa, circiter 2 centim. longa. Staminum filamenta basi parcissime pilosa interdumque fere omnino glabra. Stylus glaberrimus. Capsula calycis tubo persistente muricato-strigoso vestita pisum magnitudine æquat. Planta habitu *L. Martiusianam* refert. — In Brasiliæ australis provincia Sancti Pauli; Gaudichaud, Sellow.

47. Lasiandra spathularis †.

L. fruticosa; ramis supremis subcompressis; foliis petiolatis ellipticis ovatisque obtusis rarius subacutis integerrimis 3-nerviis adpresse brevissimeque setulosis ideoque fere glabris; floribus in ramulis supremis paniculatim dispositis alaribus terminalibusque involucratis; foliolis paniculæ ramulos fulcientibus in bracteas spathulatas mutatis.

Speciem maxime incertam et *L. Tibouchinoidi* nimis vicinam huic tamen conjungere ob intimas differentias dubitavimus. Folia scilicet quam in illa latiora sunt et obtusiora, dentes calycini ovati et obtusi nec subulati, stylus villosus nec glaber, petala autem et stamina in utraque vix discrepant. In nostrate foliola paniculæ, ut supra dictum est, formam induunt quæ inflorescentiæ ante florum explicationem habitum peculiarem afferunt, sed haud secus ac bracteæ quatuor subspathulatæ quæ florem quemlibet vestiunt cito sunt caduca. Folia 4-5 centim. longa et 2-3 lata, petiolo 5-10-millimetrali. Dentes calycini tubo vix breviores caduci. Petala obovata retusa, 2 centim. longa. Stamina parum inæqualia, connectivo infra loculos vix producto, filamentis tota longitudine antice setosulis. Stylus tertia parte superiore excepta villosus. — In locis arenosis dictis *Restingas* prope *Guaraparim*, in provincia Sancti Spiritus; Aug. de Saint-Hilaire.

48. Lasiandra nigrescens †.

L. fruticosa vel frutescens; ramis ferrugineo-hirsutis, junioribus 4-gonis, vetustioribus teretiusculis fistulosisque; foliis petiolatis elliptico-lanceolatis utrinque acutis integerrimis, pagina superiore fere omnino glabris, inferiore molliter villosis, præter nervulos marginales 3-nerviis; floribus in paniculas terminales paucifloras digestis.

Folia 7-10 centim. longa, 2-2 $\frac{1}{2}$, lata petiolo $\frac{1}{2}$-1-centimetrali. Involucri bracteæ ovatæ acuminatæ concavæ. Calycis dentes obtusi tubo

strigilloso-hirto breviores. Petala obovata retusa inæquilatera, 1 $\frac{1}{2}$-2 centim. longa. Genitalia glaberrima. Planta exsiccata lutescit. —Descriptio ex specimine unico et manco. — In Brasilia; Bonpland.

49. Lasiandra foveolata †.

L. fruticosa; ramis supremis tomentoso-hirtellis rufescentibus; foliis petiolatis lanceolato-ovatis acuminatis acutis tenuissime crenulatis subintegerrimisque, adjectis nervis submarginalibus 5-nerviis, pagina superiore tenuiter bullato-strigosis, inferiore villosulis et inter nervulos transversos cribrato-foveolatis; floribus ad apices ramulorum solitariis terminalibus, bractea quadruplici ovato-acuta involucratis, violaceis.

Planta nobis ramorum qui fruticem revelant summitatibus tantum cognita sed ab omnibus speciebus hucusque descriptis distinctissima. Folia (saltem ramulorum) 3-5 centim. longa, 1-2 lata, petiolo 5-10-millimetrali. Bracteæ florem involucrantes late ovatæ subacuminatæ acutæ sessiles caducæ. Calycis sericeo-setosi dentes ovato-lanceolati tubo hemisphærico longiores. Petala obovata, 2 centim. circiter longa et fere tantumdem lata. Stamina parum inæqualia consimilia, connectivo infra loculos modice producto et ultra filamenti insertionem appendicula breviter bifurca vel biloba terminato, filamentis infra medium glanduloso-setosulis. Stylus filiformis exsertus sigmoideus, basi vix pilis aliquot ornatus. — In montibus dictis *Serra Negra* ad limites provinciarum *Rio de Janeiro* et *Minas Geraes;* Aug. de Saint-Hilaire.

50. Lasiandra collina †.

L. fruticosa subarboriformis macrantha brachystyla; ramis junioribus subteretibus adpresse villoso-ferrugineis rufescentibusve, vetustioribus glabratis; foliis petiolatis late ovatis interdumque orbiculari-ovatis subobtusis obtusisque 5-nerviis, pagina superiore inter nervos seriatim et ad margines strigis aliquot brevibus exasperatis, inferiore setuloso-strigillosis; floribus ad apices ramorum solitariis-ternis rarius quinis, bractea duplici ante explicationem involucratis pulchre violaceis; calycibus setoso-hispidis.

Frutex subbimetralis monticola erectus superne potissimum ramosus, floribus magnis decorus. Folia 2-3 centim. longa, 1 $\frac{1}{2}$-2 lata, petiolo 3-6-millimetrali. Bracteæ florem involucrantes late ovatæ aut

suborbiculares, calyce breviores. Calyx late campanulatus, dentibus triangulari-ovatis tubo subæquilongis ciliatis purpurascentibus. Petala latissime obovata, 2 ½—3 centim. longa et lata. Stamina valde inæqualia; 5 majorum antheræ lineares graciles vix arcuatæ, connectivo infra loculos modice producto subrecto, cum filamentis pariter gracilibus et a basi ad apicem pube glandulifera hirtellis simpliciter articulato; 5 minorum antheræ quam præcedentium breviores et crassiores, connectivo breviter producto arcuato bilobulato, filamentis crassiusculis brevibus pube glandulifera parce ornatis. Stylus glaberrimus dentes calycinos vix excedens, apice uncinatus, stigmate obtuso. — In montibus *Serra da Ibitipoca* et *Serra Negra* partis australioris provinciæ *Minas Geraes;* Aug de Saint-Hilaire.

51. Lasiandra multiceps †.

L. fruticosa vel frutescens; ramis supremis hirto-ferrugineis; foliis petiolatis elliptico-ovatis acutis subintegerrimis, pagina superiore strigilloso-scabris, inferiore villosis, 5-nerviis; floribus numerosis, ad apices ramulorum trinis quinisve aut paniculas paucifloras formantibus; involucri bracteis binis late ovatis obtusis extus villosis.

Folia 5-6 centim. longa, 2 lata, petiolo vix centimetrali vel breviore. Calyx in alabastro hirtus. Petala nec genitalia visa. Descriptio ex specimine unico et manco. — In provincia Brasiliæ Sancti Pauli; Gaudichaud.

52. Lasiandra ochypetala DC., *l. c.*, p. 128. — *L. andina* Pœppig, *ined.*

L. fruticosa; ramis junioribus 4-gonis scabris; foliis petiolatis oblongo-lanceolatis utrinque acutis integerrimis, adjecto utroque nervulo marginali e nervis lateralibus orto, 5-nerviis, pagina utraque sed superiore præsertim strigilloso-scabrellis; floribus in paniculas numerosas parvas paucifloras que digestis, ramulo quolibet 1-3-floro.

Folia 4-8 centim. longa, 1-1 ½ lata, petiolo sæpius semicentimetrali. Involucri bracteæ binæ ovatæ obtusæ extus villosæ purpurascentes. Calycis strigillosi dentes tubum ferme æquantes. Petala obovata, 1 ½-2 centim. longa. Stylus et staminum filamenta pilosa. — In Peruvia ad radices Andium; Pavon, Moricand, Dombey, Mathews, Rivero.

53. Lasiandra Fontanesiana DC., *l. c.* — *Rhexia Fontanesii* Bonpl., *Rhexiées*, tab. 36. — *Lasiandra Langsdorfiana* DC., *l. c.* — *Rhexia Langsdorfiana*, Bonpl., *ibid.*, tab. 51. — *Melastoma granulosa Bot.*, *Reg.*, tab. 671.

L. fruticosa elata vel potius arborescens; ramis junioribus alato-tetragonis strigilloso-furfuraceis ferrugineis; foliis petiolatis lanceolato-oblongis acutis subintegerrimis, præter nervulos marginales parum perspicuos 5-nerviis (nervo utroque laterali ex intermediis orto), pagina superiore strigosis, inferiore pube molli quasi velutinis; paniculis terminalibus multifloris macranthis.

Arbuscula 3-6-metralis et elatior, trunco crassitudine cruris humani, floribus pulchre violaceis decora et ob nobilitatem habitus in hortis brasiliensibus culta. Folia 1-2 decim. longa, 3-6 centim. lata, petiolo 1-3-centimetrali. Involucri bracteæ binæ lanceolato-ovatæ acutæ naviculatæ non autem carinatæ, extus villosæ, marginibus glabris purpurascentes. Calyx sericeo-villosus, dentibus tubum longitudine æquantibus caducis. Petala 2 ½—3 centim. longa, late obovato-ciliolata, interdum retusa. Staminum filamenta barbato-pilosa. Stylus villosus. — Planta omnibus partibus variabilis non autem in varietates distinctas separanda. Occurrunt specimina foliis asperrimis aliaque fere glabris. —In Brasilia meridionali vulgatissima videtur præsertim in provinciis *Rio de Janeiro*, *Minas Geraes* et *Saint Paul;* Claussen, Vauthier, de Mertens, Martius, Gay, Gaudichaud, Guillemin, Weddell; et in Brasilia septentrionali prope *La Jacobina* ubi ferme glabra reperiuntur specimina; occurrit et in Bolivia prope *Chupe Yungas*, D'Orbigny.

54. Lasiandra rigidula †.

L. fruticosa; ramulis obscure tetragonis dense rufescenti-hirtis velutinisque mox excoriatis et glabratis; foliis breviter petiolatis rigidulis aut subcoriaceis late ellipticis obtusis et subacutis integerrimis, adjecto utroque nervo submarginali 5-nerviis, pagina superiore adpresse strigilloso-scabra, inferiore hirto-velutina rufescente; floribus in paniculas terminales breves paucifloras dispositis cæruleo-violaceis; calycibus sericeo-villosis, bracteolarum involucro mature nudatis.

Specimen nostrum valde incompletum ramulus est folia suprema tan-

tum exhibens quæ 4 centim. circiter longa sunt et 2 vel 2 ½ lata, petiolo 5-6-millimetrali. Calycis dentes triangulari-acuti, tubo campanulato vix breviores, forsan caduci. Petala obovata sesquicentimetrum longa videntur. Stamina inæqualia; majorum antheræ subrectæ, connectivo modice producto, minorum subsigmoideæ connectivo infra loculos subnullo, filamentis omnium supra medium piloso-barbatis. Stylus filiformis exsertus glaber aut ima basi vix pilosulus. Ex filamentorum vestitu ad *L. Fontanesianam* accedere judicata est — In monticulo dicto *Morro-Pilado* prope urbem *Villa do Principe* Brasiliæ australis; Aug. de Saint-Hilaire.

55. LASIANDRA WEDDELLII †.

L. fruticosa; ramis subteretibus, strigis brevibus adpressis sparse vestitis; foliis petiolatis ovatis acuminatis acutis, basi rotundatis, subintegerrimis, prætermisso nervulo utroque marginali parum conspicuo 3-nerviis, supra vix perspicue setulosis ideoque primo aspectu glabris, subtus præsertim in nervis adpresse setulosis, involucri foliolis binis ovatis acuminatis purpurascentibus; floribus terminalibus ut plurimum solitariis.

Frutex ramosus 1-2 metralis. Folia sæpius 5 centim. longa, 2-2 ½ lata, petiolo ferme centimetrali. Calyx totus strigilloso-villosus, dentibus tubum excedentibus. Petala obovata ciliolata, 1 ½-2 centim. longa. Staminum filamenta pilis glanduliferis antice ornata. Stylus haud visus. — In montibus *Serra d'Estrella* Brasiliæ australis prope *Bel Monte;* Weddell.

56. LASIANDRA SEMIDECANDRA DC., *l. c.*

L. fruticosa macrantha; ramis junioribus obsolete 4-gonis hirto-rufescentibus, vetustioribus glabratis subteretibus; foliis petiolatis ovatis acutis basi rotundatis tenuissime serrulatis, utraque pagina sed superiore præsertim velutino-villosis, adjecto nervo utroque submarginali 5-nerviis; floribus ad apices ramulorum solitariis; involucro 4-phyllo, ad medium calycem explicatum attingente.

Folia 4-6 centim. longa, 2-2 ½ lata, petiolo circiter centimetrali. Involucri bracteæ latæ subrotundatæ sæpe purpurascentes, extus villosulæ, calyce aperto duplo breviores. Calyx villosulo-sericeus, dentibus

ovato-oblongis tubo longioribus deciduis. Petala ferme 3 centim. longa, 2-2 ½ lata, obovato-inæquilatera Staminum filamenta stylusque pilosa. — Species decora et quæ in hortis colatur omnino digna. — In Brasiliæ provincia *Minas Geraes;* De Pissis, Claussen, Vauthier, Martius.

57. Lasiandra macrocarpa †.

L. fruticosa elata ramosissima macrantha macrocarpa; ramis hornotinis tantum foliosis hirsutis, annotinis denudatis moxque excoriatis nodosis; foliis petiolatis ovatis acuminatis acutis tenuissime serrulatis subintegerrimisque 5-nerviis, utraque pagina villoso-velutinis; floribus ad apices ramorum solitariis bractea sextuplici involucratis purpureis aut violaceis; calycis dentibus caducis, tubo ovoideo-oblongo subæquilongis.

Frutex magnus subarboriformis monticola floribus maximis superbiens, *L. semidecandræ* proximus et ab ea forsan non facile distinguendus. Hujus enim habitum refert sed flores quam in illa majores habet nec calyces fructiferi in utraque specie conformes sunt. *L. semidecandræ* scilicet capsulæ calycis tubo villoso-sericeo vestitæ fere globosæ sunt et diametro vix centimetrales, *L. macrocarpæ* contra ovoideæ et duplo majores. Bracteæ florem involucrantes suborbiculares extus villosissimæ tubum calycis æquant, post anthesim cito caducæ. Calycis dentes uti tubus ipse ferme 2-centimetrales. Petala 4 centim. et amplius longa obovata. Stamina inæqualia, antheris subsigmoideis (præsertim minorum), connectivis longiuscule infra loculos productis et ad insertionem filamenti bicalcaratis, filamentis inferne glanduloso-pilosis. Stylus exsertus glaberrimus. — In nemoribus montium *Serra do Popogayo* provinciæ *Minas Geraes*, ad altitudinem 2000 metrorum; Aug. de Saint-Hilaire.

58. Lasiandra Claussenii †.

L. fruticosa; ramis subteretibus rufescenti-hirtis; foliis subrigidis breviter petiolatis omnino ovatis subacuminatis basi rotundatis integerrimis aut vix conspicue serrulatis, adjecto nervo utroque marginali 7-nerviis (nervis intermediis basi coalitis) supra adpresse strigilloso-villosis, subtus molliter villoso-velutinis; ramulis 1-floris fere in paniculas parvas foliosas dispositis; calyce explicato involucrum 2-phyllum superante.

Folia 3-5 centim. longa, 2-3 lata, petiolo circiter semicentimetrali.

Involucri bracteæ ovato-oblongæ subacutæ extus villosulæ. Calycis sericeo-setosi dentes tubo paulo breviores. Petala obovata sesquicentim. circiter longa. Staminum filamenta stylusque villosa. — In Brasiliæ provincia *Minas Geraes;* Claussen, Martius, *Herb.*, n° 962.

O. TIBUCHINA;

Frutex ramosus scaber. Flores 5-meri involucro duplici, utroque bracteis duabus connatis constante, cincti. Dentes calycini rigidi acutissimi persistentes. Staminum filamenta glaberrima.

59. LASIANDRA TIBUCHINA. — *Tibouchina aspera* DC., *l. c.*, 143.

L. ramis pube scabra rufescente vestitis; foliis breviter petiolatis ovatis vel sæpius oblongo-ovatis acutis integerrimis 5-nerviis, supra inter nervos, subtus in tota pagina setuloso-villosis; floribus ad apices ramulorum in paniculam digestorum aggregatis violaceis; calycibus sericeo-setosis.

Planta videtur metralis et forsan procerior. Petala circiter 1 centim. longa obovata retusa. — In Guyana gallica; Bonpland, Mélinon, Leprieur; Batavica, Hostmann.

P. BARBIGERÆ;

Suffrutescentes frutescentesque asperifoliæ micranthæ et submacranthæ 5-meræ; staminum connectivo ad insertionem filamenti setis seu pilis varie vergentibus terminato; floribus involucro proprie dicto sæpius destitutis.

60. LASIANDRA ÆGOPOGON †.

L. suffrutescens subherbaceave basi lignosa, tota strigis adpressis asperata, submacrantha; caule subsimplici tereti; foliis paucis majusculis petiolatis oblongo-ovatis subobtusis acutisve integerrimis 5-nerviis (nervis lateralibus basi coalitis), utraque pagina sed in nervis subtus et in margine præsertim strigoso-scaberrimis, rigidis; floribus ad apices ramulorum paniculæ plus minus corymbosæ congestis bracteolisque brevibus basi munitis.

Planta semimetralis metralisve erecta simplex aut subsimplex. Folia 10-15 centim. longa, 5-7 lata, petiolo 1-1 ½-centimetrali. Calyx strigosus,

dentibus rigidis tubo brevioribus cum strigis totidem aculeiformibus alternantibus. Petala circiter 2 centim. longa et lata, inæquilatera, obcordata. Staminum connectiva setarum adscendentium fasciculo terminata, filamenta vix pilis 2 vel 3 ornata; stylo fere glabro. — In provincia Brasiliæ *Minas Geraes ;* Weddell.

61 . Lasiandra Melastomoides †.

L. suffrutescens erecta simplex? tota strigis adpressis exasperata; caule tereti; foliis remotis breviter petiolatis lanceolato-oblongis acutis integerrimis, adjecto utroque nervo submarginali 5-nerviis, utrinque sed in nervis subtus et margine præsertim strigosis; floribus majusculis ad apices ramorum paniculæ coarctatæ et interruptæ congestis, basi bracteolis aliquot involucrum fere formantibus fulcratis.

Folia decimetrum circiter longa, 2 centim. lata, petiolo semicentimetrali. Calycis strigosi dentes ovati ciliati tubum æquantes cum denticulis totidem ut in genere Melastomatum alternantes. Petala 2 centim. circiter longa obovata inæquilatera ciliata. Staminum majorum connectivum ad insertionem filamenti setis coronatum, minorum antice barbatum, omnium filamenta pilosa. Stylus glaberrimus. — Descriptio ex specimine incompleto; plantæ radices non vidimus. — In Brasiliæ provincia *Goyaz ;* Gardner.

62. Lasiandra exasperata †.

L. suffruticulosa erecta simplex tota, petalis genitalibusque exceptis, strigis lepidotis malpighiaceisque adpressis asperata; caule tereti; foliis breviter petiolatis ovato-ellipticis acutis subobtusisque integerrimis, prætermisso utroque nervulo marginali 5-nerviis; floribus trinis quinisve ad apicem caulis glomeratis, violaceis; calycibus paleaceo-strigosis.

Planta 4-5-decimetralis, basi lignosa, superne subherbacea, subgracilis oligophylla oligantha. Folia in eodem jugo interdum imparia, infima suborbicularia, cætera elliptica vel ovata, 3-6 centim. longa, internodiis ut plurimum breviora. Florum glomerulus foliolis duobus supremis suffultus, flore quolibet basi bibracteolato. Calycis campanulati tubus strigis paleaceis acutissimis serrulatis armatus, dentes ovati ciliati tubo paulo breviores. Petala obovata setulis glanduliferis ciliata. Stamina parum inæqualia haud dissimilia; connectivo infra loculos modice pro

ducto, ad insertionem filamenti antice barbato; filamentis in media longitudine barbato-setosis. Stylus glaberrimus. — In montibus dictis *Perineos* provinciæ *Goyaz;* Aug. de Saint Hilaire.

63. LASIANDRA POGONANTHERA †.

L. fruticosa ramosa scabra micrantha (pro genere); foliis breviter petiolatis ovato-oblongis acutis basi rotundatis rariusve subcordatis integerrimis, prætermisso nervulo utroque submarginali 3-nerviis, utraque pagina setuloso-scabris, nervis autem subtus strigosis; paniculis terminalibus confertis; bracteolis parvis florum basim fulcrantibus.

Caulis ramique teretes adpresse strigilloso-scabri. Folia circiter 1 decim. longa, 2 ½-3 centim. lata, petiolo sæpius 5-millimetrali. Calycis strigillosi dentes acuti tubo duplo triplove breviores. Petala 4-5 millim. longa et lata inæquilatera retusa. Staminum omnium filamenta ad insertionem filamenti antice barbata, filamenta circa medium pilis aliquot coronata. Stylus glaber. — In Brasilia, loco non designato. Male a clariss Candolleo cum *Tibouchina aspera*, Aubl. confusa in herbario Parisiensi.

64. LASIANDRA LEPIDOTA †.

L. frutescens erecta; caule subtereti superne ramoso lepidoto-strigilloso; foliis petiolatis ovatis acutis integerrimis 5-nerviis, utraque pagina sed superiore præsertim dense strigilloso-setosis, nervis subtus setoso-lepidotis; floribus ad apices ramulorum et caulis glomeratis, bractea quadruplici basi fulcratis; calycibus setis lepidotis dense vestitis.

Folia (saltem superiora) 3-5 centim. longa, 2-3 lata, petiolo subcentimetrali. Calycis dentes tubo oblongo duplo breviores triangulari-acuti. Petala (in alabastro tantum visa) late obovata subretusa ciliata, forsan in flore aperto sesquicentimetrum longa et lata. Stamina parum inæqualia conformia, connectivo ad insertionem filamenti barbato, pilis in fasciculos duos nonnihil divisis, filamento medium versus pilis aliquot divaricatis ornato. Stylus glaberrimus. — In Peruvia; Mathews. Ex Herb. clariss. Hooker.

65. LASIANDRA BARBIGERA †.

L. fruticosa ramosa scabra micrantha (pro genere); ramis teretibus adpresse strigilloso-asperis; foliis breviter petiolatis late

ellipticis aut ovato-oblongis obtusis acutisve integerrimis 5-nerviis, utraque pagina adpresse setuloso scabris, inferioris autem nervis strigosis; floribus ad apices ramulorum paniculatim dispositorum dense glomeratis, bracteolis parvis fulcratis.

Planta foliorum forma et vestitu maxime variabilis. Occurrunt specimina quorum folia omnino elliptica imo et fere subrotunda sunt, alia autem quorum sunt oblongo-ovata et acuta, nunc setulis rigidis asperata, nunc villis mollioribus vestita. Mire etiam variant longitudine quamvis latitudo eadem fere semper remaneat; sic, secundum specimina, folia reperire est 4-12 centim. longa, 2-3 lata. Calycis dentes tubo triplo breviores. Petala 6-7 millim. longa et lata. Staminum connectiva antice longe barbata sicut et filamenta circa mediam longitudinem. Stylus haud visus. — In Brasilia centrali; Weddell.

66. Lasiandra bipenicillata †.

L. fruticosa ramosa; ramis hornotinis apice tantum foliosis strigillosis, annotinis denudatis excoriatis; foliis oblongo-ovatis acutis integerrimis, adjecto nervo utroque marginali 5-nerviis, paniculis terminalibus multifloris; calycibus lepidoto-strigosis; antherarum omnium connectivo basi postica lateribusque setoso, ad articulationem filamenti antice in appendices duas setoso-penicillatas porrecto.

Species a præcedentibus distinctissima, *L. barbigeræ* tamen habitu quodammodo affinis. Rami divaricati nudi excoriati indecori, sub inflorescentia articulato-nodosi. Folia 5-7 centim. longa, 2-3 lata, petiolo centimetrali. Paniculæ thyrsoideæ, ramulis ut plurimum trifloris, pedicellis brevibus, bracteolis minutis ovatis strigosis caducis. Calycis tubus strigis squamæformibus adpressis loricatus, dentes ovato-acuti tubo breviores. Petala late obovata retusa, 1 centim. longa et lata, rubra aut purpurea. Stamina inæqualia, antheris linearibus subrecurvis, connectivo infra loculos præsertim in 5 majoribus longiuscule producto, postice lateribusque barbato-setoso, appendicibus duabus productis penicillato-setosis antice terminato. Calyx fructifer nonnihil pentagonus; capsula submatura oblonga, apice setosulo quasi 5-ptera, demum 5-valvis. — In republica Venezuelensi, prov. *Merida*, haud procul ab oppidulo *San Cristobal*, ad altitudinem 400-1000 metrorum; Funck et Schlim, *Cat.*, nº 1275; Linden. *Cat.*, nº 699.

Q. INCERTÆ SEDIS :

Seu Lasiandræ quarum flores completi non suppetebant in speciminibus nostris.

67. LASIANDRA DUBIA Cham., *Linnæa*, IX, 433.

L. fruticulosa erecta ramosa microphylla macrocarpa ; foliis petiolatis ovatis acutis 3-nerviis, supra inter nervos, subtus in nervis necnon in margine setosis ; floribus terminalibus solitariis, bractea duplici magna late ovata villosa ciliataque involucratis ; capsulis maturis tubo calycino setoso-echinato vestitis.

Folia 2-2 ½ centim. longa, 1 lata, petiolo 4-10-millimetrali. Petala nec genitalia visa. — In Brasiliæ provincia Sancti Pauli ; Gaudichaud.

68. LASIANDRA SALVIÆFOLIA Cham., *l. c.*, p. 441.

L. frutescens? ; ramis obtuse 4-gonis nonnihilque 4-pteris ; foliis petiolatis ovato-oblongis acutis, adjecto nervulo utroque submarginali, 5-nerviis, pagina superiore breviter adpresseque strigillosis, inferiore pilosulis.

Folia 6 8 centim. longa, 1 ½-2 ½ lata, petiolo circiter centimetrali. Flores, ex clar. Chamissoe, paniculati, bractea duplici lanceolata calycem superante fulcrati, calycis dentibus tubo brevioribus. — In Brasilia ; Sellow. — Planta e Musæo Berolinensi ad Parisiense benigne missa.

69. LASIANDRA STENOCARPA? DC.

L. fruticosa? tota villoso-rufescens ; foliis petiolatis ovatis 5-nerviis, utraque pagina dense rufescenti-villosis ; paniculis fere in spicas coarctatis ; floribus subsessilibus bracteolis calyce multo brevioribus instructis ; calycis tubo dentibus fere triplo longiore.

Folia suprema circiter 2 centim. longa, 1 lata, petiolo semicentimetrali. — Planta e Museo Petersburgensi ad Parisiense missa sub nomine *L. stenocarpæ?* DC., cujus descriptioni parum convenit.

70. LASIANDRA PAPYRIFERA Pohl, *Reise*.

L. arborescens ; caulis ramorumque vetustiorum cortice in membranas tenues candicantes papyraceas solubili ; foliis petiolatis elliptico-oblongis integerrimis, adjecto utroque nervulo margi-

nali 5-nerviis, utrinque sed pagina superiore præsertim strigilloso-scabris; paniculis terminalibus; calycis adpresse strigillosi dentibus tubo multo brevioribus persistentibus.

Arbuscula 3-4 metra alta, floribus violaceis et trunco *Betulæ albæ* canitiem referente insignis. Folia 12-15 centim. longa, 2-3 lata, petiolo 1-1 ½-centimetrali. Calyx fructifer obtuse 5-gonus. — In rupibus montium *Serra Dourada* Brasiliæ australis ubi dicitur *Pao do Papel*; Weddel.

Species addendæ; multæ autem incertissimæ et revisendæ:

71. L. STRIGILLOSA. — *Chætogastra strigillosa* DC. — Mart.; *Nov. gen.*, III, tab. 245.

72. L. FISSINERVIA DC. — Mart., *l. c.*, tab. 243.

73. L. KUNTHIANA DC.

74. L. ÆMULA DC.

75. L. HYGROPHILA DC.

76. L. HOSPITA DC.

77. L. MACHROCHITON DC.

78. L. THEREMINIANA DC.

79. L. CANDOLLEANA DC.

80. L. RADDIANA DC.

81. L. PROTEÆFORMIS DC.

82. L. URVILLEANA DC.

83. L. FOTHERGILLÆ Cham., *Linn.*, IX, 437. — *Rhynchanthera Fothergillæ* DC.

84. L. PULCHRA Cham., *l. c.*, 439.

85. L. URSINA Cham., *l. c.*, 443.

86. L. MOLLIS Cham., *l. c.*, 444.

87. L. COERULEA Rchbch., *Hort. bot.*, tab. 250. — Walp., II, 128.

88. L. PETIOLATA Graham in Hook. *Bot. Mag.*, tab. 3766.

89. L. LHOTZKIANA Presl., *Symb. bot.*, II, tab. 52. — Walp., *l. c.*

90. L. MURICATA Presl., *l. c.*, tab. 45.

91. L. OSBECKIOIDES Steud., *Flora* XXVII, 720.

92. L. HETEROMALLA. — *Pleroma heteromallum* DC. et *Bot. Reg.*, tab. 644.

93. L. VIMINEA. — *Pleroma vimineum* DC. — *Melastoma vimineum Bot. Reg.*, tab. 664.

94. L. VILLOSA. — *Pleroma villosum* DC. — *Melastoma villosum Bot. Mag.*, tab. 2630.

95.? L. LEDIFOLIA. — *Pleroma Ledifolium* DC.

96.? L. LAXA. — *Pleroma laxum* DC.

97.? L. TRICHOPODA. — *Pleroma trichopodum* DC.

98. L. VIRGATA. — *Pleroma virgatum* Gardn. in Hook. *London Journ. of bot.*, II, 347.

99. L. ECHINATA. — *Pleroma echinatum* Gardn., *l. c.*

100. L. ELEGANS. — *Pleroma elegans* Gardn., *l. c.*

101. L. MULTIFLORA. — *Pleroma multiflorum* Gardn., *l. c.*

102. L. ARBOREA. — *Pleroma arboreum* Gardn., *l. c.;* an differt a *L. diplostegio?*

103. L. CORYMBOSA. — *Pleroma corymbosum* Benth., *Plant. Hartweg*, p. 181. — Walp., V, 703.

104. L. SERICANS Miq., *Linn.*, XXII, p. 538.

105. L. REGNELLII Miq., *l. c.*, 539.

106. L. HIRSUTA ? — *Chætogastra hirsuta* DC.; forsan eadem species ac *L. gracilis.*

107. L. ALBIFLORA. — *Pleroma albiflorum* Gardn. in Hook. *Lond. Journ. of bot.*, II, 347.

108. L. BENTHAMIANA. — *Pleroma Benthamianum* Gardn. ex Hook. *Bot. Mag.*, t. 4007.

Species exclusa :

L. Oleæfolia Mart., *Nov. gen.*, tab. 244. — ANCISTRODESMUS OLEÆFOLIUS Ndn.

Species jam delendæ :

L. Langsdorfiana DC., eadem ac L. FONTANESIANA DC.

L. dimorphandra Miq., *Linn.*, XXII, p. 639. Eadem ac L. MORICANDIANA DC.

(*Mox sequetur.*)

EXTRAIT DES **ANNALES DES SCIENCES NATURELLES**, TOME XIII,
MAI 1850.

MELASTOMACEARUM

QUÆ IN MUSÆO PARISIENSI CONTINENTUR

MONOGRAPHICÆ DESCRIPTIONIS

ET SECUNDUM AFFINITATES DISTRIBUTIONIS

TENTAMEN.

(SEQUENTIA.)

Auctore **CAROLO NAUDIN**.

XXVIII. *MELASTOMA*.

Melastoma Burmann, *Flor.zeyl.*, 72. — Melastomatis species Linn. — Melastomatis et Osbeckiæ species DC., Blume. — Melastoma Korthls. — Endlich., *Gen*, n° 6219.

Flos 5-merus, rarius 6-7-merus. Calycis dentes sæpius acuti, tubum campanulatum subæquantes, cum denticulis totidem subulatis sæpissime alternantes, decidui. Petala inæquilatere obovata retusa aut omnino obovato-cordata, rarius apiculata, ciliata. Stamina 10 (12 in floribus 6-meris), valde inæqualia, raro subæqualia discolora et subdissimilia; antheris ut plurimum lineari subulatis 1-porosis recurvis, antice magis minusve undulatis; 5 majorum violaceis, connectivo infra loculos sæpissime longe producto (loculorum circiter longitudine), arcuato et ad insertionem filamenti antice plerumque bilobo aut bicalcarato; 5-minorum luteis, connectivo infra loculos nullo aut subnullo, ibi autem sæpius bitesticulato. Ovarium ovoideum, nunc fere omnino liberum nunc et sæpius ad medium usque septis antheras in præfloratione inflexas separantibus calyci adnatum, apice setosum, 5-loculare (6-loculare in floribus 6-meris). Stylus filiformis crassus sigmoideus, stigmate obtuso. Fructus maturus globosus calycis tubo persistente et tunc subsphærico vestitus, magis mi-

nusve carnosus interdumque fere capsularis, demum lacerus. Semina cochleata.

Frutices rarius fruticuli indici, sinenses et sundaici, necnon in pluribus insulis Oceaniæ, Sechellis et Australia crescentes, in Africa et Madagascaria nondum reperti, ex America exules; strigosi, ut plurimum macranthi; foliis in eodem jugo æqualibus aut vix disparibus, ovatis lanceolatisve, sæpius integerrimis, 3-5-7-nerviis; floribus ad apices ramorum fasciculatis aut glomeratis, nonnunquam solitariis; calycibus setosis, strigoso-paleaceis, rarius barbatis aut echinatis; petalis violaceis purpureisve interdumque pallide roseis aut albis.

Melastomatis genus totius fere ordinis maxime naturale est si plurimæ Candollæi aliorumque auctorum species ab eo removeantur. Quoad autem specierum distinctionem, tractatu perdifficile ne impossibile dicamus. Quædam revera certis characteribus militantes signum suum retinent, maxima pars autem commutatis vestitu et habitu ita inter se ludunt ut unam et eamdem speciem esse pluribus notis diversissima specimina crederes. Utrum omnes illas formas in unam contrahere speciem an uti proprias describere melius sit, sagacioribus relinquimus. Nos satis juvabit, si prioris sectionis species recognoscendas fecerimus.

A. *Species facilius distinguendæ nec cum* M. malabathrico *consociandæ.*

1. Melastoma repens Lamk., *Dict.*, p. 54. — *Osbeckia repens* DC., III, 142. — *Asterostoma repens* Blum. *Mus. bot.*, *Lugd. Bat.*, p. 50.

M. fruticulosum; caulibus decumbentibus basi radicantibus; ramis subtetragonis sparse setulosis; foliis petiolatis late ellipticis obovatisve utrinque subobtusis integerrimis 3-nerviis, margine subrevoluto setulosis, cæterum glabris; floribus terminalibus axillaribusque solitariis-ternis, pro genere parvis.

Fruticulus humi prostratus ramosus, circiter (ex speciminibus nostris) 2-4-decimetralis. Folia 1 ½-2 ½ centim. longa, 1-1 ½ rarius 2 lata.

Calycis dentes subulati ciliato-setosi tubum strigosum circiter æquantes et denticulis 5 alternantibus multo majores. Petala obovata apiculo vel potius seta terminata, subinæquilatera, circiter 7 millim. longa. Stamina omnino ut in aliis ejusdem generis. Bacca matura intense purpurea aut violacea fructum *Vaccinii Myrtilli* forma et crassitudine referens. A cæteris Melastomatibus planta habitu discrepat, indole autem floris illis maxime congruit. — In imperio Sinensi prope *Canton* et *Macao;* Gaudichaud.

2. Melastoma taitense DC., *l. c.*, 144.

M. fruticosum polyanthum pro genere micranthum et brachyandrum ; ramis strigillosis ; foliis ovato-lanceolatis acuminatis acutis integerrimis, adjecto utroque nervo submarginali 5-nerviis, pagina superiore strigosis, inferiore setulosis ; floribus ad apices ramorum paniculato-corymbosis 5 sæpius 6-7-meris; antheris obtusis, connectivo majorum ad insertionem filamenti bicalcarato.

Frutex monticola sesquimetralis ramosus, epidermide rubra vestitus, *Cistum monspeliensem* habitu referens. Folia 4-5 centim. longa, 1-1 ½ rarius 2 lata, petiolo non omnino centimetrali. Calyx strigis lepidotis dense obtectus, dentibus ovatis tubo brevioribus ; cum denticulis totidem vix distinctis alternantibus. Petala ante absolutam floris explicationem caduca, obcordata, non nihil inæquilatera, ciliata, 1 centim. circiter longa et lata, pallide rosea aut alba. Antheræ pro genere brevissimæ, oblongo-ovoideæ, obtusæ; connectivo majorum infra loculos breviusculo, ultra filamenti insertionem in lobos duos calcariformes profunde diviso ; minorum brevissimo et subnullo. Stylus crassus, rectus, corollam non excedente, stigmate obtusissimo. Fructus maturus bacca est 6-locularis pulpa violacea grate saccharina referta. — In collibus aridis et apricis insulæ *Tahiti*, ad altitudinem 300-600 metrorum ; Vesco.

3. Melastoma vitiense †.

M. fruticosum micranthum brachyandrum ; ramis strigosis ; foliis ovatis oblongove-ovatis acuminatis subintegerrimis 5-nerviis, pagina utraque strigilloso-scabris ; floribus 5-meris ad apices ramorum paniculato-corymbosis ; antheris obtusis, majorum connectivo infra loculos breviusculo et ad insertionem filamenti antice bilobo.

Species *M. taitensi* proxima a quo potissimum differt foliis multo

quam in illo majoribus ; unum decimetrum enim et quod excedit longa sunt, quoad latitudinem vero a duobus centimetris ad sex variant. Calyx strigis paleaceis sericeis obtectus ; dentibus minutis, tubo multo brivioribus subdistantibus et cum denticulis totidem vix perspicuis alternantibus. Petala vix centimetrum longa, fere tantumdem lata, obovata. Stamina iis *M. taitensis* simillima sed connectivo paulo breviore et brevius calcarato. Stylus brevis hamosus. Ovarium 5-loculare. Fructus ignotus. — In insula *Balaon*, cycladum vitiensium ; Le Guillou.

4. Melastoma mariannum †.

M. fruticulosum erectum ramosum pro genere micranthum brachyandrum subisostemon ; ramis strigoso-lepidotis ferrugineis, demum excoriatis ; foliis oblongo-ovatis acuminatis acutis subintegerrimis, adjecto utroque nervulo marginali 5-nerviis, pagina utraque strigilloso-asperis ; floribus ad apices ramorum subcorymbosis 5-meris ; antheris obtusis, omnium connectivo cum filamento simpliciter articulato.

Fruticulus primo aspectu *M. taitensi* simillimus, diversus tamen ob antherarum connectivi fabricam nonnullosque alios characteres. Caulis interdum subsimplex, sæpius ramosus, ex speciminibus nostris semimetralis videtur. Folia 4-7 centim. longa, 1 ½ lata, petiolo vix centimetrali. Calyx strigis paleaceis obtectus ; dentibus ovatis, tubum longitudine subæquantibus ; denticulis inter dentes minutis. Petala lata obovata subretusa, 12 millim. circiter longa et lata. Antheræ pro genere brevissimæ oblongo-ovoideæ obtusæ ; majorum connectivo infra loculos brevi, parum arcuato, ad insertionem filamenti non manifeste incrassato nec bilobo ; minorum vix perspicuo. Fructus baccatus videtur, 5-locularis et circiter crassitudine pisi. — In insulis Mariannis prope urbiculam *Guaham ;* Hombron, Le Guillou.

5. Melastoma ceramense †.

M. ramis strigoso-lepidotis rufescentibus ; foliis lanceolato-ellipticis ovatove-oblongis subacuminatis acutis integerrimis 5-nerviis, pagina superiore strigillosis, inferiore setuloso-scabrellis ; floribus 6 meris ad apices ramorum plerumque ternis involucratis ; calycis dentibus tubo subbrevioribus, denticulis subnullis.

Plantæ incompletæ nec cum ulla nota ad nos missæ dubiam formam in medium ferre diu dubitavimus. Nulli aliarum consocianda videtur, sed

adeo exiles sunt cum pluribus differentiæ ut præcipuus et fere unicus essentialis character e loco natali sumi possit. Quantum licebit tamen hanc dignoscendam sic indigitabimus. Folia 5-8 centim. longa, 2-2 ½ lata, petiolo 5-8-millimetrali. Flores bracteis aliquot obovatis concavis extus strigosis caducis involucrati, sæpe 6-meri. Calyx strigis paleaceis obtectus, dentibus ovato-acutis tubo subbrevioribus, denticulis subinconspicuis. Petala sesquicentimetrum circiter longa, obovato-triangularia. Stamina inæqualia, majorum connectivo infra loculos longe producto et ad insertionem filamenti bilobo, minorum inconspicuo. Ovarium 6-loculare, saltem in floribus 6-meris. — In insula *Ceram* prope *Warou*; Jacquinot.

6. Melastoma anoplanthum †.

M. macranthum; ramis teretiusculis squamuloso-strigosis rubiginosis; foliis petiolatis ovato-lanceolatis oblongisve acutis basi subrotundatis integerrimis, prætermisso nervulo utroque marginali 3-nerviis, supra adpresse strigillosis, subtus mollius setulosis; floribus ad apices ramorum terminalibus, ut plurimum ternis, ante explicationem bracteis 4 ovatis calycem æquantibus involucratis; calyce paleaceo-strigoso, dentibus ovatis acutis tubum subæquantibus, denticulis inter dentes ipsos nullis vel saltem mature caducis.

Folia 6-10 centim. longa, 2-2 ½ lata, petiolo centimetrali vel breviore. Bracteæ elliptico-ovatæ subacutæ concavæ dorso strigosæ marginibus purpurascentes post anthesin deciduæ, 1-1 ½ centim. longæ. Calycis tubus strigis paleaceis albicantibus dense obtectus; dentes in medio dorso strigosi, marginibus purpurascentes. Petala 2 ½ centim. longa, obovato-cuneata subinæquilatera. Stamina ut in reliquis. — In insula *Pulo-Pinang*, Gaudichaud, et prope *Calcutta* (fortasse in hortis cultum), Wallich.

7. Melastoma Zollingeri †.

M. submicrophyllum submicranthum; ramis sparse squamulosis; foliis lanceolatis subacuminatis basi subacutis integerrimis, adjecto utroque nervo submarginali 5-nerviis, pagina superiore brevissime et adpressissime strigillosis sublævibus, inferiore scabris; floribus ad apices ramorum subumbellatis paucis; calycinis dentibus tubum subæquantibus, denticulis

minutis; staminum majorum connectivo longiusculo, minorum subnullo sed bi-appendiculato.

Quamvis permultis speciebus hæc sit proxima facile ab omnibus distinguendam censemus. Habitu, foliis et floribus ad Melastomata brachyandra primo aspectu accedit, staminum structura *M. anoplanthum* in mentem revocat. Ab hoc differt floribus non involucratis (saltem in anthesi involucrum non suppetebat) et petalis multo minoribus; ab illis, staminibus dolichantheris. Folia 5-7 centim. longa, 1-1 ½ lata, petiolo centimetrali. Florum pedicellus pariter centimetralis, supra basim bibracteolatus. Calycis strigoso-tuberculati dentes triangulari-acuti caduci. Petala late obovata subretusa, centimetrum circiter longa. Antheræ subulatæ; 5 majorum connectivo loculos subæquante, ad insertionem filamenti bicalcarato; minorum infra loculos brevissimo pariter bicalcarato. Stylus gracilis exsertus fere 3-centimetralis. — In insula *Java*, loco haud indicato; Zollinger, *Cat.*, nº 2495.

8. Melastoma Hombronianum †.

M. ramis paleaceo-strigosis ferrugineis; foliis ovato-oblongis acutis integerrimis 5-nerviis, pagina superiore strigillosis, inferiore setulosis subvillosisque; floribus ad apices ramorum breviter paniculatis; calycinis dentibus tubo subæqualibus, denticulis subnullis; antherarum majorum connectivo loculos ipsos subexcedente, bicalcarato; minorum nullo.

Fruticis ramulos supremos tantum habemus, quod vix in perdifficili genere ut recognoscatur species sufficit. Folia 5-7 centim. longa, 1 ½-2 lata, petiolo non unum centimetrum longo. Calycis dentes triangulari-acuti caduci, denticuli interjecti inconspicui, tubus strigis lepidotis brevibus adpressis obtectus. Petala 2 ½ centim. circiter longa, obovata. Stamina stylusque exserta. Bacca submatura crassitudine pisi. — Prope *Samboangan* ad promontorium austro-occidentale insulæ *Mindanao*; Hombron.

9. Melastoma Gaudichaudianum †.

M. ramis supremis petiolis nervisque subtus setoso strigosis; foliis ovato-lanceolatis acutis integerrimis 5-nerviis, utraque pagina strigilloso-scabris; floribus ad apices ramorum solitariis-ternis breviter pedicellatis magnis; calycibus dense ad-

presseque sericeo-strigosis, dentibus late ovatis subacuminatis.

Planta *M. sanguineo* et *macrocarpo* affinis sed variis characteribus distincta. Calycis tubus setis robustis basi complanatis adpressis subrufescentibus vel candicantibus dense vestitus, dentes lati tubo subbreviores intus purpurascentes, denticuli subulati rigidi dentibus breviores. Petala et genitalia ut in præcedentibus. Fructus magnitudine nucis avellanæ. —In Cochinchina prope *Tourane;* Gaudichaud.

10. Melastoma pelagicum †.

M. submacrophyllum oliganthum; ramis supremis subteretibus paleaceo-hirsutis ferrugineis; foliis oblongo-ovatis ovatove-ellipticis ovatisque acuminatis acutis integerrimis, adjectis nervis marginalibus 5-nerviis, pagina superiore adpresse breviterque strigosis scabrellis, inferiore inter nervos paleaceo-strigosos villosulis; floribus ad apices ramorum glomeratis paucis; calycinis dentibus tubum longitudine subexcedentibus, denticulis subulatis setosis.

Species pluribus affinis et similis. Folia 10-14 centim. longa (saltem suprema; cætera desiderantur), 3-4 lata, petiolo centimetrali et ultra. Calyx strigis paleaceis longis quasi villosus, dentibus oblongis, acutis tubo sublongioribus, denticulis angustis fere tertiam partem dentium æquantibus. Petala obovata subretusa, 2 centim. et quod excedit longa. Staminum majorum connectivum anthera ipsa fere duplo longius, antice breviter bicalcaratum; minorum inconspicuum. Stylus gracilis exsertus fere 3 centim. longus. Bacca globosa, calycis tubo paleaceo-hispido vestita, crassitie pisi majoris.— In insulis *Ysabel* et *Saint-Georges* cycladum salomonensium; Le Guillou, Hombron.

11. Melastoma paleaceum †.

M. submacrophyllum macranthum; ramis obtuse 4-gonis, sicut et petioli nervique foliorum, pube furfuracea strigis lepidotis intermixta vestitis demum calvescentibus, ad nodos strigis robustioribus aculeiformibusque adpressis instructis; foliis late elliptico-ovatis breviter acuminatis integerrimis 5-nerviis, pagina superiore strigoso-asperrimis, inferiore setuloso-strigil-

losis; pedunculis axillaribus terminalibusve 3 5-floris; calyce paleolis acutis ciliolatisque dense obtecto.

Folia 10-13 centim. longa, 5-7 lata, petiolo sesqui-tricentimetrali. Calycis dentes et denticuli, petala et genitalia ut in *M. Gaudichaudiano*. Fructus maturus sphæricus, magnitudine nucis avellanæ minoris, calycis tubo paleaceo-echinato et tunc capitulum scariosum *Centaureæ Cyani* et aliarum in mentem revocante vestitus. Videtur affine *M. pulcherrimo* Krthls. (quod mera *M. sanguinei* varietas videtur) differt autem paleis calycinis inter se liberis nec ex eodem punctopluribus orientibus. Cæterum descriptio nostra ex specimine unico et incompleto. — In Cochinchina prope *Tourane;* Gaudichaud.

12. Melastoma penicillatum †.

M. ramis supremis strigoso-echinulatis; foliis petiolatis late elliptico-lanceolatis ovatisve acutis integerrimis 5-nerviis, pagina superiore adpresse strigilloso-scabris, inferiore setuloso-scabrellis; floribus terminalibus ternis quinisve, calycibus pedicellisque strigoso-paleaceis ferrugineis, dentibus tubo sublongioribus acutis, denticulis teretibus setigeris et apice penicillatis quam dentes ipsi dimidio brevioribus.

Folia circiter 1 decim. longa, 4 centim. lata, petiolo 1-1 ½ centimetrali. Calycis tubus campanulatus, dentes intus extusque strigillosi. Petala obovato-inæquilatera, 2 ½ centim. longa. Species distinctissima præsertim ex fabrica appendicularum quæ cum dentibus calycinis alternant. — In insula Luzonia prope *Manille;* Cuming, *Cat.*, 1747.

13. Melastoma crinitum †.

M. macrophyllum; ramis petiolis nervisque subtus crinito-echinulatis; foliis petiolatis late lanceolatis acuminatis acutis integerrimis 5-nerviis, pagina superiore strigoso-scabris, inferiore setuloso-scabrellis; floribus ad apices ramorum glomeratis, calycibus dense longeque crinitis rufescentibus.

Folia 12-18 centim. longa, 6-8 lata, petiolo 1-2-centimetrali. Corymbi 5-9-flori subdensi, ideoque flores primo aspectu glomerati videntur. Calyx totus patentim crinito-horridus, dentibus angustis tubo paululo longioribus, cum appendicibus totidem setiformibus criniferis et quam dentes ipsi dimidio brevioribus alternantibus. Petala obovata apiculata

ciliata imoque nonnihil apice barbata. Antherarum connectivum basi antice bicalcaratum, postice vix conspicue tuberculatum. Species *M. penicillato* affinis sed certe distincta. — In insula Luzonia, prope *Manille* ; Cuming, *Cat.*, 853.

14. Melastoma macrocarpum Don, *l. c.*, tab. 672. — DC., III, p. 145. — An etiam *M. malabathrica* Sims, *Bot. Mag.*, t. 529.

M. præcedenti affine, macranthum ; ramis subteretibus strigoso-echinulatis ad nodos longius setosis ; foliis oblongo-ovatis vel ovato-lanceolatis subacuminatis acutis integerrimis aut vix conspicue serrulatis 5-7-nerviis, pagina utraque setuloso-scabris interdumque subglabrescentibus ; floribus ad apices ramorum ut plurimum ternis quaternisve, rarius quinis vel solitariis, subcorymbosis, ante explicationem involucratis ; calycinis dentibus lanceolatis acutis tubo subæqualibus, denticulis subulatis medios dentes longitudine fere æquantibus.

Folia variant magnitudine ; specimina habemus queis 8 centim. vix longa et 2 lata sunt, alia quorum 12-13 centim. longitudine et 4-5 latitudine metiuntur, petiolo 1-1-centimetrali, setis longis hirto. Bracteæ flores involucrantes nunc geminæ nunc quaternæ imo et solitariæ, ovatæ acuminatæ, demum deciduæ. Calycis tubus strigis robustis adpressis erectis, nec patulis ut in *M. sanguineo*, loricatus, in anthesi crassitudinem nucis avellanæ attingens. Petala obovato-inæquilatera lilacina, 4 ½ centim. circiter longa. Antheræ majores roseæ minores luteæ. Stylus roseus. — Colitur in horto parisiensi. Exsiccatum habemus e China circa urbes *Canton* et *Macao* ; Gaudichaud, Staunton.

. Melastoma sanguineum Don, *General syst. of gard. and bot.* II, 762. — Sims, *Bot. Mag.*, 2241, sed icon pessima. — *M. pulcherrimum?* Krths., *Verh. nat. Gesch. Bot.*, 231, tab. 49.

M. fruticosum ramosum macranthum macrocarpum ; ramis teretibus purpurascentibus aut rubicundis strigoso-echinulatis, interdum simpliciter setoso-hispidis ; foliis petiolatis, in eodem jugo interdum nonnihil disparibus, lanceolatis aut lanceolato-ovatis acutis acuminatisve 5-nerviis, pagina utraque tenuiter

adpresseque setulosis, superiore sæpius nitidis, rigidulis; floribus terminalibus solitariis-ternis; calycibus dense crinitis.

Frutex fortasse 2-3-metralis, magnitudine foliorum et vestitu maxime variabilis, semper autem macranthus et oliganthus. Folia 10-12 centim. circiter longa, 2-3 et, in quibusdam speciminibus, 4 lata, basi rotundata, in eodem jugo non semper æqualia, sæpe purpurascentia. Flores breviter et crasse pedicellati. Calycis dentes magis minusve angusti acuti aut subulati; denticuli dentibus interjecti eis fere similes vixque breviores, interdum filiformes et apice penicillato-setosi; tubus setis longis rigidis basi complanatis incurvis subpatentibus aut etiam refractis totus horridus. Petala inæquilatera retusa, fere 4 ½ centim. longa et 2 ½-3 lata. Fructus submaturus circiter magnitudine nucis avellanæ aut paulo crassior. Adsunt specimina quorum setæ calycinæ breviores aut longiores sunt, alia in quibus densiores aut magis erectæ. — In insulis sundaicis necnon in regionibus vicinis; in insula *Java*, Zollinger; *Pulo-Pinang*, Gaudichaud; *Bornéo*, Korthals; forsan etiam in littoribus meridionalibus Cochinchinæ prope *Tourane*, Gaudichaud.

16. Melastoma decemfidum Roxb., *Cat. hort. Beng*, p. 90. — Jack, *Trans. linn. Soc.*, XIV. — DC., III, 146. — Blume, *Mus. bot. Lugd. Bat.*, 55. — *M. nitidum* et *M. Boryanum* Korthls, *Verh. nat. Gesch. Bot.*, 234, ex auctoritate Blumii.

M. fruticosum ramosum macranthum oliganthum; ramis subteretibus strigosis ad nodos strigis robustioribus aculeiformibus coronatis; foliis oblongo-ellipticis lanceolatisque rarius ovatis acuminatis basi subrotundatis, adjecto utroque nervo submarginali 5-nerviis, pagina superiore adpresse malpighiaceo-strigillosis, inferiore setoso-scabrellis; floribus terminalibus subsolitariis; calycis dentibus lineari-acutis tubum strigis patulis horridum æquantibus, denticulis subulatis setosis quam dentes ipsi dimidio brevioribus.

M. decemfidi species *M. sanguineo* contermina est et fortassis aliquando pro hujus mera varietate habenda. Amborum enim idem habitus, eadem foliorum forma et magnitudo, inflorescentia et floris structura consanguinitatis jura renuntiant. In *M. decemfido* rami adpresse sunt strigosi nec patentim echinulati; tubus calycinus oblongo-campanulatus, setis robustis patulis basi tuberculatis hispidus, nec ut in *M. sanguineo* villis paleaceis dense obtectus. Petala 3 centim. longa, retusa inæquilatera.

Stamina magna inæqualia ; antheris longis subulatis, majorum connectivo infra loculos longe producto arcuato et in insertione filamenti bilobo, minorum nullo et infra loculos vix conspicue bituberculato. — In iisdem locis ac *M. sanguineum*, scilicet in insulis *Pulo-Pinang*, *Sumatra* et *Bornéo*. Habemus cum varietate e Musæo Lugduno-Batavo.

Var. β *Boryanum* Blum. — *M. Boryanum* Korths. (ex auctoritate Blumii), fruticulosum humile ramosum, pro specie microphyllum, cæterum characteribus floris et hirsutie priori conveniens.

Forma videtur depauperata quasi e solo arido et frugum impatiente orta sit aut hominum pecudumque pedibus iterum atque iterum conculcata. Folia, quam in typo specifico magis ovata, a centimetro ad 4 centim. longitudinem variant, dum latitudine centimetrum aut sesquicentimetrum retinent. — In insula *Java* ad radices montis *Pamatton* Korthals.

B. *Species magis ad M. malabathricum vergentes ideoque difficilius distinguendæ.*

17. Melastoma sylvaticum Blum, *Bijdrag.*, 1077.

M. macrophyllum ; ramis supremis 4-sulcatis petiolis nervisque foliorum subtus squamuloso-strigosis ; foliis petiolatis ovatis oblongove-ovatis acuminatis basi rotundatis integerrimis, prætermissis nervulis marginalibus 5 nerviis, pagina utraque adpresse breviterque setuloso-scabrellis ; floribus ad apices ramorum quinis septenisve aut numerosioribus subcorymbosis pedicellatis.

Folia sesquidecimetrum et amplius longa, 6-9 centim. lata, petiolo 2-3-centimetrali. Florum pedicelli crassi squamulosi ferme centimetrales. Calyx pariter squamuloso-strigosus, tubo post anthesim pisi majoris crassitiem superante. Flores prorsus desiderabantur. Descriptio ex specimine unico et manco. — In insula *Java*; Blume.

18. Melastoma asperum Blume, *Bijdr.*, 1076, non DC. — Bl. iterum in *Mus. bot. Lugd. Bat.*, 52. — *M. punctatum* Korthls.

M. ramis crebre adpresseque lepidoto-strigosis asperis ferrugineo-violaceis ; foliis petiolatis oblongo-ovatis subacuminatis acutis

non omnino integerrimis sed tenuissime ciliato-serrulatis, 5-nerviis, pagina superiore strigoso-asperis inferiore scabris; floribus majusculis ad apices ramorum ternis-novenis subcorymbosis subumbellatisque, longiuscule pedicellatis; calycis dentibus lineari-acutis interdum subtriquetris tubum squamuloso-strigosum æquantibus imo et superantibus, denticulis subulatis quam dentes ipsi triplo sextuploque brevioribus.

Folia 7-10 centim. longa, 3-5 lata, petiolo lepidoto-strigoso 1-2-centimetrali. Florum pedicelli crassi 4-anguli, 1-1 ½ centim. longi. Calyx strigis complanatis rufescentibus dense obtectus, in anthesi crassitiem pisi majoris attingens. Petala 2 centim. et amplius longa. Stamina ut in omnibus aliis alternatim majora et minora nec inter se æqualia ut dictum reperimus in descriptione clar. Walpers ex Blume. Species pluribus aliis affinis nec omnino certa. — In insula *Java*; Zollinger.

19. Melastoma setigerum Blume, *Bijdrag.*, 1077.

M. ramis supremis acute 4-gonis squamuloso asperis; foliis petiolatis oblongo-ellipticis acutis basi obtusis, adjectis nervis submarginalibus 5-nerviis, tenuiter ciliato-serrulatis, pagina superiore bullato-strigosis asperisque, inferiore setoso-scabrellis foveolatis; floribus ad apices ramorum fasciculato-corymbosis paucis; calyce strigoso, dentibus acutis tubo vix brevioribus.

Folia 7-10 centim. longa, 2 et fortassis amplius lata, petiolo circiter centimetrali. Florum pedicelli 4-angulares, 6-7 millim. longi. Calycis tubus post anthesin crassitudine pisi. Flores cæterum non suppetebant in specimine maxime manco. Planta permultis aliis nimis propinqua nec, opinamur, facile distinguenda. — In insula *Java*; Blume.

20. Melastoma malabathricum *Herb.*, Wight *propr.* — An etiam Linnæi et auctorum?

M. ramis supremis obsolete 4-gonis 4-sulcatis squamuloso-strigillosis ferrugineis; foliis petiolatis ovato-oblongis ellipticisque acutis basi obtusis integerrimis, adjectis nervis submarginalibus 5-nerviis, pagina superiore strigoso-scabris, inferiore setuloso-scabrellis; floribus ad apices ramorum quinis-novenis corymbosis pedicellatis, bracteis 4 subspathu-

latis ante explicationem involucratis; calycinis dentibus ovatis acutis tubo vix brevioribus, denticulis subuliformibus; antherarum majorum connectivo ad insertionem filamenti bicalcarato.

Folia 6-12 centim. longa, 2-4 lata, petiolo 1-1 ½-centimetrali. Bracteæ florem involucrantes spathulatæ, apice subrotundato obtusæ, basi in petiolulum degeneres, extus strigosæ. Calycis tubus strigis nonnihil paleaceis adpressis vestitus, candicans; dentes extus strigosi, acutissimi; denticuli dentibus ipsis duplo breviores. Fructus maturus piso paulo major.

Quid sit *M. malabathricum* Lin. comperire haud datum fuit, nec ulli, credimus, auctorum qui postea materiem desudantes tractavere, contigit ut tenebras ab hac incertissima stirpe removerent. Nec nobis magis licuit questionem solvere utrum numerosa specimina nostra quæ a clarissimis botanicis pro *M. malabathrico* habita sunt vere ad unam speciem pertineant an potius sub eodem nomine latitent plurimæ distinctæ species. Respondeant posteri. Ut tamen præsenti tempore finem liti imponeremus, pro genuina specie *M. malabathrici* stirpem ex herbario Clar. Wight missam habuimus, quæ characteres satis conspicuos exhibet præsertim in involucro florem inexplicatum totum tegente et calcaribus staminum majorum connectivum terminantibus. — In peninsula Indiæ orientalis, et forsitan in insulis vicinis. Habemus ex herbario Wightiano quod defuncto sodali Clar. Guillemin communicatum fuit.

21. Melastoma obvolutum Jack, *Trans. Linn. Soc.*, XIV, p. 3. — DC., III, 146. — Blume, *Mus. bot. Lugd. Bat.*, 53. — *M. Jackianum* Korths., *Verh. nat. Gesch. bot.*, 227, ex auctoritate Blumii.

Specimen sumatranum nobis e Musæo Lugduno-Batavo communicatum nullam differentiam alicujus momenti cum *M. malabathrico* nostro ostendit. Non dubitamus cæterum quin permultæ *Melastomatis* formæ hodiedum minutis characteribus sejunctæ in unam speciem olim contrahendæ sint, quum numerosiora integrioraque specimina Musæorum Europæ herbaria penes erunt. Dum tamen in potestatem botanicorum veniant ista emendationum elementa, nobis non licet, in maximo specierum incertarum numero, ad opiniones antecessorum non provocare et formas descriptas, quamvis de iis summopere dubitemus, huic operi non adscribere.

22. Melastoma articulatum †.

M. ramis dichotomis; supremis squamuloso-hirtis ad apicem

foliosis inferne nudatis; foliis subrigidis lanceolato-ellipticis subacuminatis acutis integerrimis, prætermisso utroque nervo marginali 3-nerviis, pagina superiore brevissime strigillosis interdumque primo aspectu glabratis, inferiore setulosis; floribus ad apices ramorum ternis-septenis glomeratis, ante explicationem bracteis quatuor ovatis involucratis; calycis dentibus late ovatis tubo multo brevioribus, denticulis vix distinctis.

Folia 6-10 centim. longa, 1 ½-2 lata, petiolo ferme centimetrali. Bracteæ florem involucrantes concavæ, juniores quasi carinatæ, dorso strigis robustis brevibusque armatæ. Calycis tubus oblongus dense adpresseque strigosus, denticuli strigis tubi vix majores, subulati. Staminum majorum connectivum basi breviter bicalcaratum. Planta quamvis *M. malabathrico* affinis ut species distincta verisimiliter habenda est. — Ex India orientali oriunda, loco haud designato, et a clar. W. Hooker Musæo parisiensi communicata.

23. Melastoma homostegium †.

M. ramis adpresse lepidoto-strigillosis rufescentibus; foliis petiolatis ovato-ellipticis subacuminatis acutis basi rotundatis integerrimis 5-nerviis, pagina superiore adpresse strigilloso-asperis inferiore setoso-scabrellis; floribus ad apices ramorum ut plurimum ternis breviter pedicellatis, bracteis quatuor inter se conformibus late ovatis suborbiculatisve in præfloratione fulcratis; dentibus calycinis triangulari-acutis tubo paleaceo-strigoso brevioribus; denticulis nullis aut vix perspicuis.

Folia circiter 1 decim. longa, 3-4 centim. lata. Bracteæ involucri per paria oppositæ obtusæ concavæ extus sericeo-setosæ, calycem in præfloratione æquantes vel superantes. Calyx strigis complanatis paleaceis rigidis candicantibus dense et adpresse obtectus. Denticuli cum dentibus alternantes haud manifesti vel potius a strigis calycinis non distincti, Petala obovata 2 ½ centim. longa ciliata. Planta habitu *M. malabathricum* refert.—In insula Luzonia prope *Manilla;* Cuming. *Cat.* 927.

24. Melastoma heterostegium †.

M. ramis supremis breviter paleaceo-strigillosis ferrugineis; foliis petiolatis ovato-oblongis ovatisve subacuminatis acutissimis integerrimis, prætermisso nervo utroque marginali 3-nerviis,

pagina superiore adpresse breviterque strigosis scabris, inferiore setuloso-scabrellis; floribus ad apices ramorum ut plurimum ternis subsessilibus, ante explicationem bracteis quatuor forma et statura disparibus involucratis; calycinis dentibus late ovatis apiculatis tubo dense paleaceo-strigoso duplo brevioribus.

Folia 5-7 centim. longa et sæpe minora, 1-2 centim. lata, petiolo $\frac{1}{2}$-1-centimetrali. Bracteæ involucri per paria oppositæ, jugi inferioris basi ovatæ concavæ superne longe acuminatæ calycem in præfloratione superantes, jugi superioris spathulatæ obtusæ in petiolum quasi attenuatæ calyce breviores. Denticuli dentibus interjecti nulli vel saltem haud facile conspicui. Petala obovata 1-$\frac{1}{2}$-2 centim. longa.—In insula Luzonia prope *Pangasinan;* Callery.

25. Melastoma polyanthum Blum., *Flora*, XIV, 480. — Iterum in *Mus. bot. Lugd. Bat.*, p. 55. — *M. malabathricum*, Jack.

M. ramis junioribus strigoso-scabris asperisve; foliis petiolatis ovato-ellipticis subacuminatis acutis integerrimis, adjecto utroque nervo marginali 5-nerviis, supra strigilloso-scabris subtus setoso-scabrellis interdumque molliter sericeis; floribus ad apices ramorum 7-11 interdum paucioribus vel numerosioribus corymbosis vel corymboso-paniculatis; calycibus strigosis, dentibus triangulari-acutis tubo brevioribus, denticulis minutis acutis.

Folia 6-10 centim. longa, 2-3 lata, petiolo sæpius centimetrali vel breviora. Calycis tubus subglobosus in anthesi crassitiem pisi attingens dense strigoso-setosus interdumque molliter sericeus. Petala inæquilatere obovata 2 centim. longa et amplius. Cætera ut in reliquis. Quæ sit differentia essentialis inter hanc formam et illam quam pro *M. malabathrico* celeberrimus Blumius habet haud videmus quid prorsus illius sint auctoris *M. malabathrici* characteres haud facile comperiendum.

Var. β *velutinum* Blume, calycibus dense villoso-ferrugineis, dentibus minutis acutissimis. Forsan ut species propria distinguendum.

In insula *Java;* Blume, Zollinger, *Cat.* n° 2125; *Bornéo*, Korthals. — Var. β in insula *Java.*

26. Melastoma tondanense Bl., *Mus, bot. Lugd. Bat.*, 54.

M. ramis squamuloso-asperatis ferrugineis; foliis elliptico-ovatis apiculatis basi rotundatis 5-nerviis (nervis duobus lateralibus utrinque basi inter se coalitis); pagina utraque strigilloso-scabris; floribus ad apices ramulorum glomeratis et breviter paniculatis; calycis dentibus tubo brevioribus.

Folia in specimine nostro a Clar. Blumio communicatum, longitudine circiter decimetralia sunt et 3-4 centim. lata, petiolo 1-1-½-centimetrali. Flores explicati non suppetebant. Nullo modo nobis hæc forma a *M. polyantho* ejusdem auctoris discrepare visa est. — In insula *Célèbes*, inter frutices, prope *Tondano*. E Musæo Lugduno-Batavo communicatum.

27. Melastoma pusillum Blum., *Mus. bot. Lugd. Bat.*, 54.— *M. polyanthum* Korthls (ex parte).

M. fruticulosum? pro genere microphyllum oliganthum; ramis 4-gonis squamuloso-strigosis rufis; foliis lanceolatis ellipticisque apiculatis præter nervulos marginales 3-nerviis, pagina superiore tenuiter strigillosis, inferiore villosulis, floribus terminalibus subsolitariis; calycis dentibus linearibus tubum longitudine æquantibus, denticulis interjectis vix conspicuis.

Specimina nostra e Musæo Lugduno-Batavo communicata, nisi fruticis sint ramuli supremi, quod deficienta collectoris nota haud comperire datum est, plantam pro genere pusillam id est sesqui-bidecimetralem subsimplicemque exhibent. Folia 3-4 centim. longa, 1 lata, petiolo 5-7 millimetrali. Calyx strigis densis adpressis vestitus. Petala 2 ½ centim. circiter longa obovata inæquilatera retusa. Stamina valde inæqualia, majorum connectivum infra loculos gracile filiforme anthera pollinifera ipsa longius et ad articulationem filamenti bilobum.—Species si revera pusilla sit ut ait Cl. Blumius non omnino indistincta. — In insula *Bornéo*, circa *Pulu-Lampei* ad montem *Pamatton;* Korthals.

28. Melastoma fasciculare †.

M. ramis echinulato-asperrimis subteretibus; foliis ovatis vel late ellipticis subacuminatis acutis integerrimis 5 nerviis, pagina superiore strigoso-asperis inferiore scabrellis; floribus ad apices ramorum fasciculato-corymbosis vel breviter et dense paniculatis, breviter pedicellatis; calycinis dentibus triangu-

lari-acutis tubo paulo brevioribus, denticulis acutis brevissimis.

Folia 7-10 centim. longa, 4-5 lata, petiolo 1-2-centimetrali. Flores magnitudine mediocres, pro genere in quavis panicula numerosi, interdum quoque pauci. Calyx strigis crassis brevibusque totus exasperatus. Petala cuneato-obovata, apice truncato-rotundata sesquicentimetrum circiter longa. Species dubia hinc ad *M. polyanthum* illinc ad plures alias formas et speciatim ad *M. Malabathricum* tendens. — In insula Luzonia prope *Manille;* Gaudichaud.

29. Melastoma Baumianum †.

M. ramis supremis breviter lepidoto-strigosis rufescentibus; foliis petiolatis oblongo-ovatis acutis interdumque subacuminatis integerrimis 5-nerviis, pagina superiore adpresse strigoso-scabris, inferiore setuloso-scabrellis; pedicellis 3-floris ad apices ramorum axillaribus terminalibusque; bracteolis flores haud involucrantibus; calycinis dentibus ovatis acutis tubo paulo brevioribus, denticulis minutis subulatis, vix a strigis calycinis distinctis.

Folia 7-10 centim. longa, ut plurimum 3 lata, petiolo circiter centimetrali. Petala 2 ½ centim. longa obovata vix et obtuse apiculata ciliolata. Species a plurimis aliis vix distincta et *M. Malabathricum* habitu nimis referens.—In insula Luzonia ad oras magni lacus prope *Manille;* Baume.

30. Melastoma normale Don., *Prodr. fl. nep.*, 220. — DC., III, 145.

M. ramis subteretibus hirto-villosis ferrugineis; foliis petiolatis ovatis oblongove-ovatis acutis integerrimis, adjectis nervis submarginalibus 5-nerviis, pagina utraque villoso-hirtellis subvelutinisque, superiore autem inter villos nonnumquam strigillosis; floribus ad apices ramorum corymbosis paucis, calycinis dentibus acutissimis tubum æquantibus, denticulis subulatis apice piliferis, quam dentes ipsi triplo brevioribus.

Folia 4-6 centim. longa, 2-3 lata, petiolo 1-2-centimetrali. Calyx adpresse setoso-strigosus rufescens. Petala 2 centim. circiter longa. Species valde dubia, pluribus affinis et forsan cum illis ad unam olim reducenda. —

In Nepalia Wallich. Specimen habemus ex imperio sinensi (Canton et Macao) quod nulla nota a *M. normali* differre videtur.

31. MELASTOMA LONGIFLORUM †.

M. ramis setoso-strigosis teretibus; foliis ellipticis acutis subacutisve basi rotundatis integerrimis 5-nerviis, supra adpressissime strigoso-setosis, subtus setuloso-hirtellis; floribus ad apices ramorum corymbosis paucis bracteolatis; calycibus oblongis, dentibus oblongo-ovatis acutis tubum æquantibus, denticulis subulatis quam dentes ipsi triplo brevioribus.

Folia 6-8 centim. longa, 2 lata, petiolo vix centimetrali. Bracteolæ florem ante explicationem basi fulcrantes calyce multo breviores, acutæ. Calyx totus arcte denseque strigosus, pedicello 4-gono. Petala obovato-inæquilatera retusa, 2-2 ½-centim. longa. Staminum majorum connectivum ad insertionem filamenti profunde bilobum et fere bicalcaratum. Species valde dubia, forsan ad *M. Malabathricum* referenda quamvis differat quibusdam notis et præsertim bracteolis quam in *M. Malabathrico* multo brevioribus.—In Cochinchina prope *Tourane;* Gaudichaud.

32. MELASTOMA NOVÆ-HOLLANDIÆ †.

M. ramis teretiusculis furfuraceo-ferrugineis vel strigillosis; foliis petiolatis oblongo-ovatis ellipticove-lanceolatis acutis integerrimis, adjecto utroque nervo submarginali 5-nerviis, supra strigosis, subtus setulosis; floribus ad apices ramorum quinis-septenis, interdum paucioribus aut numerosioribus, corymbosis vel umbellatis; calycis dentibus acutis tubum æquantibus, denticulis minutis acutis.

Folia 6-10 centim. longa, 2-3 lata, petiolo circiter centimetrali. Florum pedicelli crassi 6-10-millimetrales ut et calyx ipse squamuloso-strigosi. Petala elliptico-obovata, 2 centim. circiter longa. Stamina ut in reliquis. Fructus maturus vel submaturus globosus, crassitiem pisi attingens. Planta permultis aliis vicina, præsertim autem formas quasdam *M. Malabathrici* referens. An species distincta? — Prope *Moreton-Bay* Novæ-Hollandiæ; Verreaux, *Catal.* 571.

33. MELASTOMA SECHELLARUM †.

Melastomati Novæ-Hollandiæ simillimum, differt tamen ramis magis

squamuloso-strigosis et fructibus crassioribus (baccarum *Ribis nigri* volumen æquantibus ; cæterum dentes calycini petala nec genitalia visa. An species distincta? — In insulis Sechellis; Pervillé.

34. Melastoma ellipticum †.

M. ramis subteretibus furfuraceo-strigillosis ferrugineis ; foliis oblongo-ellipticis subacutis subobtusisque integerrimis 3-5-nerviis, pagina superiore strigillosis, inferiore scabrellis ; floribus ad apices ramorum paucis corymbosis subpaniculatisque ; calycis dentibus ovato-acutis tubum subæquantibus, denticulis subulatis quam dentes ipsi triplo brevioribus.

Folia 7-10 centim. longa, 2-3 lata, petiolo circiter centimetrali. Calyx dense adpresseque squamuloso-strigosus, tubo in anthesi crassitiem pisi majoris attingente, fructifero duplo crassiore. Petala obovata nec retusa, vix conspicue inæquilatera, 2 centim. circiter longa. Forma dubia nec tamen recte ad *M. Malabathricum* referenda ; an species propria?—In insula Zeylonia necnon in regno Peguano ; Leschenault, Reynaud.

35. Melastoma Houtteanum †.

M. ramis supremis squamuloso-strigillosis ; foliis petiolatis lanceolatis ovatove-oblongis acutis basi subobtusis integerrimis 5-nerviis vel nervo utroque submarginali obsoleto 3-nerviis, pagina superiore tenuiter adpresseque setulosis, inferiore molliter hirtellis griseis ; floribus ad apices ramorum in paniculas breves paucifloras dispositis, pedicellis calycibusque dense paleaceo-hirsutis candicantibus, calycinis dentibus lineari-subulatis remotis, denticulis brevibus acutis apice setosis.

Folia sesquidecimetrum longa et forsan amplius, 3-5 centim. lata, petiolo 2-3-centimetrali. Calycis dentes tubum campanulatum subæquantes. Petala 2 ½ centim. longa obovata apice rotundato-inæquilatera. Calycis tubus in anthesi circiter crassitudine pisi majoris. An species distincta ?

Planta patriæ ignotæ sed verisimiliter ex India aut insulis indicis oriunda ; colitur in hortis clariss. Van-Houtte necnon in viridario Musæi Parisiensis quod eam a celeberrimo hortulano Gandavensi accepit.

36. MELASTOMA BRACHYODON †.

M. ramis junioribus lepidoto-strigillosis rubiginosis; foliis petiolatis elliptico-oblongis lanceolatisque acutis basi rotundatis vel obtusis integerrimis, prætermisso utroque nervo marginali 3-nerviis, supra adpresse strigilloso-scabrellis, subtus setulosis; floribus in paniculas terminales breves paucifloras digestis; calycibus campanulatis paleaceo-strigosis, dentibus brevissimis apiculo setiformi terminatis, denticulis minutis acutissimis.

Folia 8-10 centim. longa, 2-3 lata, petiolo circiter centimetrali interdumque breviore. Bracteæ infra flores mature caducæ. Calycis tubus in flore explicato crassitudine pisi, dentibus late triangularibus tubo 3-plo brevioribus apiculo subulato instructis. Petala triangulari-obovatasubcuneataque nonnihil retusa parum inæquilatera, 2 centim. circiter longa. Cætera ut in permultis aliis. Species dubia, *M. Malabathricum* habitu referens, sed dentibus calycinis diversa.—In insula *Java;* Zollinger *Cat.* nº 5, ubi cum *M. Malabathrico* confusum est.

37. MELASTOMA OLIGANTHUM †.

M. ramis squamuloso-asperatis, junioribus subtetragonis 4-sulcatis rufescentibus; foliis ut plurimum oblongo-ellipticis, interdum ovato-lanceolatis, breviter acuminatis acutis integerrimis, adjectis nervis submarginalibus 5-nerviis, pagina utraque brevissime adpressissimeque setosis scabrellis; floribus ad apices ramorum ternis-novenis subpaniculatis; calycinis dentibus acutis remotis tubo duplo brevioribus, denticulis subulatis dentes ipsos subæquantibus.

Folia maxime variant magnitudine; adsunt specimina quorum sesquidecimetrum ferme longa sunt et 3-4 centim. lata, alia in quibus duplo sunt breviora et arctiora. Alabastri ante explicationem floris basi bracteolis minutis instructi sunt sed non vere involucrati ut in quibusdam speciebus. Flores magnitudine mediocres. Petala obovato-inæquilatera sesquicentim. circiter longa. Forma permultis aliis affinis nulli tamen recte conjungenda. An species distincta? In peninsula Malayana prope *Malacca*, necnon in insula *Sincapour;* Gaudichaud.

38. Melastoma longifolium †.

M. ramis subvirgatis rectis obsolete 4-gonis strigoso-asperis; foliorum jugis distantibus (pro genere); foliis breviter petiolatis lanceolato-oblongis acutis basi subobtusis subacutisque integerrimis, prætermisso nervulo utroque marginali 3-nervis; supra breviter adpresseque setulosis, subtus setuloso-scabrellis; floribus in paniculas terminales breves paucifloras que dispositis; calycibus strigosis, dentibus acutis tubo 2-plo brevioribus, denticulis minimis acutis.

Ramorum internodia 1-1 ½-decimetralia. Folia 10-14 centim. longa, 2-3 lata, petiolo 5-7-millimetrali. Calyx strigis robustis adpressis brevibus armatus. Petala inæquilatera obcordata, 1 ½ et forte 2 centim. longa. Fructus paulo ante maturitatem crassitudine pisi.—In insula *Sincapour* haud procul a civitate ejusdem nominis. Collector ignotus.

39. Melastoma microphyllum †.

M. ramis obtuse 4-gonis subteretibusque squamuloso-scabrellis rubiginosis; foliis pro genere parvis (an semper?) breviter petiolatis oblongo-ovatis subacuminatis acutis integerrimis 3-5-nerviis, pagina superiore adpresse setoso-strigillosis, inferiore villosis; floribus ad apices ramorum paucis; calycinis dentibus triangulari-subulatis tubum subæquantibus, denticulis minutis acutis.

Folia 4-5 centim. longa, 1 ½-2 lata, petiolo 4-6-millimetrali. Calyx totus dense sericeo-villosus rufescens. Petala obovata, vix conspicue inæquilatera nec retusa, sesquicentimetrum circiter longa. Forma pluribus affinis nec satis distincta. — In India aut insulis Oceani Pacifici sed loco haud designato.

40. Melastoma triflorum †.

M. ramis obtuse 4-gonis subteretibusque strigilloso-asperis; foliis late ellipticis acuminatis utrinque acutis integerrimis 5-nerviis, pagina superiore brevissime adpressissimeque setulosis, inferiore pilosulo-scabrellis; floribus terminalibus pedicellatis ter-

nis (an semper?); calycinis dentibus oblongo-ovatis tubum strigosum æquantibus.

Folia 7-9 centim. longa, 3-4 lata, petiolo circiter centimetrali. Petala videntur 2 centim. circiter longa. Species haud analysi subjecta propter paucitatem florum, cæterum dubia. — Prope *Goa* Indiæ orientalis. Olim e Musæo Lusitanico relata.

Species addendæ; multæ autem incertæ, quædam absque dubio sub aliis nominibus descriptæ:

41. M. DENTICULATUM DC., III, 144.
42. M. AFFINE Don, *Gener. Syst. of gard.*, II. — DC., *l. c.*
43. M. ERECTUM Jack, *Transact. Lin. Soc.*, XIV. — DC., *l. c.*
44. M. CANDIDUM Don, *l. c.*
45. M. WALLICHII DC., *l. c.*
46. M. TIDORENSE Bl., *Flora*, 1831, p. 480.
47. M. ROYENII Bl., *l. c.*
48. M. CELEBICUM Bl., *l. c.*
49. M. PORPHYREUM Zipp., *Mss.* ex Blum., *l. c.*
50. M. CALYCINUM Benth., in Hook, *Journ. of bot.*, I, 485.
51. M. ASPERUM Linn. non Blume.
52. M. LANUGINOSUM Bl., *Bijdr.* — DC., *l. c.*
53. ?M. SEPTEMNERVIUM Lour., *Flor. coch.* — DC., *l. c.*
54. M. NOBOTAN Bl., *l. c.*

Species Candollæanæ exclusæ:

a. 5-*meræ.*

M. cyanoides, Smith in *Rees*, vol. 25. — OTANTHERA MOLUCCANA Blum.

M. moluccanum Blum, *Bijdr.* — OTANTHERA MOLUCCANA Blum.

M. verrucosum, Blum., *l. c.* — MEDINILLA VERRUCOSA Blum.

M. alpestre Jack., *Trans. Lin. soc.* — MEDINILLA ALPESTRIS Bl.

M. javanense Bl., *l. c.* — MEDINILLA JAVANENSIS Bl.

M. diaphanum, *l. c.* — MEDINILLA CRASSIFOLIA, var. *diaphana* Bl.

M. crassifolium Bl., *l. c.* — MEDINILLA CRASSIFOLIA Bl.
M. crispatum DC. — MEDINILLA CRISPATA, Bl.
M. rubro-limbatum, Link et Otto. — LACHNOPODIUM RUBRO-LIMBATUM Bl., OTANTHERA Ndn.
M. madagascariense DC., Don. — ROUSSEAUXIA ARTICULATA? DC.
M. plumosum Don. — ?. . . . . , . . .
M. involucratum Don. — TRISTEMMA? . . . . .
M. Afzelianum Don. — OSBECKIA? . . . . . .
M. albiflorum Don. — ? . . . .
M. capitatum Don. — ? . . . .
M. Theæfolium Don. — ? . . . .
M. elongatum Don. — OSBECKIA? . . . .
M. decumbens Palis. de Beauv. — MELASTOMASTRUM? . . . . .
M. cymosum DC. — Ventenat, *Malm.*, tab. 14. — Loisel., *Herb. de l'amat.*, t. 135. — AMPHIBLEMMA CYMOSUM Ndn.
M. dodecandrum Loureiro. — ? . . . .

b. 4-*meræ.*

M. Laurifolium Bl. — MEDINILLA LAURIFOLIA Bl.
M. radicans Bl. — MEDINILLA RADICANS Bl.
M. quadrifolium Bl. — MEDINILLA QUADRIFOLIA Bl.
M. Hypericifolium Bl. — MEDINILLA HYPERICIFOLIA Bl.
M. succulentum Bl. — MEDINILLA SUCCULENTA Bl.
M. rubicundum Bl. — MEDINILLA RUBICUNDA Bl.
M. muscosum Bl. — MARUMIA MUSCOSA, Bl.
M. stellulatum Jack. — MARUMIA STELLULATA Bl.
M. pudibundum Bl. — CREOCHITON PUDIBUNDA Bl.
M. bibracteatum Bl. — CREOCHITON BIBRACTEATA Bl.
M. nemorosum Jack. — MARUMIA NEMOROSA Bl.
M. rotundifolium Jack. — PHYLLAGATHIS ROTUNDIFOLIA Bl.
M. Varingiæfolium Bl. — PACHYCENTRIA VARINGIÆFOLIA Bl.
M. constrictum Bl. — PACHYCENTRIA CONSTRICTA Bl.
M. pulverulentum Jack. — POGONANTHERA REFLEXA Bl.; POGONANTHERA PULVERULENTA Bl. . . . .
M. eximium Jack. — MEDINILLA EXIMIA Bl.

M. stipulare Bl. . . . . , ...
M. cyanocarpum Bl. — DISSOCHÆTA CYANOCARPA Bl.
M. gracile Jack. . . . .
M. exiguum Jack. — ALLOMORPHIA EXIGUA Bl.
M. viminale Jack. — APLECTRUM VIMINALE Bl.
M. rostratum Bl. . . . .
M. bracteatum Jack. — DISSOCHÆTA BRACTEATA Bl.
M. vacillans Bl. — DISSOCHÆTA FUSCA Bl.
M. venosum Bl. — MEDINILLA VENOSA Bl. *Flora* 1831, p. 518. HYPENANTHE VENOSA Bl. *Mus. bot. Lugd. Bat.*, p. 21.
M. divaricatum Willd., DC. — DISSOCHÆTA DIVARICATA Ndn.
M. pallidum Jack. — DISSOCHÆTA PALLIDA Ndn.
M. fallax Jack. — DISSOCHÆTA FALLAX Bl.; OMPHALOPUS FALLAX Ndn.
M. leprosum Bl. — DISSOCHÆTA LEPROSA Bl.
M. Reinwardtianum Bl. — DISSOCHÆTA FALLAX? Bl.; OMPHALOPUS FALLAX? Ndn.
M. glaucum Jack. — DISSOCHÆTA GLAUCA Bl.

Excludendæ sunt pariter e genere species omnes americanæ quæ a Schlechtendalio in *Linnæa* XIII, aut ab aliis auctoribus, Melastomati adscriptæ fuerunt. Pleræque species Roxburgianæ (*Flora indica* II, p. 402 et seq.) ad alia genera quoque transeunt.

XXIX. *MELASTOMASTRUM*, tab. VII.

TRISTEMMATIS species. Guill. et Perrott, *Flor. sénég.*

Flos 5-merus. Calycis dentes triangulari-acuti tubum turbinatum glaberrimum æquantes persistentes nec cum denticulis ullis alternantes. Petala obovata apice rotundata. Stamina 10 alternatim inæqualia; antheris subulatis 1-porosis recurvis, connectivo infra loculos, longius autem in majoribus quam in minoribus, producto arcuato et ultra filamenti insertionem in lobos vel appendices 2 calcariformes porrecto, postice nonnihil tuberculato. Ovarium ad medium usque septis 10 adhærens, apice pilis coro-

natum, 5-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula calyce 10-nervoso pilis longis sericeis e pedicello ortis et post anthesim accretis induto vestita, 5-valvis. Semina cochleata.

Frutex senegambiensis, erectus ramosus ; ramis angulatis sulcatisque ; foliis petiolatis ovatis subacutis integerrimis 5 nerviis, strigis malpighiaceis plus minus dense obtectis ; floribus ad apices ramorum trinis quinisve glomeratis involucratis subsessilibus purpureis aut violaceis ; antheris majoribus lilacinis, minoribus luteis.

Genus inter Melastoma et Tristemma habitu et floris fabrica æqualiter medium, neutri tamen recte conjungendum. Imo si, ut opinamur, regni vegetabilis in genera distributio organisationis gradus varios exprimere debet, hic certe locus est ut novi generis typus reperiatur.

1. Melastomastrum erectum. — *Tristemma erectum* Guillem. et Perr., *l. c.*, 312.

Planta circiter metralis, ramis vetustioribus omnino lignosis, junioribus 3-4-quetris strigilloso-scabris et sæpe ad angulos densius setosis. Folia basi interdum subacuta, utrinque strigis adpressis illas fere Malpighiarum in mentem revocantibus ornata, subtus interdum quasi glabrata et sæpissime lutescentia, 5-8 centim. longa, 2-4 lata, petiolo 1-3-centimetrali. Calycis tubus pilorum corona omnino destitutus imove glaberrimus (saltem in speciminibus nostris). Petala circiter 1 $\frac{1}{4}$ vel 1 $\frac{1}{2}$ centim. longa. Staminum majorum connectivum infra loculos antheram polliniferam subæquans, appendicibus linearibus subconvolutis; minorum connectivum anthera sextuplo brevius et ad insertionem filamenti simpliciter calcaratum.— Prope *Kounoun* Promontorii viridis, Leprieur; et in locis humidis prope pagum a nigritis dictum *Karkandy;* Heudelot.

XXX. *TRISTEMMA*, tab. VI.

Tristemma. — Juss., *Gen.*, 329. — DC., *Prod. III*, 144. — Guillem. et Perrott, *Flor. sénég.*, 311. — Endlicher, *Gen. plant.*, n° 6216.

Flos 5-merus. Calycis tubus setis varie dispositis cinctus, dentibus acutis persistentibus. Petala obovata apice rotundata. Stamina 10 æqualia vel parum inæqualia ; antheris subulatis

1-porosis subrectis, connectivo infra loculos modice producto et ad insertionem filamenti antice bituberculato. Ovarium ultra medium adhærens, apice libero villosulum, 5-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula calyce persistente vestita 5-valvis aut irregulariter ruptilis. Semina cochleata.

Suffrutices africani, madagascarienses et fortassis mascareni, erecti ramosi setoso-scabri; ramis angulatis et sæpe sulcatis; foliis petiolatis ovatis vel ovato-ellipticis breviter acuminatis acutis integerrimis subintegerrimisve 5-7-*nerviis; floribus ad apices ramorum et in dichotomiis dense glomeratis sessilibus roseis aut purpureis; glomerulis arcte involucratis.*

Tristemma, ut recte ait laudatissimus Candolleus, inter Melastoma et Osbeckiam medium est; genus cæterum non omnino innaturale.

1. TRISTEMMA VIRUSANUM DC. Ex Commers. et *mss.* Juss., *l. c.*, 144, tab. VI, fig. 5.

T. ramis 4-gonis junioribusque subtetrapteris ad angulos densius setosis; foliis majusculis elliptico-ovatis breviter acuminatis basi acutiusculis rotundatisve, prætermisso nervulo utroque submarginali 5-nerviis, pagina superiore setoso-strigillosis, inferiore ad nervos præsertim setulosis; glomerulis sessilibus subsessilibusve terminalibus; calycibus triplici pilorum corona cinctis.

Folia magnitudine variabilia, 6-14 centim. longa, 3-9 lata, petiolo 1-5-centimetrali. Calycis dentes triangulari-acuti ciliati tubo vix breviores. Petala obovata, in unguem nonnihil attenuata, 7 millim. circiter longa. — In ora orientali et meridionali Madagascariæ prope propugnaculum Sanctæ Mariæ, ubi dicitur ab incolis *Voa-Toutouc;* Chapelier, Boivin (n° 3417), necnon in insula Mauritiana et Borbonica quo fortasse ab hominibus planta devecta est; Commerson.

2. TRISTEMMA SCHUMACHERI Guill. et Perr., *l. c.*, I, 311, tab. VI, fig. 6.

T. præcedenti fere simile; ramis acute 4-gonis sparse strigillosis; foliis elliptico-ovatis breviter acuminatis basi acutiusculis

subobtusisve 5-nerviis, pagina utraque sed superiore præsertim strigis malpighiaceis adpressis sparsis; glomerulis terminalibus subsessilibus; calycibus fasciculis pilorum 5 in coronam unicam dispositis et dentium intervallo respondentibus infra limbum cinctis.

Frutex metralis. Folia 7-10 centim. longa, 3-4 lata, petiolo 1-3-centimetrali. Involucri foliola quam in specie præcedente minora. Calycis tubus sub limbo constrictus ideoque suburceolatus, unica pilorum zona in fasciculos 5 triangulares convergentium ornatus; dentes ovato-acuti tubo breviores. Petala obovata, retusa? ciliata (visa tantum in alabastro) rosea, sesquicentimetrum circiter longa (*ex* descript. Flor. Senegamb.). — In variis locis Senegambiæ; *Albreda* prope flumina Gambiam et Casamanciam, necnon in orizetis et locis humidis nemorum; Leprieur.

3. TRISTEMMA? NEGLECTUM †.

T. fruticosum; ramis subglabris sulcatis; foliis lanceolatis acuminatis acutis integerrimis 5-nerviis, pagina superiore adpressissime breviterque setoso-strigillosis, inferiore ad nervos præsertim setosis; glomerulis terminalibus sessilibus bractea duplici exteriore admodum involucratis.

Folia 6-10 centim. longa, 1 ½-2 lata, petiolo ½-1-centimetrali. Bracteæ involucri exteriores glabellæ vel marginibus vix pilosulæ. Flores cæterum ignoti. Specimen unicum et mancum habemus unde hæc incompleta descriptio; imo adhuc incertum est an hæcce species ad hoc genus vere pertineat. — In Africa occidentali?; Palissot de Beauvois.

Species forte addenda:

4. T.? HIRTUM Venten., *Choix de pl.*, tab. 35, in adnot. Pro specie distincta a Candolleo habitum, sed non differre videtur a *T. virusano*.

Species exclusæ:

T. erectum Guill. et Perr., *l. c.* — MELASTOMASTRUM ERECTUM Ndn.

T. angustifolium Blume, *Bijdr.*, 1079. . . . .

XXXI. *ARGYRELLA*. Tab. VI.

OSBECKIÆ species. E. Mey. ex Hochstt.— Walp., *Repert.*, V, 708.

Flos 5-merus. Calycis dentes ovato-acuti tubum campanulatum æquantes, cum denticulis totidem subulatis simplicibus nec apice setoso-stellatis alternantes. Petala obovata. Stamina 10 inæqualia, antheris lineari-subulatis 1-porosis recurvis antice undulatis, 5 majorum connectivo infra loculos longe producto arcuato et ultra filamenti insertionem in appendicem triquetram clavatam producto, 5 minorum brevissimo bilobo et in filamentum quasi confluente nec vere cum eo articulato. Ovarium infra medium adhærens, apice libero 5-lobum subumbilicatum, tomentellum, 5-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula ignota.

Suffrutex austro-africanus erectus ramosus pube stellata brevissima et quasi pulverulenta totus tomentellus; ramis obtuse 4-gonis; foliis subsessilibus sessilibusque lanceolato-oblongis subacutis obtusisve integerrimis 5-nerviis, subtus inter nervos primarios reticulatim nervulosis canescentibus; floribus in paniculas breves paucifloras foliosas terminalesque dispositis, violaceis.

Genus cum Osbeckia cujus non habet genuinos characteres non confundendum, Melastomati fortasse affinius quamvis habitu discrepet.

1. ARGYRELLA INCANA. — *Osbeckia incana* E. Mey. mss. ex Hochstt. — Walpers, *l. c.* — Tab. VI, fig. 7.

Planta videtur metralis sed incertum est. Folia 3-4 centim. longa, 1-1 ½ lata, petiolo 2-3-millimetrali quandoque nullo vel subnullo. Petala circiter 2 centim. longa et lata. Stylus longus gracilis exsertus. — Ad caput Bonæ Spei, Drège; necnon prope *Natal-Bay*, ex Hochstetter.

Species hic forsan addenda :

2. ARGYRELLA? PHÆOTRICHA. — *Osbeckia phæotricha* E. Mey. ex Hochstt., *l. c.*

XXXII. *PURPURELLA.*

Chætogastræ species DC. — Rhexia Bonpl. et auct.

Flos 5-merus. Calycis dentes ovato-acuminati vel triangulari-ovati, tubum campanulatum æquantes, persistentes. Petala obovata, apice rotundata vel obtusissima. Stamina 10 æqualia aut vix conspicue inæqualia; antheris lineari-subulatis subrectis 1-porosis, connectivo infra loculos longe producto arcuato et ultra filamenti insertionem in appendicem bifurcam aut bilobam porrecto, filamentis glabris. Ovarium liberum 5-lobum 5-loculare. Stylus crassus exsertus subsigmoideus, stigmate obtuso. Capsula 5-valvis. Semina cochleata.

Frutices peruani et novo-granatenses, monticolæ, ramosi, macranthi; foliis petiolatis ovatis 5-nerviis; floribus ad apices ramorum in cymas paucifloras dispositis, purpureis aut violaceis; calycibus fructiferis setoso-echinulatis.

Genus debile, subartificiale, inter Lasiandram et Chætogastram medium, neutri apte conjungendum. A Lasiandra recedit antheris manifeste quam in illa brevioribus et crassioribus necnon calycis limbo persistente, a Chætogastra connectivo longe producto; utrique cæterum habitu proximum.

1. Purpurella muricata. — *Rhexia muricata* Bonpl., *Rhex.*, tab. 1. — *Chætogastra muricata* DC.

P. ramis supremis obscure 4-gonis, dense hirsutis ferrugineis, demum excoriatis et glabratis; foliis ovatis subacutis subobtusisque, basi interdum subcordatis, tenuissime serrulatis aut subintegerrimis, 5-nerviis, pagina superiore strigosis, inferiore scabrellis, utraque interdum villosis rufescentibus; cymis 3-5-floris.

Frutex sesqui-bimetralis. Folia 2-4 centim. longa, 1 ½-3 lata, petiolo circiter centimetrali aut breviore. Calycis dentes lati ovati apice in acumen fere producti, margine sæpe purpurascentes. Petala 3 centim. longa, 2 ½ lata, intense et pulchre purpurea, ciliata, extus et præsertim infra

medium villosissima. Stamina vix conspicue inæqualia ; antheris linearibus rectis, connectivo arcuato, ultra insertionem filamenti porrecto et breviter bifurco vel acute bilobo. Stylus crassus exsertus, 4 centim. circiter longus, stigmate obtusissimo. Calyces fructiferi globosi magnitudine nucis avellanæ. Variat foliis majoribus et minoribus aliisque notis parvi momenti. — In locis editis Peruviæ et reipublicæ Novo-Granatensis, *Santa-Fé*, *Popayan ;* Bonpland, Goudot.

2. PURPURELLA RETICULATA. — *Rhexia reticulata* Bonpl., tab. 9. — *Chætogastra reticulata* DC.

P. præcedenti simillima eique probabiliter coadunanda ; vix differt foliis paulo longioribus et acutioribus necnon nervulorum reticulo paulo magis conspicuo. Iidem cæterum characteres e vestitu florum amplitudine et staminumfabrica utrique sumuntur.

In iisdem locis ac *P. muricata;* Bonpland.

XXXIII. *PACHYLOMA.*

PACHYLOMA DC. *Prod. III;* 122. — HETERONOMATIS spec. Mart., *Nov. gen. et spec.*, III. — HETERONOMA, Endlich., n° 6201.

1. PACHYLOMA CORIACEUM DC., *l. c.* — *Heteronoma Pachyloma* Mart., *l. c.*, 140, tab. 273.

Species nullomodo *Heteronomati* consocianda, Lasiandræ autem affinis ut patet ex icone Martiana.

XXXIV. *ANCISTRODESMUS.*

OSBECKIÆ spec. DC. — LASIANDRÆ spec. Mart. — MICROLEPIS Miq.

Flos 5-merus. Calycis oblongo-campanulati dentes acuti tubo paulo breviores. Petala obovato-inæquilatera subretusa. Stamina 10 alternatim inæqualia ; antheris lineari-subulatis 1-porosis, 5 majorum connectivo infra loculos longiuscule producto et ultra filamenti insertionem in appendicem bifurcam vel potius biuncinatam cujus lobi lateraliter reflexi sunt porrecto ; 5 minorum multo breviore et in calcaria duo adscendentia terminato.

Ovarium ultra medium costis adhærens, 5-loculare. Stylus filiformis stigmate punctiformi. Capsula 5-valvis. Semina cochleata.

Suffrutex brasiliensis erectus ramosus ; caule ramisque furfuraceis ; foliis oppositis, ternatis quaternatisve, petiolatis elliptico-oblongis subobtusis integerrimis 5-nerviis, utraque pagina adpresse tomentellis, inferiore candicante; paniculis terminalibus magnis multifloris.

Genus artificiale, Lasiandræ ut et pluribus aliis conterminum, queis tamen, ob habitum et connectivi fabricam peculiarem male consociandum censuimus. Ea de re judicent posteri.

1. Ancistrodesmus oleæfolius. — *Osbeckia oleæfolia* DC., III, p. 139. — *Lasiandra oleæfolia* Mart., *Nov. Gen.*, III, tab. 244. — Cham., *Linn.*, IX, 445, — *Microlepis quaternifolia* Miq., *Linn.*, XXII, p. 541.

Planta videtur metralis. Folia decimetrum circiter longa aut paulo minora, 1 ½-2 centim. lata, petiolo centimetrali. Petala 6-8 millim. longa, purpurea.—In Brasiliæ provincia Sancti Pauli; Guillemin, *Cat.*, 567.

EXTRAIT DES **ANNALES DES SCIENCES NATURELLES**, TOME XIII, JUIN 1850.

MELASTOMACEARUM

QUÆ IN MUSÆO PARISIENSI CONTINENTUR

MONOGRAPHICÆ DESCRIPTIONIS

ET SECUNDUM AFFINITATES DISTRIBUTIONIS

TENTAMEN.

(SEQUENTIA.)

Auctore **CAROLO NAUDIN**.

XXXV. *MICRANTHELLA*.

CHÆTOGASTRÆ species DC. et auct. — MERIANIA Vent.

Flos 5-merus. Calycis campanulati vel oblongi dentes acuti persistentes. Petala obovata apice rotundata ciliolata. Stamina 10 parum inæqualia conformia, antheris lineari-subulatis aut oblongis 1-porosis, connectivo infra loculos magis minusve producto et in insertione filamenti sæpius bitesticulato. Ovarium basi adhærens 5-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula 5-valvis; semina cochleata.

Herbæ suffrutices fruticesve austro-americani et mexicani, sæpius ramosi, varie pilosi, micranthi et submicranthi; foliis petiolatis ovatis ovatove-oblongis; floribus paniculatis aut glomeratis, nunquam cernuis, purpureis albis flavis aut aurantiacis.

Genus fere omnino artificiale imo et subheterogenum; *Lasiandræ Chætogastræ* et *Oreocosmo* æqualiter affine nulli tamen apte conjungendum. Præcipui characteres in parvitate florum (si generum proximorum floribus comparentur), inflorescentia et habitu resident.

A. Genuinæ.

Antheræ lineari-subulatæ, connectivo infra loculos longiusculo arcuato et in insertione filamenti bitesticulato aut castrato.

1. Micranthella clinopodifolia. — *Chætogastra clinopodifolia* DC., III, 133.

M. herbacea adscendens vel erecta debilis oligophylla tota (corollis genitalibusque exceptis) hispidula; caulibus subsimplicibus; foliis petiolatis ovatis subacuminatis serratis 3-5-nerviis; floribus ad apices caulis ramulorumque gracilium terminalibus et axillaribus, solitariis-ternis, brevissime pedicellatis.

Planta nostra incompleta ad *Chætogastram clinopodifoliam* DC. certe pertinet siquidem ipse celeberrimus Candolleus illud ei nomen in herbario Hilariano imposuit. An Micranthellarum genuinarum sectioni referenda sit haud omnino certum est, in specimine enim quod nobis clar. Hilarius largitus est flos desideratur. Plantæ, uti nomen indicat, similitudo est cum *Clinopodio vulgari*. Caules 3-4-decimetrales patentim setoso-hispiduli. Folia mollia setoso-hispidula, 2-4 centim longa, 1 ½ —2 lata, internodiis duplo subtriploque breviora, petiolo 5-10-millimetrali gracili. Calycis dentes triangulari-acuti, tubo campanulato paulo breviores.—In montibus *Serra Negra* permultisque aliis locis Brasiliæ australis; Aug. de Saint-Hilaire.

2. Micranthella ciliaris. — *Chætogastra ciliaris* DC. — *Meriania ciliaris* Vent., *Choix*, t. 34.

M. frutescens; ramis hirsutis aut hispidis; foliis petiolatis ovatis acuminatis acutis tenuiter serrulatis 5-nerviis, pagina utraque sed superiore præsertim villosis, inferiore foveolatis; paniculis brevibus subcorymbiformibus terminalibus.

Folia 6-10 centim. longa, 2-3 lata, petiolo circiter centimetrali. Calycis dentes triangulari-acuti tubo breviores. Planta præcedenti habitu fere simillima sed robustior et foliis majoribus distincta. — In republica Novo-Granatensi prope civitatem *Santa-Fé de Bogota;* Humboldt et Bonpland.

3. Micranthella lanceolata. — *Chætogastra lanceolata* DC.

M. frutescens tota villosa aut villoso-hirsuta; caule caulibusve subteretibus; foliis breviter petiolatis ovato-lanceolatis acumi-

natis acutis subintegerrimis 5-nerviis; paniculis partialibus dichotomis ad apices ramulorum terminalibus et in paniculas majores digestis; floribus albis (an etiam purpureis ?).

Planta per immensum Americæ meridionalis tractum dispersa, camporum et montium pariter incola, habitu et statura tamen parum variabilis Circiter metralis est; folia 6-10 centim. longa, 1-2 lata, petiolo sæpius centimetrali vel paulo breviore. Calycis villosi nonnihil urceolati dentes angusti subulati sæpe revoluti tubum longitudine æquantes, fructiferi tubus 10-costatus. Petala 4-5 millim. longa et fere totidem lata. Antherarum connectivum subcastratum. — In Bolivia ad altitudinem 3000 metrorum, Weddell; Peruvia, Dombey; republica Novo-Granatensi, Goudot; Antillis, Bonpland; republica Mexicana, Linden.

Var. β elatior; foliis duplo majoribus; prope *Teapa* in rep. Mexicana.

4. MICRANTHELLA HISPIDA. — *Chætogastra hispida* DC.

Præcedenti simillima sed tota villis rufis hirsutissima. Differt etiam paniculis partialibus magis divaricatis. Nobis una et eadem species esse videtur ac *M. lanceolata*. — In Brasilia, Bonpland.

5. MICRANTHELLA ROSEA. †

M. frutescens tota villosa vel setosa; foliis petiolatis ovato-oblongis acuminatis tenuiter serrulatis 5-nerviis; paniculis partialibus cymosis in paniculam majorem digestis; calycibus purpurascentibus, petalis lilacinis aut roseis.

M. lanceolatæ similis sed paulo debilior nec verisimiliter ab ea distinguenda quamvis discrepet floribus minoribus et roseis. — In montibus mexicanis oceano Pacifico vicinis, locis humidis, ad altitudinem 2000 ad 2500 metrorum; Galeotti.

6. MICRANTHELLA CONFERTIFLORA. †

M. frutescens; ramis hirtellis; foliis petiolatis ovato-oblongis acuminatis vix conspicue serrulatis 5-nerviis utrinque breviter adpresseque villosulis; paniculis terminalibus brevibus confertifloris; floribus aurantiacis.

M. lanceolatæ toto habitu valde similis sed differt panicula contracta,

florum colore et calyce fructifero vix manifeste 10-costato. Folia 10-12 centim. longa, 3 et forsan amplius lata, petiolo 1-2-centimetrali. — Descriptio ex specimine unico nec omnino completo. — In Peruvia prope *Chupe-Yungas*; d'Orbigny

7. MICRANTHELLA GAYANA. †

M. fruticosa; caule ramisque subglabratis; foliis petiolatis elliptico-ovatis, apice, interdumque basi, acutis, serrulatis 5-nerviis utrinque villosulis; paniculis ad apices ramorum dichotome corymbosis in paniculam majorem aggregatis; calycibus fructiferis setoso-echinatis, dentibus linearibus tubum æquantibus.

Folia quam in *M. lanceolata* breviora et minus acuta, circiter 4-6 centim. longa, 2 lata, petiolo 5-10-millimetrali. Paniculæ partiales (saltem fructiferæ) quam in illa specie paulo majores sicut et fructus qui setulis rigidis echinati sunt. Species distincta videtur sed ex specimine manco incompleta est descriptio. — In Peruvia prope *Cuzco*; Cl. Gay.

8. MICRANTHELLA CITRINA. †

M. fruticosa; ramis opposite patentibus; foliis petiolatis elliptico-lanceolatis utrinque acutis interdumque basi rotundatis tenuiter serrulatis quintupli-septuplinerviis (nervis lateralibus basi cum nervo medio coalitis), pagina utraque villosulis; paniculis terminalibus; floribus citrinis.

Planta 1-3-metralis. Folia 8-15 centim. longa, 3-5 lata, petiolo 1-3-centimetrali. Calycis dentes acuti tubum setulosum æquantes. Petala 5 millim. longa, obovata ciliata, in speciminibus siccis ad aurantiacum vergentia. Antheræ luteæ, connectivo longiusculo et bitesticulato. — In fruticetis humidis vallis *Tipoani* Boliviæ, ad altitudinem circiter 3000 metrorum; Weddell.

9. MICRANTHELLA ORBIGNIANA. †

M. fruticosa; ramis junioribus 4-gonis rufescenti-hirtis, vetustioribus excoriatis et glabratis; foliis petiolatis ovatis breviter acuminatis tenuissime serrulatis, quinque vel quintuplinerviis,

pagina utraque adpresse villosulis; floribus ad apices ramulorum paniculas breves foliosas formantium aggregatis.

Folia 6-8 centim. circiter longa, 2-4 lata, petiolo circiter centimetrali. Calycis dentes subulati tubo setuloso breviores. Petala obovata, 6 millim. circiter longa, flava? (in speciminibus siccis flava vel aurantiaca videntur). Cætera ut in præcedente.—In Bolivia prope *Cajapi-Yungas;* d'Orbigny.

10. MICRANTHELLA CAPITATA. †

M. fruticosa; caule ramisque 4-gonis setoso-strigillosis; foliis breviter petiolatis oblongo-ovatis acuminatis acutis obsolete serrulatis subintegerrimisque 5-nerviis, pagina utraque setulosis; floribus ad apices ramorum glomeratis capitatisve; capitulis subinvolucratis; floribus albis.

Planta semimetralis et metralis. Folia 8-12 centim. longa, 1 ½-3 lata, petiolo 5-10-millimetrali. Capitulorum foliola involucrantia fere bracteiformia, magnitudine varia. Calycis dentes subacuti ciliati tubo 10-costato hirto paulo breviores. Petala rotundato-obovata ciliata, 6-7 millim. longa. Antherarum connectivum infra loculos longiuscule productum et ultra filamenti insertionem breviter bifurcum. — In Boliviæ valle *Tipoani* ad altitudinem 3000 metrorum; Weddell.

B. CHÆTOGASTROIDEÆ.

Antheræ oblongæ sed non vere subulatæ ut in sectione præcedenti, connectivo infra loculos brevissimo et bilobo aut subnullo.

11. MICRANTHELLA LATIFOLIA. †

M. frutescens; ramis supremis strigilloso-scabris mox glabratis; foliis petiolatis late ovatis apiculatis vel brevissime acuminatis obsolete serrulatis sæpius 7-nerviis (nervis intermediis utrinque basi inter se coalitis), pagina superiore adpresse strigillosis strigosisve, inferiore setulosis; paniculis terminalibus brevibus laxis; floribus roseis aut dilute purpureis.

Planta 1-2-metralis. Folia 5-8 centim. longa, 2 ½-5 lata, petiolo 1-2-centimetrali. Calycis campanulati dentes acuti ciliati tubum æquantes, fructiferi tubus 10-costatus. Petala obovata, hinc glanduloso-ciliata, 7 millim. circiter longa. Stamina æqualia, antheris oblongo-ovatis sub-

rostellatis antice undulatis, connectivo sub ipsis loculis bituberculato. Stylus subclavatus.—In fruticetis humidis vallis *Tipoani* Boliviæ, ad altitudinem 2500 metrorum; Weddell.

12. MICRANTHELLA CANDOLLEI. — *Chætogastra mollis* DC. — *Rhexia mollis* Bonpl., *Rhex.*, t. 19.

M. fruticosa ferrugineo-villosa pro genere macrophylla; ramis teretibus; foliis petiolatis ovatis acuminatis obsolete serrulatis vel subintegerrimis 5-nerviis, utraque pagina rufescenti-villosis; paniculis terminalibus brevibus confertifloris et multifloris; floribus rubris aut violaceis.

Folia 6-10 centim. longa, 4-6 lata, petiolo vix centimetrali. Calycis late campanulati dentes angusti subulati tubum æquantes. Petala obovata ciliata, 7-8 millim. longa. Antheræ lineari-oblongæ obtusæ, connectivo infra loculos brevissimo vix conspicuo nec manifeste tuberculato. Calyx fructifer magnitudine pisi, villoso-hirsutus et 10-costatus.—In montibus Peruviæ prope urbem *Loxa;* Rivero, Bonpland; necnon in monte *Quindiu* inter *Paramillo* et *Boquia* reipublicæ Novo-Granatensis, Linden, *Cat.*, n° 1061.

Species addendæ:

13. M. LONGIFOLIA. — *Chætogastra longifolia* DC.
14. M. HAVANENSIS. — *Chætogastra havanensis* DC.

XXXVI. *OTANTHERA.*

OTANTHERA Blume, *Flora.* — LACHNOPODIUM, Blum. et aliorum. — MELASTOMATIS species Bl. et DC.

Flos 5-merus. Calycis dentes tubo breviores aut subæquales decidui, interdum cum denticulis totidem setosis vel subpenicillatis brevissimis alternantes. Petala obovata apice rotundata aut acuta. Stamina 10 æqualia conformia; antheris lineari-subulatis 1-porosis, connectivo infra loculos non aut vix manifeste producto sed bitesticulato aut bicalcarato. Ovarium maxima parte adhærens, apice libero setosum, 5-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus baccatus. Semina cochleata.

Frutices in insulis Moluccis, Sundaicis et Luzonia hucusque

cogniti, submicranthi, Melastomata plurima habitu referentes sed paullo graciliores; foliis petiolatis ovato-lanceolatis ellipticisve acutis strigillosis; floribus ad apices ramorum in paniculas paucifloras dispositis; fructibus calycis tubo persistente vestitis subglobosis.

Otantheræ genus satis naturale est, a Lachnopodio autem non diversum, ut recte judicavit Korthalsius. Americanæ Micranthellæ respondere videtur.

1. OTANTHERA MOLUCCANA Blume, *Mus. bot. Lugd. Batav.*, p. 56. — *Melastoma moluccanum* DC. — Blume, *Bijdr.*

O. ramis subtetragonis, sparse strigosis: foliis ovatis oblongoveovatis acutis integerrimis 5-nerviis, pagina utraque breviter strigillosis; calyce tuberculis penicillato-setulosis muricato, petalis obovato-acutis albis; antheris basi bitesticulatis.

Folia 6-10 centim. longa, 3-4 lata, petiolo circiter centimetrali. Petala 5-6 millim. longa. Antheræ nonnihil recurvæ. — In fruticetis insulæ Amboinæ; Blume.

2. OTANTHERA GRACILIS. †

O. ramis subtetragonis, sparse strigosis; foliis lanceolato-ellipticis acuminatis integerrimis 5-nerviis, pagina utraque sed superiore præsertim strigillosis, in eodem jugo nonnihil disparibus; calyce setulis fasciculatis hirto; petalis obovatis apice rotundatis, ciliolatis; antheris basi bitesticulatis.

Species præcedenti affinis et primo intuitu simillima; differt ramis lentioribus, foliorum jugis remotioribus et potissimum petalis apice rotundatis nec acutis. — In fruticetis Amboinæ; Labillardière.

3. OTANTHERA CELEBICA Blume, *Mus. bot. Lugd. Bat.*, 56.

O. foliis lanceolatis acuminatis 5-nerviis, pagina superiore inter nervos strigis adpressis malpighiaceis conspersa, inferiore præter nervos strigillosos glabra; floribus in cymas seu paniculas terminales breves paucifloras dispositis; calycibus strigosis.

Specimen speciminis nomine vix dignum habemus folia suprema pauca

et alabastra juniora exhibens. Folia fere decimetrum longa sunt, 2-4 centim. lata, petiolo circiter centimetrali. Calycis dentes angusti, apice setosi, tubo strigis brevibus adpressis obtecto breviores. Cætera ignota — In insula *Célèbes;* Forster. Planta e Musæo Lugduno-Batavo communicata.

4. Otanthera crinita. †

O. ramis subtetragonis strigoso-echinulatis aut patentim hispidis; foliis ovato-ellipticis lanceolatisque acuminatis 5-nerviis, pagina superiore strigoso-scabris, inferiore setulosis; calyce setis longis patulis fasciculatis simplicibusque horrido; petalis obovatis; antheris basi bicalcaratis.

Folia 1 decimetrum et amplius longa, 4 centim. lata, petiolo uni-sesquicentimetrali. Calycis dentes subobtusi, tubo triplo quadruplove breviores. Petala 8-10 millim. longa, vix apiculata. —In insula Luzonia prope civitatem *Manille;* Cuming, *Catal.*, n° 928.

5. Otanthera bracteata Krthls in *Verh. nat. Gesch. Bot.*, p. 235, tab. 51. — *Lachnopodium bracteatum* Blume, *Mus bot. Lugd. Bat.*, p. 56. — Eadem etiam ac *Lachnopodium rubrolimbatum* ex herb. Blume non autem ex *Mus. Lugd. Bat.*, p. 56.

O. fruticulosa macrophylla nonnihil anisophylla; ramis subtetragonis fistulosis adpresse strigillosis; foliis ovatis ellipticove-ovatis acuminatis, basi rotundatis aut rarius subcordatis, vix non integerrimis, 5-7-nerviis, pagina superiore setulis malpighiaceis tenuibus conspersa, inferiore hirtella; paniculis axillaribus brevibus paucifloris bracteosis hirsutis; calycinis dentibus linearibus apice setoso-penicillatis; antheris antice bicalcaratis.

Species omnium distinctissima præcedenti tamen nonnihil affinis. Rami fistulosi subtetragoni strigis fuscescentibus ornati, internodiis sæpe elongatis. Folia in eodem jugo sæpe inæqualia, uno alterum triente haud raro superante, 1-1 ½ decim. longa, 5-6 centim. lata, petiolis bi-quadricentimetralibus. Panicularum pedunculi polychotomi, ramuli ut plurimum dichotomi, florum lateralium abortu sæpe ad apicem uniflori, a dichotomia ad florem terminalem bracteolis late cordiformibus amplexicaulibus vestiti. Calyx setis basi multifidis hirsutus, dentibus angustis

apice penicillato-setosis tubum subæquantibus, cum denticulis 5 pariter setosis alternantibus. Petala obovata subobtusa, apice setosa. Stamina æqualia ; antherarum connectivo infra loculos brevissime sed manifeste producto bicalcarato, filamentis glabris. Cætera ut in reliquis.—Species sumatrana e Musæo Lugduno-Batavo communicata.

XXXVII. *ARTHROSTEMMA*. Tab. 6, fig. VIII.

ARTHROSTEMMATIS et OSBECKIÆ species DC. — RHEXIÆ spec. Bonpl. — CHÆTOGASTRÆ spec. Cham. — BRACHYANDRA Ndn., *Ann. des sc. nat.*, 1845. — PTEROLEPIS, Miq. et aliorum. — Endlich., *Gen.*, n° 6211.

Flos 4 merus rarissime 5-merus. Calycis campanulati dente acuti rigidi persistentes, cum pilis totidem penicillato-stellatis alternantes; tubus pilis simplicibus aut penicillatis hirtus. Petala obovata ciliata. Stamina petalorum numero dupla, alternatim inæqualia, antheris sæpius subulatis, 1- raro 2-porosis; connectivo infra loculos plus minus producto et ad insertionem filamenti bituberculato vel tumido. Ovarium subliberum vel potius basi costis 8 adhærens, apice setosum, 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula 4-valvis, rarissime 5-valvis. Semina cochleata.

Herbæ, suffrutices et fruticuli americani, plerumque strigilloso-scabri; foliis sæpius lanceolatis; floribus alaribus axillaribus terminalibusve, paniculatis vel glomeratis, interdumque solitariis, purpureis roseis aut albis.

Genus naturale si quasdam species Candolleanas removeris aliasque præsertim ex Osbeckia ejusdem auctoris ei adjunxeris. Nulli inter genera americana vere est affine, sed asiatico generi Osbeckiæ parallelum.

A. GENUINÆ.

Floribus semper 4-meris.

1. ARTHROSTEMMA GLOMERATUM — *Osbeckia glomerata* DC., III, p. 141. — *Pterolepis Hostmannii* Steud., *Flora.*

A. suffruticosum ramosum, totum strigilloso-asperum; foliis

breviter petiolatis, ovatis vel lanceolatis, acutis, subintegris, trinerviis; floribus ad apices ramorum glomeratis.

Caules erecti, 3-5-centimetrales. Folia 1-4 centim. longa, $\frac{1}{2}$-1 lata. Calycis dentes acuti, rigidi, erecti, tubum pilis stellatis hirtum æquantes, pilis 4 penicillatis cum iis alternantibus fere duplo longiores. Petala obovata, ciliata, 12-14 millim. longa, violacea. — In locis montosis et humidis Boliviæ, d'Orbigny; Brasiliæ, Martius, Claussen; insulæ Martinicensis, Plée, Steinheil; Guyanæ Batavicæ, Hostmann; Gallicæ, Robert. Planta variabilis habitu et colore florum. Occurrunt specimina, præsertim in Antillis, caulibus debilioribus et subherbaceis, foliis brevioribus, floribus minus glomeratis, roseis aut albis.

2. Arthrostemma Salzmannii. †

A. suffruticulosa vel subherbacea, priori fere similis sed debilior, mollior et foliis late ovatis subobtusis, setoso-villosis; floribus glomeratis et illis *A. glomerati* similibus, violaceis.

In Brasilia septentrionali, prope Bahiam; Blanchet. Præcedentis fortasse mera varietas.

3. Arthrostemma angusturense DC., *l. c.*, 135. — Bonpl., *Rhex.*, tab. 29.

A. suffruticosum erectum scabrum parum ramosum; foliis breviter petiolatis lanceolatis acutis integris strigillosis 3-nerviis; floribus terminalibus solitariis albis.

Planta *A. glomerato* habitu simillima et ab eo forsan non vere distincta. Differt tamen floribus solitariis, dentibus calycinis minus rigidis et pilis 4 stellato-penicillatis vix exsertis. Calycis tubus cæterum pilis stellatis hirtus.—Ad ripas Orinoci frequens et prope urbem *Angostura;* Bonpland.

4. Arthrostemma Weddellianum. † Tab. 6, fig. IX.

A. herbaceum strigilloso-scabrum; caulibus adscendentibus subgracilibus simplicibus aut parum ramosis; foliis breviter petiolatis ovato-lanceolatis acutis integris setoso-strigillosis subquinquenerviis; floribus terminalibus solitariis-ternis, rarius alaribus axillaribusque, purpureis.

Caules circiter 3-decimetrales. Folia 2-3 centim. longa, 1 vel paulo minus lata. Calycis dentes tubum æquantes, cum pilis penicillatis multo brevioribus alternantes; tubus setis subsimplicibus strigosus. Petala late

obovata, rotundata, sesquicentim. longa et lata. Stamina subæqualia.— In collibus herbidis et aridis provinciæ Cordilleræ, in republica Boliviana; Weddell.

5. Arthrostemma alpestre. — *Osbeckia alpestris* DC., *l. c.* — *Chætogastra alpestris* Mart., *Nov. gen.*, III, tab. 247.

A. suffruticosum erectum strigilloso-scabrum ramosum foliosum; foliis brevissime petiolatis et quasi subsessilibus ovatis subobtusis 5 nerviis subintegris scabris; floribus ad apices ramulorum solitariis, quandoque in dichotomiis alaribus, violaceis.

Planta elegans circiter semimetralis. Folia sesqui-bicentimetralia, pagina superiore subnitida Calyx setis longis subsimplicibus villosissimus; pili 4 stellato-penicillati dentibus breviores. Petala latissime obovata, rotundata, glanduloso-ciliata, 10-12 millim. longa et lata. — In Brasiliæ australis provincia] *Minas-Geraes* prope *Tijuco;* Vauthier.

6. Arthrostemma hirsutissimum DC., *l. c.*

A. subherbaceum erectum simplex, undique setis longis rigidis rufescentibus villosissimum; foliis brevissime petiolatis erectis lanceolatis acutis 3-5-nerviis; caule apice tantum parce et dichotome ramoso; floribus alaribus solitariis, et terminalibus subglomeratis.

Planta 3-4-decimetralis. Calyx pilis penicillatis totus hispidus; pili 4 majores cum dentibus alternantes. Planta distinctu facillima. — In Brasiliæ provincia *Minas-Geraes;* Claussen.

7. Arthrostemma pauciflorum. †

A. subherbaceum erectum simplex strigoso-scabrum; foliis brevissime petiolatis lanceolatis acutis 3-nerviis; caule apice tantum et parce dichotome ramoso; floribus paucis, alaribus terminalibusque.

Planta præcedenti habitu statura et floris characteribus omnino affinis; imo vix distincta vestitu strigilloso nec villosissimo. Proxima quoque *A. herbaceo* DC., ita ut facile crederemus illas tres formas unam et eadem speciem esse.

8. Arthrostemma ladanoides DC., *l. c.* —*Rhexia ladanoides* Bonpl., *Rhex.*, t. 27.

A. herbaceum erectum opposite ramosum; ramis gracilibus strigillosis; foliorum jugis remotis; foliis breviter petiolatis ovato-lanceolatis acutis subintegris 3-5-nerviis villosis; panicula magna laxa dichotome ramosa; floribus subparvis.

Planta semimetralis interdumque submetralis, statura cæterum maxime variabilis, siquidem extant specimina vix 2-3-decimetralia. Folia 3-6 centim. longa, 1-2 lata. Flores in ramis paniculæ gracilibus alares axillares terminalesque, non omnino solitarii. Calycis dentes ovati, recti, tubo pilis stellatis ornato subbreviores, cum pilis 4 majoribus penicillato-stellatis alternantes. Petala 1 centim. longa. Stamina inæqualia, antheris subulatis. — In Guyana gallica frequens, Mélinon, Leprieur, Martius; necnon in Brasilia septentrionali, Martius, Salzmann; *Caracas*, Funck; in regione vulgo *Paraguay*, Weddell.

9. Arthrostemma pumilum. — *Osbeckia pumila* DC., *l. c.* — An *Pterolepis pusilla* Miq., *Linn.*, XVIII, 619?

A. herbaceum, *A. ladanoidi* simillimum hujusque verisimiliter mere varietas. Stamina tamen minus inæqualia sunt et connectiva majorum multo breviora.

Planta 2-3 centimetralis, in posterum revisenda. — In America meridionali, loco haud notato; Bonpland.

10. Arthrostemma filiforme. †

A. herbaceum pumilum strigilloso-hirtum; caule filiformi erecto dichotomo; foliorum jugis distantibus; foliis radicalibus late ovatis serrulatis, superioribus ovato-lanceolatis acutis subintegris, omnibus brevissime petiolatis villosis 3-nerviis; floribus alaribus terminalibusque, solitariis.

Plantula circiter decimetralis, *A. ladanoidi* et *pumilo* affinis sed certe distincta. Folia radicalia 1 centim. et amplius longa, fere tantumdem lata; caulina 1 ½-2 centim. longa, 4-6 millim. lata, patula. Calycis tubus setis subsimplicibus hirtus, dentes acuti cum pilis 4 brevibus stellatis alternantes. Stamina inæqualia, antheris subulatis, quam in *A. ladanoide* brevioribus.—In Brasilia centrali; Weddell.

11. ARTHROSTEMMA POLYGONOIDES DC., *l. c.*, p. 137.

A. herbaceum annuum erectum gracillimum oligophyllum oliganthum ; caule filiformi subsimplici 4-gono sparse sed ad nodos præcipue setuloso; foliis parvis petiolatis lanceolatis acutis integerrimis 1-3-nerviis, pagina utraque setulosis; floribus ad apices caulis et ramulorum quorumdam axillarium terminalibus axillaribusque, parvis, roseis.

Plantula sub nomine *A. polygonoidis* a Candolleo ipso in herbario Hilariano inscripta, *Arthrostemmati filiformi* consanguinea sed distincta caule subsimplici nec ut in illa specie dichotome ramoso et stricto. Nec omnino quidem caret affinitate cum ipso *A. ladanoide* terra sterili genito et depauperato. Caulis 2-4-decimetralis, penna passerina vix aut paulo crassior. Folia 1 centim. et quod excedit longa, 2-5 millim. lata, internodiis triplo quadruplove breviora, petiolo 1-2-millimetrali. Calyx pilis fasciculatis breviter stipitatis hirtus. Petala obovata obtusa, 4 millim. longa. Stamina ut in *A. ladanoide*. — In deserto partis occidentalis provinciæ *Minas-Geraes* prope prædium dictum *Veados*, a clar. Aug. de Saint-Hilaire lectum.

12. ARTHROSTEMMA GOUDOTIANUM. †

A. herbaceum erectum ramosum strigillosum ; foliis lanceolatis acutis basi attenuatis et petiolatis subintegris 3-nerviis villosulis; caule ramisque dichotomis; floribus alaribus solitariis aut terminalibus subternis, parvis; antheris oblongo-ovatis ovatisve, obtusis.

Planta 1-2-decimetralis? habitu *A. pumilum* referens, sed certe antheris abbreviatis distincta. Calyx ut in *A. ladanoide*. Petala obovata, 4 millim. longa et lata. Staminum majorum antheræ oblongo-ovatæ, minorum ovatæ, omnium connectivum arcuatum et crassiusculum.—In republica Novo-Granatensi prope *Chaparal;* Goudot.

13. ARTHROSTEMMA EXIGUUM. †

A. herbaceum pumilum erectum strigillosum ; caule simplici vel parce et dichotome ramoso ; foliis breviter petiolatis ovato-lanceolatis subobtusis integris 3-nerviis villosulis ; floribus alaribus terminalibusve solitariis parvis.

Plantula 5-12 centim. alta ; caule filiformi (saltem ex nostris specimi-

nibus). Folia 1 ½ centim. longa et sæpe multo minora. Calyx ut in *A. ladanoide* sed paulo minor. Petala obovata, 6 millim. longa, 5 lata. Stamina inæqualia, antheris oblongis, obtusis, majorum connectivo abrupte arcuato. — In montibus reipublicæ Mexicanæ, mare Pacificum versus, ad altitudinem 1000-2000 metrorum; Galeotti.

14. Arthrostemma heterostemon. — *Brachyandra pusilla* Ndn., *Ann. des sc. nat.*, 3e sér., II, 1844. — Tab. 6, fig. VIII.

A. pusillum herbaceum filiforme simplex; foliis subsessilibus ovatis vel elliptico-lanceolatis integerrimis 3-nerviis pilosulis; floribus paucissimis sessilibus terminalibus axillaribusque, subsolitariis, parvis.

Plantula 4-5 centim. alta, caule subcapillari. Folia 5-7 millim. longa. Calyx villosulus, pilis 4 substellatis parvis vix conspicuis cum dentibus alternantibus ornatus. Petala obovata. Stamina alternatim majora fertilia et minora sterilia. Antheræ fertiles ovatæ, apice quasi truncato biporosæ, steriles clavæformes.—In palude quadam exsiccata prope *Salgado* prov. *Minas-Geraes;* Aug. de Saint-Hilaire.

Quinque abhinc annis hanc plantam, propter stamina alternatim fertilia et sterilia, ad dignitatem generis extuleramus, sed *Arthrostemmatis* characteribus melius cognitis ad hoc genus *Brachyandram pusillam* revocare debuimus quæ cæterum Arthrostemmatibus pluribus habitu omnino analoga est.

B. Heterogenæ.
Floribus 5-meris.

15. Arthrostemma cataphractum. — *Chætogastra cataphracta* Cham., *l. c.*

A. fruticulosum ramosum mycrophyllum scabrum, pilis ramorum et foliorum squamæformibus acutis imbricatis; foliis petiolatis coriaceis late ovato-ellipticis mucronulatis, marginibus reflexis; cymis plerumque trifloris, ad apices ramorum capitato-congestis; staminum connectivo pro genere longe producto.

Folia ut plurimum 7-8 millim. longa, 4 lata. Calycis tubus campanulatus, setis crassis 2-3-fidis hirtus; denticuli cum dentibus calycinis alternantes crassi rigidi, pilorum convergentium fasciculo terminati. Petala 7 millim. longa, late obovata subretusa ciliata. Staminum con-

nectivum anthera paulo brevius, in articulatione filamenti bilobum. Flos 5-merus et 4-merus; capsula 4 et 5 valvis. Planta *Arthrostemmati* subheterogena — In Brasilia prope Bahiam, Blanchet; missa quoque a clar. Sellow.

Species fortassis addendæ:

16. ARTHROSTEMMA PUSILLUM. — *Pterolepis pusilla* Miq., *l. c.* — Non differre videtur ab *A. pumilo.*

17. ARTHROSTEMMA CAPITATUM. — *Pterolepis capitata* Miq., *Comment. phytogr.*, II, 79. — Forma antillana quæ non satis diversa est ab *A. glomerato*, ut supra dictum est.

18. ARTHROSTEMMA HERBACEUM DC., *l. c.* — Species cum *A. paucifloro* forte in unam contrahenda.

Species exclusæ :

A. Deppeanum Schlcht. et Cham. — MONOCHÆTUM DEPPEANUM Ndn.

A. floribundum Schlcht. et Cham. — MONOCHÆTUM FLORIBUNDUM Ndn.

A. calcaratum DC. — MONOCHÆTUM CANDOLLÆANUM Ndn.

A. myrtoideum DC. — MONOCHÆTUM MYRTOIDEUM Ndn.

A. Bonplandii DC. — MONOCHÆTUM BONPLANDII Ndn.

A. dicranantherum DC. — MONOCHÆTUM ? DICRANANTHERUM Ndn.

A. lineatum DC. — MONOCHÆTUM? LINEATUM Ndn.

A. multiflorum DC. — MONOCHÆTUM MULTIFLORUM Ndn.

A. rosmarinifolium DC. — CHÆTOGASTRA ROSMARINIFOLIA Ndn.

A. quinquenerve DC. — CHÆTOGASTRA QUINQUENERVIS Ndn.

A. campanulare DC. — CHÆTOGASTRA CAMPANULARIS Ndn.

A. Martiusianum DC. — TETRAMERIS MARTIANA Ndn.

A. villosum DC. — TETRAMERIS VILLOSA Ndn.

A. Aubletii DC. — TETRAMERIS AUBLETII Ndn.

A. versicolor DC. — TETRAMERIS VERSICOLOR Ndn.

A. nummularioides DC. — Comolia nummularioides Ndn.
A. ciliatum DC. — Heteronoma ciliatum Ndn.
A. latifolium DC. — Heteronoma?? latifolium Ndn.
A. uruguayense Cham. — Tetrameris? uruguayensis Ndn.
A. brachyandrum Cham. — Tetrameris? brachyandra Ndn.
A. nitidum Grahm. — Tetrameris?? nitida Ndn.
A. piloselloides DC. — Castratella piloselloides Ndn.
A. lutescens DC. — Chætogastra lutescens Ndn.

EXTRAIT DES **ANNALES DES SCIENCES NATURELLES**, TOME XIV, JUILLET 1850.

MELASTOMACEARUM

QUÆ IN MUSÆO PARISIENSI CONTINENTUR

MONOGRAPHICÆ DESCRIPTIONIS

ET SECUNDUM AFFINITATES DISTRIBUTIONIS

TENTAMEN.

(SEQUENTIA.)

Auctore **CAROLO NAUDIN**.

XXXVIII. *OSBECKIA*.

OSBECKIÆ spec. DC. — ASTEROSTOMATIS spec. Blume, *Mus. bot. Lugd. Bat.* — OSBECKIA, Endlich., *Gen. plant.*, n° 6221.

Flores 5-meri et 4-meri. Calycis tubus pilis squamisve interdumque tuberculis apice stellato-setosis aut penicillatis fere semper obtectus, raro glaber; dentes cum denticulis tuberculis seu pilis crassioribus quandoque aristæformibus totidem apice stellato-setosis alternantes, setarum fasciculo ipsi sæpe terminati, sæpissime (forsan semper?) decidui aut caduci. Petala obovata, interdum retusa inæquilatera, sæpius breviter et obtuse apiculata, ciliato-setosa. Corolla rarissime monopetala. Stamina 8 vel 10 æqualia aut inæqualia; antheris varie conflatis, 1- rarissime 2-porosis, connectivo infra loculos nullo vel subnullo, rarius longiuscule producto. Ovarium ovoideum plus minus adhærens, apice semper libero setosum, secundum flores 5-meros aut 4-meros 5-4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula calycis tubo persistente vestita, apice 3-4-valvis. Semina cochleata.

Herbæ suffrutices fruticesque potissimum indici, in insulis Indiæ vicinis, Africæ ora orientali et occidentali, Madagascaria, insulis Mascarenis imo et Promontorii viridis quoque sed parcius

crescentes; habitu vario; floribus ut plurimum mediocribus, roseis purpureis aut violaceis.

Polymorphum quidem est genus Osbeckiæ et a generum fabricatoribus forsan olim sed certe immerito dividendum. Princeps hujus character non in floris partium numero, non in staminum forma, sed in pilis seu denticulis penicillatis qui cum dentibus alternant versatur, cui quoque accedunt characteres secundarii. Americano Arthrostemmati sane proximum est et parallelum, præsertim si ad species 4-meras solummodo attendatur, nec cum eo tamen facile confundendum erit quum in mente habebitur Arthrostemmatis dentes calycinos semper persistentes et Osbeckiæ fere semper caducos esse. Addendum etiam est utrique generi non eumdem inesse habitum, ita ut qui semel viderit haud ægre species palæogeas a neogeis dignoscat. Removendæ sunt igitur species omnes Americanæ quas celebratissimus Candolleus recentioresque botanici ad Osbeckiam retulerunt, excepta sola *O. principe*, si vere Brasiliæ sit indigena, quod nobis summopere dubium videtur.

A. Macrodesmiæ.

Flos 5-merus. Petala obovata apice setoso-ciliata. Stamina alternatim inæqualia, antheris lineari-subulatis 1-porosis, connectivo infra loculos longe producto (fere loculorum longitudine) arcuato et ultra filamenti insertionem antice porrecto. Sectio subartificialis.

1. Osbeckia princeps DC., III, 140. — *Rhexia princeps* Bonpl., *Rhex.*, tab. 46.

O. suffruticosa, tota pube stellata brevi velutina tomentellaque; ramis rufescentibus obscure 4-gonis; foliis petiolatis oblongo-ovatis acuminatis basi cordatis serrulatis 5-7-nerviis; floribus majusculis fere paniculatis, bracteola lata brevi quadruplici- vel sextuplici basi fulcratis; calycibus dense stellato-hispidulis.

Planta fortasse metralis sed incertum est. Folia 8-12 centim. longa, 2-3 quandoque amplius lata, petiolo 1-1 ½-centimetrali. Calycis tubus pilis crassioribus apice stellato-setosis totus obtectus, dentes obtusi tubum

subæquantes, apice tuberculo setigero pariter instructi et cum pilis penicillatis 5 quam cæteri vix majoribus alternantes. Petala circiter 2 centim. longa et lata. Staminum connectivum basi antice bilobum vel bicalcaratum. — Species a Bonplandio inter Brasilianas stirpes ordinata (Vide Bonpl. *Rhex.*, tab. 46). Hanc tamen neque clarissimus ille vir nec ullus postea botanices indagator in Brasilia reperit, sed a benignissimo Fontanesio communicatam descripsit, qui ipse ab alieno herbario (verisimiliter Lusitanico) uti plantam brasiliensem acceperat. Quamvis non sit impossibile unam et eamdem stirpem simul africanam et americanam esse, valde suspicamur illos auctores in errorem inductos fuisse, nam, ne loquamur quidem de characteribus e novo orbe fere omnino exclusis, certum est hanc plantam in insulis Promontorii viridis (*cap Vert*) gigni, ut testatur unum e speciminibus nostris e Lusitania a celeberrimo Geoffroy Saint-Hilaire relatum.

2. Osbeckia Zanzibariensis †.

O. suffrutescens erecta ramosa ; caule ramisque hispidulis ; foliis petiolatis ovatis acutis subobtusisve integerrimis aut obsolete serrulatis 5-nerviis, pagina superiore breviter adpresseque setulis malpighiaceis sparsa, inferiore ad nervos præsertim villosula ; floribus solitariis-ternis terminalibus.

Folia 2-4 centim. longa, 1-2 lata, petiolo $\frac{1}{2}$-1 $\frac{1}{2}$-centimetrali. Calyx pilis stellato-penicillatis totus hirtus quorum 5 cæteris productiores cum dentibus alternant ; dentes triangulari-acuti longitudine tubum æquantes, pilos penicillato-stellatos extus gerentes, e quibus supremus cæteris gracilior et infra dentis apicem ortus hunc terminare videtur. Petala sesquicentimetrum longa obovata et apice ciliata. Stamina inæqualia sed conformia, antheris lineari-subulatis, connectivo infra loculos, in 5 majoribus præsertim, longe producto (loculorum fere longitudine) arcuato et ultra filamenti insertionem antice in appendicem linearem obtusam porrecto. Ovarium ultra medium septis 10 calyci adnatum, apice umbilicatum. — In insula *Zanzibar* Africæ orientali vicina, ad margines agrorum ; Bojer.

B. Antherotoma.

Flos 4-merus. Calycis dentes lineares apice setoso-penicillati. Petala inæquilatere obovata. Stamina æqualia, antheris brevibus obovatis truncatis subbiporosis aut omnino biporosis, connectivo infra loculos longiusculo.

3. Osbeckia antherotoma †.

O. herbacea pusilla gracilis erecta oligophylla micrantha ; caule subtetragono subsimplici setuloso; foliis petiolatis ovatis acutis obsolete crenulatis utraque pagina setosis 3-nerviis ; floribus ad apicem caulis (et ramulorum quum adsunt) ut plurimum ternis, subsessilibus, foliis aliquot quasi involucratis.

Plantula ex speciminibus nostris 1-3 decimetralis, caule gracili. Folia inferiora omnium minima a millimetro ad centimetrum fere variant, suprema sæpe 2 centim. longa sunt et 1 lata, petiolo 2-5-centimetrali. Calycis tubus campanulatus, pilis penicillato-stellatis hirtus, dentes pariter apice setis stellatis seu penicillatis terminati, denticulis similibus longiores. Petala 5 millim. longa. Ovarium calyci ad medium usque toto ambitu adhærens, apice subquadrilobo setis coronatum. — In montibus editioribus Madagascariæ, in provinciis *Émirne* et *Bétanimène;* Bojer, Boivin, *Cat.*, n° 3418.

C. Arrhinæ.

Flores 5-meri et 4-meri. Petala late obovata apiculo setoso sæpe terminata. Stamina æqualia; antheris ovoideis, ovato-oblongis lineariveoblongis, obtusis, non autem rostratis aut vere subulatis, 1-2-porosis ; connectivo infra loculos sæpius nullo aut subnullo.

4. Osbeckia muralis †. — *O. Zeylanica* Steud. in *Herb. Ind. or.*, Hohenacker, n° 577.

O. herbacea erecta gracilis subsimplex, interdum pusilla, oligo phylla oligantha micrantha ; caule subquadrangulo, ad angulos hirsuto ; foliis petiolatis ovatis acutis tenuissime serrulatis 3-nerviis hirtello-villosulis ; floribus 4-meris ad apicem caulis subglomeratis purpureis.

Plantula 1-2-decimetralis simplicicaulis, caule pennam passerinam crassitie vix superante, basi in lignum nonnihil indurato, radice fibrillosa. Folia sesqui-bicentimetralia, centimetrum et quod excedit lata, petiolo 3-5-millimetrali. Calyx setulis stellato-fasciculatis hirtus, dentibus ovatis tubum longitudine subæquantibus membranaceis, nervo medio apice stellato-setoso instructis. Petala obovata rotundata subinæquilatera, 5 millim. circiter longa, 4 lata. Stamina 8 æqualia subinclusa minuta, antheris brevibus late ovoideis poro apicali fere in duos diviso apertis,

connectivo infra loculos longiuscule producto, filamentis inferne attenuatis. Ovarium apice libero setulis ornatum, quadriloculare. — Species inter hanc sectionem et præcedentem fere media. — Ad muros terraceos urbis *Mangalor*, Indiæ orientalis; Hohenacker, *Cat.*, n° 577.

5. Osbeckia brachystemon †.

O. herbacea erecta; radice sublignosa; caule ramisque subtetragonis setulosis; foliis breviter petiolatis late ovatis obovatisque acutis integerrimis aut vix conspicue ciliato-serrulatis 5-nerviis, pagina utraque hirsuto-villosis; floribus 4-meris ad apices caulis et ramorum ternis-quinis aut numerosioribus glomeratis sessilibus subsessilibusve; glomerulis folio uno et altero fulcratis; antheris brevibus ovoideis 2-porosis, connectivo infra loculos admodum nullo.

Planta 3-4-decimetralis subgracilis. Folia variant magnitudine; inferiora circiter centimetrum longa, superiora et floralia præsertim quæ omnium majora sunt 2 ½-3 centimetra longitudine et 2 latitudine metiuntur, petiolo 2-3-millimetrali. Calycis tubus pilis penicillatis totus obsitus, dentes ovato-acuti tubum subæquantes. Petala latiora quam longiora scilicet 6-7 millim. longa, 8-10 lata, apiculata. Antheræ omnino ovoideæ et subsphæricæ, nonnihil postice 2-porosæ. Stylus apice clavatus. Planta exsiccata lutescit. — In montibus *Nelligherry* Indiæ; Perrottet, *Catal.*, n° 189.

6. Osbeckia truncata Arntt. in Hook., *Comp. bot. mag.*, II, 308. — Walpers, II, p. 136, n° 8, non p. 135, n° 2.

O. suffruticulosa subherbaceave; ramis setoso-hirsutis; foliis breviter petiolatis ovatis vel oblongo-ovatis acutis integerrimis 3-nerviis, pagina utraque sed superiore præsertim setulis submalpighiaceis vestita; floribus 4-meris, ad apices ramorum ut plurimum ternis subsessilibus, foliis duobus quasi involucratis; dentibus calycinis tubum subæquantibus, apice stellato-setosis; antheris lineari-oblongis 1-porosis, connectivo infra loculos vix manifesto.

Folia 2-3 centim. longa, 1-1 ½ lata, petiolo 3-4-millimetrali. Calycis tubus pilis seu tuberculis setoso-penicillatis hirtus. Petala late obovata

setoso-ciliata et subapiculata, 8 millim. circiter longa et lata. Antheræ oblongæ potius quam ovatæ, obtusæ. Filamenta apice subulata. — In insula Zeylonia; Walker. A clariss. Hooker communicata.

7. Osbeckia erythrocephala †.

O. suffruticosa erecta strigilloso-setosa; ramis obscure 4-gonis, internodiis longis; foliis breviter petiolatis ovatis acutis quandoque subacuminatis integerrimis 3-5-nerviis, pagina utraque setis submalpighiaceis (id est basi caudatis) vestitis; floribus 4-meris, ad apices ramorum glomeratis, paucis, folio duplici quasi involucratis; calycinis dentibus triangularibus tubum setis purpurascentibus horridum subæquantibus, apice tuberculo stellatim setoso terminatis; antheris lineari-oblongis non omnino obtusis, 1-porosis, connectivo infra loculos nullo; filamentis apice subulatis.

Planta *O. truncatæ* primo aspectu affinis sed elatior, videtur namque metralis aut submetralis et magis lignosa. Folia 2-3 centim. longa, 1-1 ½ lata, petiolo 2-4-millimetrali. Petala late obovata, 1 centim. longa et lata. — In insula Zeylonia. A clariss. Lindley communicata.

8. Osbeckia parvifolia Arntt. in Hook., *Comp. bot mag.*, II, 308. — Walp., *Repert.*, II, p. 136.

O. subherbacea suffruticulosave microphylla foliosa; ramis basi decumbentibus et radicantibus, mox erectis gracilibus subtetragonis setulosis; foliis breviter petiolatis subsessilibusque late ovatis subobtusis integerrimis, pagina utraque setulosis; floribus 4-meris, ad apices ramorum ternis-quinis, breviter pedicellatis et folio duplici quasi involucratis; calycinis dentibus tubum pilis apice stellatis obsitum subæquantibus, apice stellato-setosis; antheris lineari-oblongis obtusissimis 1-porosis, connectivo infra loculos nullo aut vix manifesto.

Planta habitu *Thymum acinum* quodammodo referens, fortasse 2-3 decim. alta. Folia 5-10 millim. longa et lata, petiolo millimetrali vel paulo longiore. Petala late obovata ciliata apiculata, ferme 8-10 millim. longa et lata. Ramorum internodia inferiora brevia, superiora elongata. — In insula Zeylonia; Walker. A clar. W. Hooker communicata.

9. Osbeckia confertiflora †.

O. suffruticosa erecta ramosa; caulibus ex eadem radice pluribus, ramisque subtetragonis setoso-villosis; foliis breviuscule petiolatis ovatis interdumque sublanceolatis acutis integerrimis 3-5-nerviis, pagina utraque setosis (setis submalpighiaceis); floribus 5-meris ad apices ramulorum confertis capitatisque subnumerosis pedicellatis; calycinis dentibus tubo setis fasciculatis hirto brevioribus, apice stellato-setosis; antheris oblongis 1-porosis obtusis, connectivo infra loculos nullo aut vix conspicuo, filamentis apice subulatis.

Planta inferne sublignosa, superne herbacea, 3-5 decim. alta. Folia 3-5 centim. longa, 1 ½-2 lata, petiolo 4-6-millimetrali. Flores terminales subterminalesque id est in axillis foliorum supremorum orti, glomerulo terminali sæpius 5-15-floro. Calycis dentes persistentes videntur et in fructu maturo revoluti. Petala obovato-rotundata, 1 centim. circiter longa et lata. Capsulæ crassitudine pisi. Planta exsiccata lutescit. — montibus Indiæ *Nelligherry;* Perrottet.

10. Osbeckia australiana †.

O. suffruticosa erecta ramosa; ramis obscure 4-gonis adpresse breviterque strigillosis scabris; foliis breviter petiolatis lineari-oblongis acutis integerrimis 3-nerviis, pagina utraque setuloso-scabris; floribus 5-meris ad apices ramorum paucis approximatis; calycinis dentibus ovatis subobtusis caducis tubum setulis fasciculatis hirtum subæquantibus; antheris lineari-oblongis obtusis 1-porosis, connectivo infra loculos nullo, filamentis apice parum subulatis.

Folia 4-5 centim. longa et sæpe breviora, 4-8 millim. lata, petiolo 3-6-millimetrali. Flores approximati non autem arcte congesti, nonnumquam solitarii, sæpius trini vel quini, breviter pedicellati. Calycis dentes ciliato-setosi nec fasciculo setarum aut tuberculo stellato-setoso terminati. Petala obovato-rotundata ciliata et seta robustiore terminata, circiter 1 centim. longa et lata. Capsulæ calycis tubo vestitæ crassitudine pisi. Species huic sectioni nonnihil heterogena et ad sequentem tendens. — In Nova-Hollandia prope *Port-Esslington;* Armstrong. Planta a clar. W. Hooker communicata.

D. Oxyrhinæ.

Flores 5-meri et 4-meri. Petala obovata sæpe apiculata et seta robustiore terminata. Stamina sæpius æqualia, rarius parum inæqualia; antheris nunc linearibus gradatim attenuatis ideoque subulatis, nunc ovatis et rostro gracili terminatis. semper 1-porosis; connectivo infra loculos nullo aut subnullo, rarius breviter producto.

§ Brachyderæ, *id est calyce post anthesim campanulato vel breviter ceolato (longitudine latitudinem non triplo superante.)*

11. Osbeckia senegambiensis Guill. et Perr., *Flora Seneg.*, 310.

O. herbacea basi suffruticulosa ramosa erecta, ramis subtetragonis setuloso-hirtellis; foliis breviter petiolatis subsessilibusque ovato-ellipticis acutis subintegerrimis aut tenuiter setoso-serrulatis 3-nerviis, pagina utraque setulosis villosulisve; floribus 5-meris subpaniculatis breviter pedicellatis; calycinis dentibus triangularibus tubum tuberculis stellato-setosis hirtum subæquantibus caducis; staminibus nonnihil inæqualibus, antheris lineari-subulatis, connectivo infra loculos breviter sed manifeste producto et bituberculato.

Planta circiter semimetralis. Folia 2-4 centim. longa, 8-12 millim. lata, petiolo millimetrali aut subnullo. Calyx fructifer urceolatus purpurascens. Petala ferme centimetralia ciliata pulchre violacea. — In paludosis Senegambiæ, prope *M' Boro*, secus flumen dictum *Casamance* et in aliis locis; Leprieur.

12. Osbeckia manillana DC., III,

O. fruticosa ramosa; ramis 4-gonis et fere 4-pteris, ad angulos et præsertim ad nodos setosis, junioribus petiolisque densius villosis; foliis petiolatis oblongo-ovatis subacuminatis acutis tenuissime et vix conspicue serrulatis, prætermisso utroque nervulo marginali 5-nerviis, nervis lateralibus utrinque basi coalescentibus, pagina superiore villosis, inferiore pubescentibus; floribus 5-meris ad apices ramulorum terminalibus paucis breviter pedicellatis; calycibus villis stellato-penicillatis

fuscescentibus dense hirsutis; antheris lineari-subulatis, connectivo infra loculos breviter producto et subbilobo.

Folia 7-10 centim. longa et forsan interdum majora, 3-4 lata, petiolo 1-1 ½-centimetrali. Calycis dentes angusti, apice stellato-setosi, denticulis consimilibus duplo longiores sed tubo ipso paulo breviores. Petala obovata ciliata, apiculo longius ciliato-setoso terminata, circiter 2-centimetralia. Stamina subæqualia. — In insula Luzonia prope *Manille;* Perrottet.

13. OSBECKIA CUPULARIS Don, *Mss.* ex *Herb.* Wight. *propr.* — An eadem ac *O. cupularis* Walp., *Repert.*, II, 136?

O. suffrutescens erecta ramosa; ramis obscure 4-gonis adpresse setosis, internodiis elongatis; foliis breviter petiolatis elliptico-ovatis acutis et subobtusis integerrimis 3-nerviis, pagina superiore strigilloso-setosis, inferiore parcius setulosis; floribus 5-meris et 4-meris, ad apicem ramorum ternis-duodenis, cymoso-corymbosis, rarius solitariis; calycinis dentibus tubo pilis stellato-setosis hirto brevioribus, deciduis, apice stellato-setosis; antheris subulatis, connectivo infra loculos brevissimo sed manifesto.

Folia 2-5 centim. longa, 1-1 ½ lata, petiolo 3-5-millimetrali. Calyx fructifer ad faucem nonnihil constrictus ideoque suburceolatus. Petala circiter 1 centim. longa et lata.

An vere sit *O. cupularis* Don *Mss.* nescimus, sed genuinam plantam herbarii Wightiani habemus quæ non convenit descriptioni quando dicuntur antheræ obtusissimæ (vide Walp., *Repert.*, II, p. 136). — In peninsula Indiæ orientalis, loco haud designato.

14. OSBECKIA VIRGATA Don, *Mss.* ex *Herb.* Wight. *propr.* — Walp., *l. c.*, II, 135.

O. fruticulosa ramosa; ramis supremis gracilibus (an semper?) tetragonis setuloso-scabris; foliis breviter petiolatis elliptico-ovatis, apice subobtusis obtusisve, basi subacutis, integerrimis 3-nerviis, pagina utraque sed inferiore parcius setosis; floribus 5-meris ad apices ramorum aggregatis cymosis paucis; dentibus calycinis apice fasciculo setarum terminatis, tubum pilis

apice 2-4-setosis obsitum subæquantibus, caducis; antheris subulatis, connectivo infra loculos subnullo aut vix perspicuo.

Planta ex specimine unico et manco descripta. Folia 2 centim. circiter longa et sæpe breviora, 1 lata, petiolo 1-4-millimetrali. Petala videntur centimetralia. An rami vere sint virgati non apparet ex specimine nostro. — In peninsula Indiæ orientalis, loco haud designato. Ex herb. clar. Wight.

15. OSBECKIA ELLIPTICA †.

O. fruticulosa (aut forte fruticosa); ramis supremis 4-gonis scabrellis; foliis breviter petiolatis late ellipticis interdum ovatis aut obovatis et tunc obtusissimis integerrimis 3-nerviis aut, adjectis nervulis submarginalibus, 5-nerviis, pagina utraque sed superiore præsertim sparse strigillosis (strigis malpighiaceis); floribus 5-meris ad apices ramorum solitariis (an etiam ternis?) majusculis; calycinis dentibus tubo pilis peltatis et stellato-setosis obsito brevioribus, apice nudis; antheris subulatis imo in rostrum fere attenuatis, connectivo infra loculos manifesto.

Folia ut plurimum 2 centim. longa, 1-1 $\frac{1}{2}$ lata, petiolo 2-4-millimetrali. Calyx campanulatus, dentibus pro genere brevibus triangularibus acutis. Pili quinque peltato-stellati dentium intervallo respondentes cæteris non majores ideoque parum conspicui. Petala obovata subretusa ciliata, 2 centim. circiter longa et fere totidem lata. Stamina æqualia vel subæqualia, antheris fere oblongo-ovatis et apice in rostrum attenuatis. Fructus haud visus. Dentes calycini forsan persistentes. — In insula Zeylonia; Walker. A clar. Hooker communicata.

16. OSBECKIA RUBICUNDA Arntt. in Hook., *Bot. mag.*, II, 309. — Walpers., *Repertor.*, II, 136.

O. fruticosa ramosa pro genere macrantha; ramis junioribus subtetragonis pube squamoso-strigillosa exasperatis; foliis breviter petiolatis ovatis ellipticisque obtusis basi cordatis, margine ciliato-strigosis subserrulatisque, 5 nerviis, pagina superiore strigoso-asperis, inferiore setuloso-scabris; floribus 5-meris ad apices ramorum solitariis-ternis, calycinis dentibus

apice stellato-setosis tubum hemisphæricum pilis peltato-stellatis dense obtectum subæquantibus, caducis; antheris subulato-rostratis, connectivo infra loculos brevissimo sed manifesto.

Folia variant magnitudine; adsunt specimina queis 1 ½-2 centim., longa sunt et 1 lata, alia autem queis sunt duplo et fere triplo majora, petiolo 2-6-millimetrali. Calyces pro genere crassi. Petala obovato-rhomboidea acuta ciliata, circiter sesquicentim. longa. —In insula Zeylonia; Walker. A. clar. W. Hooker communicata.

17. Osbeckia buxifolia Arntt. in Hook., *l. c.* — Walp., *l. c.*, II, *l. c.*

O. fruticosa erecta ramosa microphylla foliosa, pro genere macrantha; ramis supremis obtuse 4-gonis ferrugineo-tomentosis; foliis subsessilibus late ovato-ellipticis obtusis marginibus reflexis 3-nerviis coriaceis, pagina superiore primo aspectu glaberrimis lucidis, sub lente striolatis et quasi strigosis, inferiore lanato-tomentosis rubiginosis; floribus 5-meris ad apices ramorum ternis sessilibus; calycinis dentibus apice stellato-setosis, tubum pilis peltato-stellatis dense obtectum subæquantibus, caducis?; antheris subulato-rostratis, connectivo infra loculos brevissimo sed manifesto.

Folia ut plurimum 1 centim. longa et sæpe minora, 7-8 millim. lata, petiolo circiter millimetrali. Calycis tubus pilis setiferis et apice disco setoso-stellato terminatis totus vestitus ideoque sphæricus et incrassatus videtur. Petala obovata apiculata ciliato-setosa, sesquicentimetrum et fortasse amplius longa. — In insula Zeylonia. A clar. W. Hooker communicata.

18. Osbeckia Wightiana Benth. in Wall. — Walp., *l. c.*, II, 135.

O. herbacea vel suffrutescens; caule (forsan ramis?) strigis brevibus consperso exasperato; foliis breviter petiolatis pendulis ovatis acutis serrulatis 5-7-nerviis, pagina utraque setosis; floribus 5-meris ad apicem caulis (et verisimiliter ramorum) arcte glomeratis paucis involucratis sessilibus; calycinis den-

tibus tubo tuberculis setoso-penicillatis hirto multo brevioribus, apice obtusis et tuberculo pariter penicillato terminatis, caducis? ; antheris subulatis et subrostratis, connectivo infra loculos brevissimo sed manifesto.

Folia 4-5 centim. longa, 2 ½-3 lata, petiolo 3-5-millimetrali, deflexa (saltem in specimine exsiccato). Florum glomerulus 3-7-florus, bracteis pluribus late ovatis serrulatis villosis fulcratus. Calyx tuberculis callosis setas fasciculatas gerentibus potius quam pilis penicillatis armatus, dentibus apice pariter calloso-setosis. Petala obovata, sesquicentimetralia? apice nonnihil calloso-setosa. — In peninsula Indiæ orientalis. Ex herb. clar. Wight.

19. OSBECKIA DOLICHOPHYLLA †.

O. fruticosa ramosa macrantha; ramis subtetragonis strigilloso-scabrellis; foliis sessilibus angustis acutissimis integerrimis 3-nerviis utraque pagina setulosis; floribus 5-meris, ad apices ramorum solitariis-ternis, brevissime pedicellatis; calycis dentibus magnis obtusis ciliatis penicillo terminali destitutis, tubo hemisphærico plumoso-hirsutissimo; antheris subulatis, connectivo infra loculos brevissimo et bilobo.

Nihil de statura plantæ novimus, sed, ex analogia, hanc metralem esse suspicamur. Folia rigidula, fere linearia, 10-13 centim. longa, 1 aut paulo amplius lata, quandoque breviora et angustiora. Flores ad apices ramulorum sæpius bini, haud infrequenter tamen solitarii. terni aut quaterni, ante explicationem bracteolis minutis caducis fulcrati. Calycis tubus campanulato-hemisphæricus, squamis membranaceis imbricatis longe setoso-ciliatis obsitus, quarum 5 cæteris vix majores et parum conspicuæ cum dentibus alternant; dentes oblongi obtusi molles, marginibus setoso-ciliatis exceptis glabri, caduci, tubo ipso longiores. Petala late obovata, nonnihil inæquilatera, retusa, ciliata et apiculo longius setoso donata, 2 centim. et quod excedit longa, paulo minus lata. Ovarium basi adhærens, apice setis mollibus vestitum, 5-loculare. Capsula subglobosa, jam ante maturitatem tubum calycinum longitudine excedens. — In insula *Célèbes*, prope *Maros;* Zollinger, *Cat.*, n° 3302.

20. OSBECKIA KOTI-GUEDA †.

O. fruticosa elata; ramis strigilloso scabris subasperisque; foliis breviter petiolatis late elliptico-ovatis obtusis et subacutis basi

nonnumquam cordatis integerrimis 5-nerviis, utraque pagina setoso-villosis; floribus 5-meris paniculatis; calycis dentibus obtusis apice setoso-penicillatis, tubo subhemisphærico pilis crassis brevibus stellato-penicillatis hirto brevioribus, caducis; antheris subulatis, connectivo infra loculos brevissimo sed manifesto.

Frutex magnus et fere arbuscula 3-metralis. Folia 4-5 centim. longa, 3-4 lata, petiolo 3-6-millimetrali. Flores majusculi, in ramis paniculæ nunc laterales subsolitarii, nunc terminales glomerati, breviter pedicellati, bracteolis pluribus fulcrati. Calyx subhemisphæricus, dentibus brevibus, denticulis a cæteris pilis stellatis non distinctis. Petala obovata ciliata apice fasciculo setarum terminata, sesquicentimetrum et amplius longa et lata. Capsulæ calycis tubo vestitæ piso paulo crassiores. — In montibus *Nelli-Gherry* Indiæ, ubi vulgo dicitur *Koti-Gueda*, Perrottet; necnon in insula Zeylonia, Walker.

21. Osbeckia Leschenaultiana DC., *l. c.*, 142. — Wight, *Icon. plant*, tab. 996. — *Spicil*, *Nilgh.*, I, tab. 68.

O. fruticosa ramosa foliosa macrantha; ramis hirsutis, junioribus 4-gonis; foliis brevissime petiolatis subsessilibusque oblongo-ovatis acutis basi interdum cordatis integerrimis 3-5-nerviis, pagina superiore setis brevibus adpressis submalpighiaceis vestita scabra, inferiore mollius villosa; floribus 5-meris ad apices ramorum arcte capitatis sessilibus; calycibus dense hirsuto-ferrugineis purpurascentibusque, dentibus apice setarum fasciculo sueto destitutis subacutis tubum æquantibus caducis; antheris subulato-rostratis, connectivo infra loculos brevissimo sed manifesto.

Planta inter omnes ejusdem generis decora, videtur semimetralis vel metralis. Folia 2-4 centim. longa, 1-1 $\frac{1}{2}$ lata, petiolo 1-3-millimetrali. Calyx pilis apice setoso-penicillatis purpurascentibus et quorum 5 cæteris majores cum dentibus alternant ornatus. Petala late obovata ciliata subapiculata, fere 2 centim. longa et lata, intense violacea. Antheræ luteæ. Ovarium basi solummodo adhærens. — In montibus *Nelli-Gherry* Indiæ orientalis, Perrottet; et in insula Zeylonia, Leschenault.

22. Osbeckia debilis †.

O. herbacea annua erecta gracilis subsimplex; caule 4-gono ad

angulos adpresse strigilloso ; foliis petiolatis lanceolatis acutis setoso-serrulatis 3-nerviis, pagina superiore setis malpighiaceis sparsa, inferiore in nervis setosa ; floribus 4-meris, ad apicem caulis et ramorum, quum extant, glomeratis paucis ; calycis dentibus triangulari-acutis apice fasciculo setarum terminatis, tubo pilis apice stellato-setosis hispido subbrevioribus, caducis ? ; antheris linearibus longe rostratis, connectivo infra loculos vix manifesto aut subnullo.

Planta, ex speciminibus nostris, 2-4-decimetralis. Folia 2-3 centim. longa, non omnino 1 lata, petiolo 4-6-millimetrali. Calyx post anthesim urceolatus. Petala obovata, videntur centimetralia.

Species dubia a clar. Don in herbario nostro uti *O. Zeylanica* Lin. indicata est, sed non recte convenit descriptioni Candolleanæ. Certe non eadem est ac illa quæ in *Bot. reg.* VII, n° 565, describitur et mutica dicitur (*beakless*, ut ait auctor), quamvis nonnullam similitudinem habeat cum planta nostra ex forma foliorum et flore 4-mero. — Patria ignota. Ex herb. Guillemin.

23. Osbeckia pusilla Zollinger, *Herb. Javan.*, n° 2225.

O. herbacea pusilla oligophylla oligantha micrantha ; caule subsimplici gracili erecto 4-gono strigilloso ; foliis breviter petiolatis lanceolato-ovatis acutis integerrimis 3-nerviis setuloso-hirtellis ; floribus 4-meris ad apicem caulis glomeratis terminalibus ; antheris ovoideo oblongis, graciliter rostratis, connectivo infra loculos nullo.

Plantula, si ex speciminibus nostris de tota specie judicandum est, vix decimetralis, caule pennam passerinam crassitudine subæquante. Folia radicalia minuta, caulina 1-2 centim. longa, 5-7 millim. lata, petiolo 1-3-millimetrali. Flores ad apicem caulis perpauci (1-5), foliis supremis quasi involucrati. Calycis dentes triangulari-acuti, ciliati, tubum pilorum penicillatorum corona duplici cinctum æquantes, caduci. Calycis tubus fructifer urceolatus. Petala non suppetebant. Stamina æqualia, illis præcedentis speciei et sequentis simillima. Ovarium subglobosum basi adhærens, apice setis divergentibus coronatum, 4-loculare. — In insula *Java*; Zollinger.

24. OSBECKIA SERIALIS. — *O. Zeylanica Herb. Wight. propr.*, n° 1143.

O. herbacea erecta ramosa; caule ramisque 4-gonis setulosis; foliis petiolatis lanceolatis acutis vix perspicue serrulato-ciliatis integerrimisve 3-nerviis setulosis; floribus 4-meris ad apices caulis et ramorum approximatis pedicellatis; dentibus calycis linearibus apice stellato-setosis deciduis, tubo suburceolato pilis seu tuberculis stellato-setosis in series 8 longitudinales dispositis ornato; antheris ovato-oblongis longiuscule et acute rostratis, connectivo infra loculos brevissimo sed manifesto.

Planta circiter decimetralis (ex speciminibus duobus), annua, *Galeopsim ochroleucam* habitu fere referens. Folia 2 centim. circiter longa, 5-7 millim. lata, petiolo semicentimetrali. Flores ad apices ramorum subcorymbosi pauci. Calycis tubus 8-costatus, costis pilos stellatos gerentibus; dentes tubo breviores. Petala late obovata, 5 millim. longa. Planta non confundenda cum *O. zeylanica* Linn. et DC. — In India orientali. Ex herb. clar. Wight.

25. OSBECKIA POLYCEPHALA †.

O. frutescens erecta ramosa; ramis junioribus 4-gonis ad angulos et nodos præsertim strigillosis, vetustioribus glabratis; foliis breviter petiolatis elliptico-oblongis sublanceolatisque obtusis rarius subacutis integerrimis 3-nerviis, pagina superiore glabris aut parce strigosis, inferiore ad nervos setulosis; floribus 5-meris, ad apices ramor cor y n boso-approximatis; calycinis dentibus triangulari-acutis ciliatis, apice seta duplici vel triplici terminatis, cum pilis 5 penicillatis alternantibus et tubo cæterum glaberrimo subbrevioribus, caducis; antheris lineari-subulatis subrostratisque, connectivo infra loculos vix ullo.

Folia 2 ½-3 centim. longa, 5-8 millim. lata, petiolo 2-4-millimetrali. Calyx campanulatus, præter dentes ciliatos apice setigeros et pilos apice setoso-penicillatos cum dentibus alternantes, glaberrimus. Petala obovata ciliata circiter centimetralia. Variat denticulis calycinis nunc omnino penicillatis nunc 1-3-setosis imo et subnullis. — In insula Zeylonia; Walker. A clar. Hooker communicata.

26. Osbeckia glauca Wall. ex Benth.

O. herbacea radice tamen sublignosa erecta parum ramosa : caule 4-gono strigilloso ; foliis sessilibus subsessilibusve rigidulis ovatis acutis integerrimis 3-5-nerviis, pagina utraque adpressissime strigilloso-setosis ; floribus 4-meris ad apices caulis et ramorum solitariis-ternis, calycis dentibus triangulari-acutis rigidis caducis ciliatis, apice fasciculo setarum brevium parum conspicuo terminatis, cum denticulis 5 setoso-penicillatis alternantibus et tubum glaberrimum æquantibus; antheris subulato-rostratis, connectivo infra loculos vix manifesto.

Planta ex unico specimine 4-decimetralis, habitu gentianoideo. Folia 1 ½ centim. circiter longa, vix 1 lata, petiolo nullo vel millimetrali. Flores foliis supremis duobus aut pluribus quasi involucrati. Petala obovata, visa tantum in alabastro. Herba exsiccata lutescit. — In monte *Sylhet* Indiæ orientalis. A clar. Bentham communicata.

27. Osbeckia capitata Benth.

O. herbacea erecta simplex aut parum ramosa; caule 4-gono strigilloso-scabro ; foliis sessilibus subsessilibusque rigidulis ovatis subacutis integerrimis 3-5-nerviis, utraque pagina adpresse strigilloso-setosis ; floribus 4-meris ad apices caulis et ramorum solitariis-ternis ; calycinis dentibus ovato-acutis villoso-setosis ciliatis, penicillo apicali destitutis sed setis aliquot brevibus donatis, tubo squamis setoso-penicillatis armato sublongioribus ; antheris oblongo-ovatis longe et graciliter rostratis, connectivo infra loculos nullo vel saltem haud conspicuo.

Planta *O. glaucæ* primo intuitu fere simillima et facile cum ea confundenda. Differt habitu rigidiore et præsertim calycis tubo armato nec glabro necnon antheris abruptius rostratis. Caules circiter 2-3-decimetrales. Folia 1 ½-2 ½ centim. longa, 1-1 ½ lata et sæpe angustiora. Flores foliis supremis quasi involucrati. Petala circiter centimetrum aut paulo amplius longa, late obovata et inæquilatera. — In monte *Sylhet* Indiæ, Wallich, n° 4072, et in regno Assamitico, ex clar. Bentham.

28. Osbeckia Nepaulensis Hook. ex DC., III, p. 142.

O. suffrutescens erecta ramosa, pro genere macrophylla et ma-

crantha; caule ramisque 4-gonis interdumque subtetrapteris strigoso-asperatis; foliis subsessilibus sessilibusque oblongis subacutis basi cordatis integerrimis 5-7-nerviis, pagina superiore adpresse setosa, inferiore mollius breviusque villosula; floribus 5-meris ad apices caulis et ramorum corymbosis paniculatisque; calycinis dentibus ovato-acutis ciliatis caducis tubum squamis crassis apice penicillato-setosis armatum æquantibus; antheris ovato-oblongis in rostrum longiusculum attenuatis, connectivo infra loculos brevissimo sed manifesto.

Planta basi in lignum fere indurata, superne herbacea, forsitan metralis et elatior. Folia 6-10 centim. longa, 1 ½-3 lata, petiolo 1-3-millimetrali aut subnullo. Flores ante explicationem bracteis ovatis caducis fulcrati. Calycis squamæ setigeræ crassæ quarum 5 cæteris paulo crassiores cum dentibus calycinis alternant. Calycis dentes extus setosi, apice densius setoso-ciliati non autem penicillo donati. Petala obovata, 2 centim. circiter longa et lata, apiculo setiformi terminata. — In Nepaulia, Wallich; et in regno Assamitico. A clar. Wallich, Bentham et Hooker communicata.

29. Osbeckia angustifolia Don. — DC., *l. c.* — Wallich., *Pl. as. rar.*, III, tab. 251.

O. frutescens ramosa erecta; ramis acute 4-gonis setoso-scabrellis; foliis brevissime petiolatis subsessilibusque lineari-oblongis quandoque omnino linearibus acutis integerrimis 3-nerviis, pagina utraque setuloso-scabrellis; floribus 4-meris ad apices ramorum pedunculiformium dense capitatis subsessilibus; calycis dentibus ovato-acutis ciliatis nec apice penicillatis, cum denticulis totidem squamæformibus apice setosis alternantibus, tubum cæterum glaberrimum subæquantibus, caducis; antheris ovatis longe graciliterque rostratis, connectivo infra loculos brevissimo sed manifesto.

Folia 3-6 centim. longa, 6-8 millim. lata, petiolo millimetrali. Florum glomeruli 5-15-flori, foliis 4 aut pluribus fulcrati, ad apicem ramorum aphyllorum ideoque pedunculiformium terminales. Petala haud visa. — In Nepaulia, Wallich; et in regione vulgo *Kanaor*, Jacquemont. Habemus quoque ex horto celeberrimi ducis *de Devonshire*, a clar. W. Hooker communicatam.

30. Osbeckia japonica †.—*O. chinensis* Blum.

O. suffrutescens erecta pauci-ramosa; caule caulibusve subgracilibus tetraedris strigillosis; foliis breviter petiolatis lineari-oblongis acutis basi rotundatis minutissime serrulatis aut subintegerrimis 5-nerviis, pagina utraque setuloso-villosulis; floribus 4-meris ad apices caulium ramulorumque glomeratis; tubo calycino squamis 4 cum dentibus alternantibus infra limbum instructo, cæterum glabro, dentibus triangulari-acutis ciliatis nec apice penicillatis, caducis; antheris ovoideis graciliter rostratis, connectivo infra loculos nullo aut non perspicuo.

Herba inferne lignosa subsemimetralis, caule subsimplici. Folia 4-6 centim. longa, 1 lata, petiolo 2-4-millimetrali. Cætera ut in *O. angustifolia* a qua vix distinguenda videtur nisi caule simpliciore, foliis 5-nervibus et antherarum connectivo infra loculos non aut vix perspicuo. Remotior est ab *O. chinensi* ut patet ex verbis et icone clar. Hooker in *Bot. mag.* 4026. Nec minus affinis est *O. lineari*, adeo ut has tres formas unius et ejusdem speciei meras esse varietates nequaquam miraremur.—In Japonia ubi fortasse colitur. Planta a clarissimo Blumio communicata.

31. Osbeckia linearis Blum. *Flora.*

O. *Osbeckiæ angustifoliæ* simillima; ramis 4-gonis strigoso-scabris; foliis lineari-oblongis omninove linearibus; floribus ad apices ramorum pedunculiformium arcte capitatis; tubo calycino in media longitudine squamis 3-8 obtusis setiferis cincto, 4 aliis crassioribus cum dentibus ipsis alternantibus.

Huic speciei adsunt fere omnes characteres *O. angustifoliæ* cui adjungeretur, ni si obstaret peculiaris forma tubi calycini; idem namque habitus, eadem partium statura, adeo ut, quod de *O. angustifolia*, de hac pariter diceretur. *O. angustifoliæ* tamen hanc non coadunandam credidimus tam patriæ diversæ quam squamarum setigerarum causa quæ calycis tubum complete vel incomplete circumdant. Specimina cæterum habemus quorum tubus calycinus unica squama setigera, præter quatuor cum dentibus alternantes, instructus est; imo specimina quædam moluccana et javanensia nobis e musæo Lugduno-Batavo communicata calyces nulla nota ab *O. angustifoliæ* calycibus differentes exhibent, ideoque fortassis huic

speciei coadunanda sunt. — In insula Luzonia prope *Manille;* Gaudichaud, Cuming, Baume, Blume; in insula *Java*, Zollinger; et prope urbem *Samboangan* insulæ *Mindanao*, Le Guillou, Hombron.

32. OSBECKIA ZEYLANICA Linn. fil. *Suppl.*, 215, ex DC. — DC., *l. c.*, 141. — An *Rhexia capitata* Bonpl., *Mss.?*

O. herbacea?; ramis 4-gonis ad angulos præsertim strigosis; foliis sessilibus patentibus ovato-oblongis subacutis acutisve integerrimis 3-5-nerviis, pagina utraque sed superiore præsertim setulosis; floribus 4-meris ad apices ramorum ut plurimum ternis sessilibus; calycis dentibus ovato-acutis setoso-ciliatis caducis tubum inferne squamis setigeris armatum æquantibus; antheris brevibus ovatis subabrupte rostratis, connectivo infra loculos nullo.

Folia 3-5 centim. longa, 1-1 ½ lata. Glomeruli foliis 2 vel 4 quasi involucrati. Calycis tubus a basi usque ad medium squamis stellato-setosis ornatus et infra limbum quatuor quam cæteri vix crassioribus et cum dentibus alternis instructus. Petala obovata, centimetrum circiter longa et lata.

Hæc species uti genuina *O. zeylanica* DC. habenda est, siquidem ipse huic propria manu in herbario nostro nomen illud addixit. — Ex insula *Java* specimen unicum habemus; Leschenault.

33. OSBECKIA PERROTTETII DC., *inéd.*

O. herbacea erecta ramosa; corolla monopetala staminigera; ramis 4-gonis strigillosis; foliis breviter petiolatis oblongis subobtusis integerrimis 3-5-nerviis villosulis; floribus 4 meris ad apices ramorum plerumque ternis sessilibus; calycis dentibus ovato-acutis ciliatis tubum inferne squamis setosis ornatum subæquantibus caducis; antheris brevibus ovatis subabrupte rostratis, connectivo infra loculos nullo.

Planta ex unico specimine 4-5-decimetralis et inter Melastomaceas omnes nobis cognitas flore gamopetalo insignis. Folia 4-6 centim. longa, 1-1 ½ lata, petiolo 2-4-millimetrali. Florum capituli foliis 2 vel 4 quam cætera obtusioribus quasi involucrati, bracteolis minoribus quoque fulcrati. Calycis tubus a basi ad medium squamis crassis paucisque stellato-setosis donatus, superne præter squamas 4 cum dentibus alternas glaber. Corolla obtuse 4-loba, circiter sesquicentimetrum longa.

Planta affinis *O. zeylanicæ* cujus inflorescentiam et totum habitum refert. — In insula Luzonia prope *Manille*; Perrottet.

34. OSBECKIA CRINITA Benth.

O. suffruticosa? ramis breviter strigosis asperis obscure 4-gonis; foliis petiolatis ovatis acuminatis acutis integerrimis 5-nerviis, pagina superiore strigilloso-scabra, inferiore ad nervos setulosa; floribus 4-meris ad apices ramulorum paniculatim dispositorum lateralibus terminalibusque subsessilibus; calycinis dentibus linearibus angustis, apice setoso-penicillatis, tubo oblongo pilis apice stellato-setosis ornato et quasi crinito brevioribus, caducis; antheris subulato-rostratis, connectivo infra loculos brevissimo sed manifesto.

Folia 6-8 centim. longa, 2 ½-3 lata et forsan etiam majora (suprema fere sola suppetebant), petiolo 1-1 ½ imo, sed rarius, et 2 centim. longo Calycis atropurpurei tubus ante explicationem floris oblongus subcylindraceus, post anthesim urceolatus. Petala obovata, circiter centimetralia. Antheræ longiuscule rostratæ. Habitu et characteribus accedit ad species sectionis sequentis. — In regno Assamitico necnon in monte *Sylhet* Indiæ orientalis. A. clar. Hooker communicata.

§§ LONGICOLLES. *4-meræ macranthæ; calyce oblongo, post anthesim urceolato longicolli (longitudine latitudinis diametrum triplo quadruplove superante); antheræ longissime rostratæ.*

35. OSBECKIA STELLATA Don. *Bot. reg.*, t. 674. — DC., *l. c.*, 142

O. suffrutescens; ramis subtetragonis subcompressisque sulcatis, ad angulos strigilloso-hispidulis; foliis petiolatis lanceolatis ovatove-lanceolatis acuminatis acutis integerrimis 3-5 nerviis, pagina superiore strigilloso-scabrellis inferiore ad nervos setulosis; floribus 4-meris paniculatis; calycibus stellato-hispidissimis, dentibus apice setoso-stellatis tubo subbrevioribus et cum aristis 4 gracilibus nodosis setoso-hispidis et apice stellatis alternantibus, caducis; antheris sigmoideis, connectivo infra loculos nullo vel subnullo.

Suffrutex semimetralis et elatior. Folia majora decimetrum circiter

longa, 2-3 centim. lata, petiolo centimetrali. Flores in ramis paniculæ laterales terminalesque, brevissime pedicellati et subsessiles. Calyx ante explicationem floris oblongus, pilis apice stellato-setosis totus hispidus, post anthesim oblongo-urceolatus et in collo angustato glabratus; dentibus triangulari-acutis, quam setæ cum iis alternantes paulo longioribus. Petala obovata setoso-ciliata, 2 ½ centim. longa, 2 circiter lata. Antheræ oblongæ subulatæ, rostro lineari incurvo. Ovarium oblongum, fere lageniforme.

Quamvis icon. in *Bot. reg.* valde mediocris sit, species tamen nostra recognoscenda est. In opere citato e Nepaulia oriunda dicitur; specimina autem nostra e regno Assamitico relata fuere et a clar. W. Hooker communicata. — An huic consocianda sit *O. longicollis* Benth. cujus specimen mancum habemus, nobis incertum est; saltem proxima videtur.

36. OSBECKIA PULCHELLA Benth.

O. suffrutescens; ramis subtetragonis subcompressisque glabratis vel ad nodos et angulos parce strigosis; foliis petiolatis ovato-lanceolatis acuminatis acutis integerrimis 5-nerviis, pagina superiore, exceptis marginibus ciliato-setulosis, glaberrima, inferiore ad nervos parce setulosa; floribus 4-meris paniculatis; calycibus setis aliquot simplicibus vel geminatis hispidulis, dentibus ciliatis apice setosis tubo subbrevioribus et cum aristis totidem gracilibus enodibus glabris et apice seta una et altera terminatis alternantibus, caducis; antheris oblongis rostro gracillimo longo incurvo, connectivo infra loculos brevissimo sed manifesto.

Planta præcedenti toto habitu affinis sed distincta. Flores in ramis paniculæ laterales terminalesque subsessiles. Calyx ut in præcedente specie sed parcissime setoso-echinulatus, post anthesim fere omnino glabratus. Petala obovata ciliata, 2 centim. circiter longa (et fors anamplius). Ovarium ut in *O. stellata* sed apice glabrum vel subglabrum. — In India orientali, *Khasia*, Griffith. A. clar. W. Hooker communicata.

37. OSBECKIA SPECIOSA Hort.

O. suffrutescens erecta subsimplex (an semper?); caule subtetragono scabro; foliis petiolatis ovato-lanceolatis subacuminatis acutis integerrimis vel subserrulato-ciliatis 5-nerviis, pagina

superiore brevissime adpresseque setulosis, inferiore præter nervos sparse setulosos glabris ; floribus 4-meris terminalibus solitariis-ternis (an semper?), basi bracteolis sessilibus ovatis fulcratis; calycibus stellato-hispidissimis, dentibus aristisque apice setoso-stellatis et rubris; antheris luteis oblongis, rostro longo gracillimo incurvo, connectivo infra loculos brevissimo sed manifesto.

Planta circiter semimetralis, inferne sublignosa, superne herbacea. Folia ut in præcedentibus decimetralia, 2-3 centim. lata, petiolo ferme centimetrali. Calyx pilis apice stellatis totus obsitus oblongo-campanulatus, post anthesim haud visus sed verisimiliter tunc urceolatus, dentibus subangustis, tubo paulo brevioribus et quam aristæ iis interjectæ longioribus. Petala late obovata ciliata, verisimiliter in flore explicato 2 ½ centim. longa et lata. — In India orientali, *Mossouri ;* Jacquemont. Colitur in horto parisiensi.

E. Amphibolium.

Calycis tubus strigis simplicibus asperatus; dentes apice setosi sed penicillo stellato destituti; denticuli subulati breves rigidi, ut et dentes ipsi caduci, nec apice setoso-stellati. Petala obovato-cordata. Stamina æqualia, antheris lineari-subulatis apice rostello late et oblique poroso donatis, connectivo infra loculos brevissimo. — Sectio huic generi fere heterogena.

38. Osbeckia aspera Blum. *Flora.* — *Melastoma asperum* DC. non Blume. — *Asterostoma asperum* Bl., *Mus. bot. Lugd. Bat.*, 50.

O. fruticosa ramosa; ramis subteretibus compressiusculisque scabris; foliis petiolatis ovato-oblongis acutis integerrimis præter nervulos submarginales 3-nerviis utraque pagina breviter et adpresse setulosis; floribus 5-meris paniculatis ; calycibus strigosis, dentibus tubo brevioribus caducis, denticulis acutis rigidis; antheris lineari-subulatis, connectivo infra loculos brevissimo sed manifesto.

Folia 4-6 centim. longa, 1-1 ½ rarius 2 lata, petiolo 5-8-millimetrali. Flores in ramis paniculæ laterales terminalesque, breviter pedicellati,

bracteolis minutis caducis fulcrati. Calycis tubus subhemisphæricus, strigis brevibus simplicibus aut raro geminatis asperatus. Petala late obovata retusa, 2 centim. circiter longa et lata. Capsulæ calycis tubo persistente vestitæ, crassitudinem pisi attingentes. — In insula Zeylonia; Leschenault. Habemus etiam ex herb. Kœnig.

Species addendæ pleræque autem incertissimæ :

39. O. SIMSII DC. — Hook., in *Bot. mag.*, tab. 2235, cujus icon pessima est.

40. O. CHINENSIS DC. — Hook., in *Bot. mag.*, 4026.

41. O.? OCTANDRA DC.

42. O. CHULENSIS DC.

43. O. ROSTRATA DC.

44. O.?? GRANDIFLORA DC.

45. O.?? ROTUNDIFOLIA DC.

46. O.?? MULTIFLORA DC.

47. O.?? TUBULOSA DC.

48. O.?? ANTENNINA DC.

49. O.?? DECANDRA DC.

50. O. TERNIFOLIA Wallich., *Plant. as. rar.*, III, tab. 240. Ad sectionem longicollium pertinet.

51. O. KLEINII Arntt., *l. c.* — Walp., *Repert.*, II, 136.

52. O. WALKERI Arntt., *l. c.* — Walp., *l. c.*

53. O. GARDNERIANA Wigt, *Icon. plant.*, tab. 997, et *spicil. Nilg.*, I, p. 57, tab. 69.

54. O. OVATA Zollinger, *Flora*, 1847, p. 665.

Species exclusæ :

O. urceolaris DC. — LASIANDRA? . . . .

O. jucunda DC. — JUCUNDA MARTIANA Cham.

O. pityrophylla DC. — PYRAMIA PITYROPHYLLA Cham.

O. oleæfolia DC. — ANCISTRODESMUS OLEÆFOLIUS Ndn.

O. microphylla DC. — CHÆTOLEPIS MICROPHYLLA Miq.

O. parnassifolia DC. — LASIANDRA CARDINALIS?

O. striphnocalyx DC. . . . .

O. alpestris DC. — ARTHROSTEMMA ALPESTRE Ndn.

O. repanda DC. — TETRAMERIS REPANDA Ndn.

O. glomerata DC. — ARTHROSTEMMA GLOMERATUM Ndn.

O. sipaneoides DC. — ARTHROSTEMMA. . . . . . .

O. bracteolaris DC. — ARTHROSTEMMA ? . . . . . .

O. pumila DC. — ARTHROSTEMMA PUMILUM Ndn.

O. repens DC. — MELASTOMA REPENS Ndn.

O. decumbens DC. — MELASTOMASTRUM ?? . . . . . .

O. maritima Aug. de St-Hil., *Voy. Diam.*, II, p. 417. — ARTHROSTEMMA . . . .

O. canescens Grah. in Hook., *Bot. mag.*, t. 3790. — LASIANDRA. . . . .

O. incana Mey. Hochst. — ARGYRELLA INCANA Ndn.

O. phœotricha Mey. Hochst. — ARGYRELLA ?

O. Royeni Blum. — MELASTOMA ROYENII Blum.

EXTRAIT DES **ANNALES DES SCIENCES NATURELLES**, TOME XIV,
CAHIER n° 2.

MELASTOMACEARUM

QUÆ IN MUSÆO PARISIENSI CONTINENTUR

MONOGRAPHICÆ DESCRIPTIONIS

ET SECUNDUM AFFINITATES DISTRIBUTIONIS

TENTAMEN.

(SEQUENTIA.)

Auctore **CAROLO NAUDIN**.

XXXIX. *OSBECKIASTRUM.* Tom. XIII, tab. 7.

Flos 5-merus. Calycis campanulati dentes oblongi obtusi, apice setarum fasciculo stellato terminati, ciliati, tubo paulo breviores, caduci; tubus tuberculis setoso-stellatis quorum 5 cæteris paulo productiores cum dentibus alternant totus ornatus. Petala obovata, apice rotundata, basi in unguem nonnihil attenuata. Stamina 10, alternatim valde inæqualia; antheris lineari-subulatis 1-porosis; 5 majorum subfalcatis et apice subrostellatis, connectivo infra loculos longissime producto (loculorum fere dupla longitudine) filiformi arcuato et antice ultra filamenti insertionem in calcaria duo uncinata et divergentia porrecto; staminum 5 minorum antheris subrecurvis minus conspicue rostellatis, connectivo parum producto (loculis circiter triplo breviore), et ad insertionem filamenti antice breviter bicalcarato postice tuberculato. Ovarium calyci septis 5 adhærens apice setosum

5-loculare. Stylus longus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula calycis tubo vestita 5-valvis. Semina cochleata.

Herba senegambiensis, erecta ramosa hispida ; radice perennante et sublignosa ; caulibus paucifoliosis ; foliis (saltem caulinis) breviter petiolatis oblongo-ellipticis subacutis integerrimis 3-nerviis, pagina superiore malpighiaceo strigillosis, inferiore hirto-setulosis ; floribus majusculis bracteatis , ad apices ramulorum pedunculiformium approximatis interdumque alaribus axillaribusve solitariis, sessilibus aut breviter pedicellatis, purpureis.

Species Osbeckiis pluribus et calycis structura et toto habitu certe proxima, nec eis tamen apte coadunanda propter staminum structuram quæ Melastomatis stamina quodammodo referunt.

Osbeckiastrum Heudelotii. †

Caulis caulesve circiter semimetrales, hinc et inde alternatim subcomplanati, internodiis longis. Folia caulina 3-5 centim. longa, 1 circiter lata et fortasse amplius, petiolo 3-6-millimetrali interdumque subnullo. Bracteæ florum basim fulcrantes late ovatæ obtusæ sessiles, calyce multo breviores, deciduæ. Petala 2 ½ centim. longa. Stamina stylusque exserta. — In agris fertilibus regionis vulgo *Fouta-Dhiallon* Senegambiæ ; Heudelot.

XL. *NEROPHILA*. Tom. XIII, tab. 8.

Flos 4-merus. Calycis dentes triangulari-acuti , tubum subæquantes, persistentes. Petala obovata apiculata. Stamina 8 æqualia, antheris oblongis 1-porosis, connectivo infra loculos non producto sed postice ad insertionem filamenti brevissime calcarato vel tuberculato, filamentis subulatis. Ovarium liberum globosum apice setis coronatum 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula calyce vestita 4-valvis. Semina oblonga cochleato-reniformia.

Herba senegambiensis, paludosa annua erecta debilis ; ramis filiformibus setulosis remote foliosis ; foliis sessilibus subsessilibusve ovatis acutis obsolete serratis 3-nerviis sparse setosis ; floribus ad

apices ramorum sæpius ternis rarius solitariis, foliorum supremorum pari uno et altero quasi involucratis, flavis. Planta fere habitu Exaci filiformis, *exsiccata tota lutescit.*

Genus Osbeckiæ affine sed propter habitum, antherarum fabricam et patriam ab ea separandum.

1. Nerophila gentianoides. †

Planta 2-3 decim. alta. Folia 5-10 millim. longa, 4-8 lata. Calycis dentes ciliato-setosi, cum setis duplicibus pilos stellatos *Osbeckiæ* in mentem revocantibus alternantes; Petala 5-6 millim. longa et lata. — In paludosis secus flumen *Senegal* legit infelicissimus Heudelot.

XLI. *TETRAMERIS.* Tom. XIV, tab. 4.

Arthrostemmatis, Microliciæ, Marcetiæ et Chætogastræ spec. DC. *Prod.*, III. — Mart., *Nov. gen. et spec.*, III.

Flos 4-merus. Calycis dentes persistentes, tubus campanulatus. Petala obovata. Stamina 8, alternatim majora et minora, interdum subæqualia ; omnium antheris subulatis aut lineari-subulatis, connectivo infra loculos magis minusve producto et ad insertionem filamenti varie terminato. Ovarium liberum vel basi septis 8 adhærens, 4-loculare, rarissime 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula 4 rarissime 3-valvis. Semina cochleata.

Herbæ suffrutices fruticesque austro-americani, ut plurimum brasilienses ; habitu vario ; floribus purpureis aut violaceis.

Tetrameris non tam genus est quam specierum heteromorpharum aggregatio, quæ his solis characteribus scilicet flore 4-mero , calyce pilis stellatis penicillatisve destituto, staminibus dolichantheris et connectivo infra loculos producto sibi invicem conveniunt. Quædam tamen inter se affiniores sunt, quæ si solæ remanerent, in genus haud innaturale coadunari possent. Eæ sunt *T. violacea*, *T. rotundifolia*, *T. excoriata*, *T. viscidula*, *T. stenodon*, *T. sertularia* quæ inter genera tetramera pentameram Uantheram repræsentare videntur. Reliquæ ad alia genera ten-

dunt imo et propriorum generum typos fieri poscerent si ad habitum et notas minoris momenti plus æquo attenderetur. Has omnes in unam Tetrameridem etsi artificialem contrahere maluimus quam nova genera creare aut, generum naturalium corruptis characteribus, in locum illis improprium species reluctantes trudere.

A. SPURIÆ.

a. Ovarium 3-loculare.

1. TETRAMERIS TRIVALVIS. † Fig. 1.

T. suffruticosa erecta, tota pilis rigidis glanduliferis hirta ; foliis petiolatis orbiculari-ovatis apiculatis crenulatis 7-9-nerviis, subtus præsertim reticulato-venosis ; panicula terminali, subaphylla ; floribus in ramis paniculæ terminalibus alaribusque, pedicellatis.

Folia 2 ½-3 centim. longa, fere tantumdem lata, utrinque scabra, petiolo semicentimetrali, pilis rufescentibus hirto. Petala ovato-elliptica, obtusa, 8 millim. circiter longa. Antheræ vix arcuatæ, connectivo postice ad insertionem filamenti incrassato, antice bituberculato. Stylus sigmoideus. Planta distinctissima, nulli hujus generis affinis. — In Guyana anglica ; Schomburgk.

b. Ovarium 4-loculare.

2. TETRAMERIS MARTIANA. — *Arthrostemma Martiusianum* DC., *l. c.*, p. 137.

T. frutescens erecta ramosa villoso-hirsuta floribunda ; ramis subtetragonis ; foliis petiolatis ovato-lanceolatis acuminatis serrulatis 5-nerviis, pagina superiore strigilloso-setosis, inferiore mollius villosis et inter nervos foveolatis ; paniculis terminalibus magnis ; floribus violaceis.

Planta circiter metralis, inferne frutescens, superne subherbacea. Folia 5-8 centim. longa, 1 ½-3 lata, petiolo 5-10-millimetrali. Calycis dentes subangusti acuti ciliolati, tubo nonnihil urceolato setisque basi incrassatis simplicibus hispidulo breviores, quam in Arthrostemmatibus, qui-

bus planta nostra primo intuitu affinis est, molliores. Petala obovata, 7-8 millim. longa. Stamina inæqualia conformia, connectivo ad insertionem filamenti bitesticulato.

Tetrameridis Martianæ species haud omnino immerito Arthrostemmati adjuncta fuerat a Candollæo cui satis erat speciem 4-meram et dolichandram esse ut eam huic generi adscriberet. Sed quum hodie Arthrostemmatis essentialis nota, inter genera 4-mera, in pilis stellato-penicillatis qui cum dentibus calycinis alternant resideat, hanc speciem ad aliud genus, ne Arthrostemmatis characterem infirmaret, removere debuimus, quamvis habitu Arthrostemmatum quorumdam similitudinem præbeat. — In provincia *Minas geraes* Brasiliæ; Claussen, Gaudichaud, Aug. de Saint-Hilaire.

3. Tetrameris cerastiifolia. — *Arthrostemma Martiusianum?* DC., *l. c.* — *Arthrostemma cerastiifolium* DC. in *Herb. St-Hil.*

T. suffrutescens vel subherbacea erecta ramosa pube glandulifera hirtella; ramis herbaceis gracilibus subtetragonis oligophyllis; foliis breviter petiolatis ovatis subacuminatis tenuissime serrulatis 5-nerviis villosulis; ramulis supremis oliganthis paniculatim dispositis; floribus subparvis, purpureis.

Planta circiter semimetralis, basi sublignosa, propter habitum et denticulos dentibus calycis interjectos ad Arthrostemmata tendens. Folia 2 ½-3 ½ centim. longa, 1-1 ½ lata, petiolo 4-6-millimetrali. Ramuli panicularum cymose 3-5-flori, haud raro, floribus duobus lateralibus obsoletis, 1-flori. Calycis dentes triangulari-acuti, tubo campanulato breviores, cum denticulis totidem vix perspicuis non autem apice stellato-setosis alternantes. Petala rhombeo-obovata subacuta ciliata, 5 millim. circiter longa. Stamina omnino ut in Arthrostemmatibus, connectivo basi bitesticulato. Species *T. Martianæ* vicina sed ab ea distinctissima. — In Brasilia australi ad oras paludum circa urbem *San-Joao del Rey;* Aug. de Saint-Hilaire.

4. Tetrameris simplicicaulis. †

T. herbacea erecta gracilis simplicissima (an semper?) oligophylla oligantha; caule obscure 4-gono hirsuto; foliis sessilibus ovatis acutis tenuiter serrulatis 5-nerviis, pagina utraque

setulosis; floribus ad apices ramulorum paniculæ depauperatæ terminalibus, ut plurimum ternis, purpureo-violaceis.

Planta semimetralis aut paulo altior, Lasiandrarum simplicicaulium sectioni toto habitu et floris fabrica, si non esset tetramerus, admodum conveniens. Folia 2-4 centim. longa, 1 ½-2 lata, petiolo nullo. Internodia inferiora foliorum circiter longitudine, superiora iis quadruplo quintuplove longiora. Calycis villosi dentes triangulari-acuti tubum oblongo-campanulatum subæquantes. Petala obovota subacuta ciliolata sesquicentimetrum circiter longa. Antheræ graciles subulatæ, connectivo infra loculos arcuato et ad insertionem filamenti antice breviter bicalcarato. Ovarium ovoideum apice setulosum. Herba exsiccata lutescit. — In pascuis uliginosis prope *Santo-Anjo* Brasiliæ australis, ad 23um et 24um lineam australem, a Clar. Aug. de Saint-Hilaire lecta.

5. Tetrameris isanthera. †

T. herbacea erecta oligophylla submicrophylla oligantha; caulibus gracilibus simplicibus teretiusculis setoso-hirtellis; foliis breviter petiolatis late ovatis subacutis tenuiter serrulatis 5-nerviis, pagina utraque setulosis; floribus ad apices caulium ramulorumque supremorum cymosis, subglomeratis, purpureis?; staminibus vix inæqualibus, connectivo infra loculos breviter producto, recto.

Planta 3-4-decimetralis, caule caulibusve penna columbina graciliori-bus, ad basim sublignosis, superne omnino herbaceis. Folia ut plurimum 1 ½ centim. longa, 1 lata, petiolo 3-4-millimetrali. Internodia foliis triplo quadruplove longiora. Ramuli in axillis foliorum orti breves pedunculiformes 1-3-flori, sæpe approximati, unde inflorescentia glomerata videtur. Calycis campanulati hispiduli dentes anguste triangulares, tubo subbreviores. Petala obovata, 5 millim. circiter longa. Antheræ subrectæ lineares, pro genere breves, connectivo recto, ad insertionem filamenti parumper incrassato. — In Brasiliæ insula Sanctæ-Catharinæ; Gaudichaud.

6. Tetrameris serrulata. †

T. suffrutescens erecta parum ramosa, caule caulibusve 4-gonis hispidulis; foliis petiolatis lanceolatis acuminatis basi subacutis serrulatis 5-nerviis, pagina superiore glabellis, inferiore pilosulis; floribus ad apices ramulorum solitariis-ternis.

Planta metralis aut submetralis videtur. Folia 7-10 centim. longa, 1 ½ lata. Calyx oblongo-campanulatus villosulus, dentibus tubum subæquantibus, serrulatis, ciliatis. Petala 1-1 ½ centim. longa, late obovata, retusa. Antheræ subulatæ, connectivo, præsertim in 4 majoribus, longe producto et ad insertionem filamenti bituberculato. Species nulli affinis, dentibus calycinis serrulatis sat distincta. — In Brasiliæ provincia *Rio Grande do Sul;* Aug. de Saint-Hilaire.

B. Genuinæ.

7. Tetrameris violacea. – *Microlicia violacea* Mart., *Herb.* — DC., *l. c.?* — Non *Microlicia violacea* Cham.

T. suffruticosa ramosa hirto-pubescens; foliis brevissime petiolatis subsessilibusve, late ovatis vel etiam suborbiculatis, obtusiusculis tenuiter serrulatis 5-nerviis, internodio ut plurimum brevioribus; ramulis supremis floriferis paniculatis; floribus axillaribus solitariis-ternis.

Folia 1 centim. vel paulo amplius longa, ferme tantumdem lata, petiolo vix millimetrali. Calycis dentes subulati, tubo breviores. Petala circiter 1 centim. longa, oblongo-ovata, subacuta. Antheræ parum arcuatæ, connectivo infra loculos longiusculo, in insertione filamenti bituberculato. Planta metralis videtur.

Species distinctissima, toto habitu *Urantheram variabilem* referens sed tetramera ideoque huic generi, cui characteribus omnibus convenit, adscribenda. Quamvis a clar. Martio ad *Microliciam violaceam* DC. relata fuerit, non bene quadrat cum descriptione, sed propter auctoritatem nominis, hanc pro specie Candollæana habuimus. — In Brasiliæ provincia *Minas geraes;* Martius, Claussen.

8. Tetrameris rotundifolia. †

T. fruticulosa ramosa hirto-puberula microphylla oligantha; ramis apice tantum foliosis, inferne denudatis; foliis petiolatis orbicularibus vix apiculatis subintegerrimis utrinque breviter et adpresse piloso-hirtellis 3-5-nerviis; floribus ad apices ramorum axillaribus, solitariis, violaceis?

Folia 5-7 millim. longa et lata. Petioli 3-4-millimetrales. Calycis dentes angusti, lineares, tubum subæquantes. Petala obovata, apiculata. Antherarum connectivum in insertione filamenti tumidum, subbituber-

culatum. Planta habitu *Comoliam denudatam* refert; videtur semimetralis. — In Brasilia septentrionali, Martius; prope Bahiam, Blanchet.

9. Tetrameris excoriata. — *Marcetia excoriata* DC.? III, 123. — Non *M. excoriata* Mart. — An etiam *Microlicia violacea* ejusdem auctoris? — *Microlicia violacea* Cham., *Linn.*, IX.

T. fruticulosa vel fruticosa ramosa microphylla; ramis subtetragonis ferrugineo-hirtellis, hornotinis subdense decussatimque foliosis, vetustioribus denudatis et sæpe excoriatis; foliis sessilibus ovatis subobtusis tenuissime serrulatis, utraque pagina pilosulis, 5-nerviis; floribus ad apices ramorum axillaribus solitariis, violaceis?

Planta fortasse semimetralis, *T. rotundifoliæ* et *T. viscidulæ* affinis sed facile distincta. A priore differt foliis ovatis nec rotundatis, a posteriore ramis brevibus nec virgatis. Folia ut plurimum 6-8 millim. longa, 5-6 lata. Calycis dentes oblongi, subacuti, tubum æquantes. Petala circiter sesquicentimetrum longa, ovato-elliptica, apiculata. Antheræ lineari-subulatæ, connectivo infra loculos longiusculo, ad insertionem filamenti vix conspicue bituberculato. — In Brasiliæ provincia *Minas geraes*; Gaudichaud, Sellow. Hanc habemus e musæo Berolinensi sub nomine *Microliciæ violaceæ*, et e musæo Petropolensi sub nomine *Microliciæ excoriatæ*.

10. Tetrameris viscidula. Tab. IV, fig. 2. — *Microlicia viscidula* Cham., *Linn.*, IX, 387. — An *Marcetia decussata* DC.?

T. fruticosa vel suffruticosa microphylla dense foliosa; ramis subvirgatis obsolete 4-gonis ferrugineo-hirsutis; foliis sessilibus subsessilibusve late cordiformi-ovatis breviter acuminatis acutis serrulatis 5-nerviis pulverulento-hirtellis; floribus in ramis supremis axillaribus, breviter pedicellatis, ut plurimum solitariis, purpureo-violaceis?

Planta semimetralis videtur. Folia vix 1 centim. longa, tantumdem lata, internodiis longiora, decussata, rarius subimbricata. Calycis dentes subulati tubum longitudine æquantes aut paulo superantes, cum setulis seu denticulis 4 minimis vix conspicuis alternantes. Petala oblongo-obovata subacuta circiter centimetralia. Antheræ lineari-subulatæ arcuatæ, connectivo longiusculo ad insertionem filamenti bituberculato.

Stamina cæterum et stylus exserta. — In Brasiliæ provincia *Minas geraes*; Claussen, Sellow, Weddell.

11. Tetrameris stenodon †.

T. frutescens vel suffrutescens erecta dense foliosa; ramis ubvirgatis ferrugineo-hirtellis; foliis petiolatis late ovatis interdumque suborbicularibus obtusis argute denticulatis 5-nerviis, pagina utraque breviter et adpresse pilosulis; floribus longiuscule (pro genere) pedicellatis, in ramulis axillaribus brevibus dense foliosis submicrophyllis congestis, thyrsum elongatum mentientibus.

Utrum caulis an ramus sit specimen nostrum haud scimus et si ex specimine incompleto judicare licet, planta semimetralis est aut paulo elatior. Folia 1-2 centim longa, 1-1 ½ lata, petiolo ½-1-centimetrali. Flores in ramulis axillares solitarii, internodiorum abbreviatione congesti videntur, pedicello circiter centimetrali. Calycis dentes angusti omnino lineares tubum æquantes aut paulo superantes. Petala obovata, apice rotundata, centimetralia. Antherarum connectiva longiuscule producta, ad insertionem filamentorum nodosa. — In provincia *Minas geraes* Brasiliæ; Vauthier.

12. Tetrameris sertularia. — *Marcetia sertularia* DC., *l. c.*, p. 125.

T. fruticulosa ramosissima microphylla ericoidea macrantha, tota corollis genitalibusque exceptis furfuraceo-glandulosa; floribus adapices ramulorum terminalibus solitariis purpureo-violaceis.

Fruticulus semimetralis, sæpe humilior, habitu ericoideo, ramis numerosissimis et floribus pro genere majusculis decorus. Caulis ad basim crassitiem digiti æquans aut superans, ut rami primarii sæpe tortuosus et excoriatus. Folia carnosula quasi leprosa sessilia ovata obtusa, marginibus reflexa, 2-3 millim. longa et paulo minus lata, subpatula, rarius subimbricata. Calycis pube glandulifera hirti dentes tubo breviores. Petala obovata, ferme sesquicentimetralia. Antheræ lineares, connectivo infra loculos longe producto (saltem 5 majorum) et ad insertionem filamenti bilobo. Filamenta stylusque glanduloso-pilosa. — In Brasiliæ provincia *Minas geraes* frequens; Claussen, Vauthier, Martius.

Species addendæ :

13. T. VILLOSA. — *Arthrostemma villosum* DC., *l. c.*, p. 137. — *Rhexia villosa* Aublet, *Guyan.*, tab. 129, fig. 1.

14. T. AUBLETII. — *Arthrostemma Aubletii* DC., *ibid.* — *Rhexia latifolia* Aubl., *l. c.*, tab. 129, fig. 2.

15. T. VERSICOLOR. — *Arthrostemma versicolor* DC., *ibid.* — *Rhexia versicolor* Lindl., *Bot. Reg.*, tab. 166, et *Bot. Mag.*, tab. 3678.

16. T. REPANDA.—*Chætogastra repanda* Mart., *Nov. gen.*, III, tab. 246. Planta toto habitu ad Lasiandras simplicicaules pertinens, huc autem propter flores 4-meros artificialiter relata.

17. T.? URUGUAYENSIS. — *Arthrostemma uruguayense* Cham., *Linn.*, IX, 453.

18. T. BRACHYANDRA. — *Arthrostemma brachyandrum* Cham., *l. c.*, 454.

19. T.?? NITIDA.—*Arthrostemma nitida* Grahm., *New Edinbg. phil. journ.*, XIII, 186.

XLII. *ACIOTIS.*

ACIOTIS Don. *Mem. Soc. Wern.*, IV, p. 300. — DC., III, 152. — Endlich., *Gen.*, n° 6225.

1. ACIOTIS DISCOLOR Don, *l. c.*, 301. — DC., *l. c.*

Genus nobis prorsus ignotum. Hujus hic esse locum proprium, minime affirmabimus.

XLIII. *CHÆTOGASTRA.* Tab. 4.

CHÆTOGASTRÆ et ARTHROSTEMMATIS species DC. — RHEXIA Bonpl. et auct. — Endlich. n° 6210.

Flores 4-meri et 5-meri. Calyx varie conflatus, dentibus persistentibus tubo nunc longioribus nunc brevioribus. Petala obovata aut obovato-cordata ciliata, interdum inæquilatera. Stamina

8-10 æqualia aut alternatim parum inæqualia glabra, antheris subulatis sæpius rectis raro sigmoideis 1-porosis, connectivo nunc infra loculos producto et tunc in insertione filamenti bilobo aut bicalcarato, nunc subnullo vel admodum deficiente. Ovarium sæpius basi adhærens, apice villosum, 4-5-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula calycinis dentibus coronata, 4-5-valvis. Semina cochleata rarius cochleato-ovoïdea aut subreniformia.

Frutices et fruticuli, rarius arbores, ut plurimum monticolæ, in occidentali parte Americæ australis, potissimum vero in Peruvia crescentes, in Brasilia nec Guyana hucusque cogniti; habitu vario; foliis sæpius ovatis; floribus raro paniculatis ut plurimum terminalibus solitariis aut pluribus et sæpe nutantibus, purpureis, luteis aut albis.

Genus ob incertos characteres recognitu difficillimum et fere artificiale. Accedunt LASIANDRELLÆ ad Lasiandram cui, quodam respectu, adjungerentur nisi cæteræ Chætogastræ consanguinitatis jura reposcerent; a Lasiandris tamen diversæ sunt facie quæ Chætogastras plurimas in mentem revocat, dentibus calycinis persistentibus nec deciduis, florum colore, connectivo minus producto et filamentis glabris. DICENTRÆ et ADESMIÆ magis genuinæ sunt.

A. LASIANDRELLÆ.

Flos 5-merus. Antheræ subulatæ subsigmoideæ, connectivo infra loculos longiuscule producto et in insertione filamenti bitesticulato. Petala alba, flava aut flavo variegata (an semper?).

1. CHÆTOGASTRA BICOLOR †. Tab. IV, fig. 3.

C. fruticosa ramosa; foliis petiolatis oblongo-lanceolatis utrinque subacutis subintegerrimis, præter nervulos marginales 3-nerviis, pagina superiore strigoso-asperrimis, inferiore puberulis foveolatis; floribus ad apices ramulorum terminalibus trinis quinisve, rubro et flavo coloratis.

Folia 7-10 centim. longa, 1 ½-3 lata, petiolo circiter centimetrali. Calycis dentes tubo campanulato longiores subspathulati acuti. Petala late obovata nonnihil cordiformia ciliata et apiculata, 1 ¼ centim. longa

et lata. Stamina subæqualia. — In Bolivia prope *Chupe Yungas;* d'Orbigny.

2. Chætogastra panicularis †.

C. fruticosa; ramis teretibus hirto-ferrugineis; foliis petiolatis ovatis ovatove-oblongis acutis integerrimis 5-nerviis, pagina superiore strigilloso-scabris, inferiore villoso-velutinis, paniculis terminalibus multifloris; floribus flavis.

Frutex magnus. Folia (suprema tantum suppetebant) 4-6 centim longa, 2 lata, petiolo subcentimetrali. Calycis dentes tubo paululo breviores, acuti. Petala 1 $\frac{1}{4}$ centim. longa, obovata ciliata et seta terminata. Stamina ut in præcedente. — In Bolivia prope *Chulumani:* d'Orbigny.

3. Chætogastra Weddelliana †.

C. fruticosa; ramis junioribus teretiusculis hirto-ferrugineis interdumque nigrescentibus, vetustioribus epidermide soluta nudis; foliis petiolatis ovatis oblongove-ovatis subacutis subintegerrimis, præter nervulos marginales 5-nerviis, pagina superiore adpresse setuloso scabrellis, inferiore mollius villosulis; paniculis terminalibus brevibus subcorymbiformibus; floribus albis aut in luteolum vergentibus.

Frutex circiter metralis. Folia 4-6 centim. longa, 1 $\frac{1}{2}$-2 lata. Calycis dentes acutiusculi, tubum subæquantes, in flore aperto revoluti. Petala ferme centimetrum longa, obovata subinæquilatera ciliata. Stamina ut in præcedentibus speciebus. Calyx fructifer fere urceolatus. — In Bolivia ad radices montium provinciæ *Yungas:* Weddell.

4. Chætogastra depauperata †.

C. suffruticulosa erecta subsimplex? micrantha; caule setoso-villoso; foliis breviter petiolatis elliptico-lanceolatis acutis subintegerrimis, utraque pagina villosis, 5-nerviis (nervis lateralibus basi coalitis); floribus paucis ad apicem caulis congestis, rubris?

Planta basi lignosa, 3 decim. alta. Folia 5-7 centim. longa, 1 $\frac{1}{2}$-3 lata, petiolo $\frac{1}{2}$-1 centim. longo. Calycis campanulati dentes subulati revoluti

tubum subæquantes. Petala obovato-elliptica ciliata, 6 millim. circiter longa. Stamina ut in præcedentibus. Floris color ignotus sed in specimine unico nostro petala rubescunt. — In Bolivia? d'Orbigny.

B. DICENTRÆ.

Flores 4-meri et 5-meri. Antheræ parum arcuatæ vel subrectæ, connectivo rarius breviter producto et bitesticulato, sæpius infra loculos abrupte bilobo aut bicalcarato; flores plerumque nutantes, violacei aut purpurei, rarius flavi.

a. *Species 4-meræ.*

5. CHÆTOGASTRA CAMPANULARIS. — *Arthrostemma campanulare* DC. — *Rhexia campanularis* Bonpl., *Rhex.*, tab. 14.

C. fruticosa ramosa tota villoso-rufescens; foliis petiolatis ovatis subacutis integerrimis utraque pagina sericeo-villosis 5-nerviis (nervis lateralibus basi coalitis); floribus ad apices ramulorum axillarium terminaliumque foliosorum ut plurimum solitariis, rarius ternis, violaceis.

Frutex circiter metralis aut paulo altior. Folia circiter 2 centim. vel paulo amplius longa, 1-1 $\frac{1}{2}$-lata, petiolo vix 5-millimetrali. Calycis dentes acuti, tubo longiores. Petala 1 $\frac{1}{4}$ centim. longa, lanceolato ovata acuta ciliata seta apicali reliquis majore terminata. Antherarum connectivum infra loculos longiusculum bitesticulatum. — In frigidis montium Peruviæ, prope *Loxa;* Bonpland.

6. CHÆTOGASTRA QUINQUENERVIS. — *Arthrostemma quinquenerve* DC.

C. fruticosa; ramis junioribus setuloso-ferrugineis, vetustioribus denudatis; foliis petiolatis lanceolato-oblongis acutis integerrimis adjecto utroque nervulo marginali 5-nerviis, utraque pagina villosis; florum fasciculis nutantibus, in paniculas terminales dispositis.

Folia 6-8 centim. longa, 1-1 $\frac{1}{2}$ lata, petiolo 7-10 millim. longo. Calycis dentes lineares angusti ciliati tubo campanulato duplo longiores. Petala sesquicentimetrum longa, obovata acuta ciliata. Stamina æqualia, infra loculos breviter bicalcarata. — In Peruvia; Rivero.

7. CHÆTOGASTRA GOUDOTII †.

C. fruticosa; ramis setoso-strigillosis teretiusculis; foliis subparvis breviter petiolatis oblongo ovatis acutis, prætermissis nervis marginalibus 3-nerviis, pagina superiore adpresse strigilloso-scabris, inferiore scabrellis; floribus ad apices ramorum axillaribus terminalibusque solitariis-ternis, cernuis, violaceis.

Folia 1 ½-2 centim. longa, 6-10 millim. lata, petiolo circiter semicentimetrali. Calycis setosi dentes ovati acuti tubum campanulatum æquantes purpurascentes. Petala carnosa, 12 millim. longa, obovato-rotundata. Stamina subæqualia, infra loculos longiuscule calcarata. Semina subreniformia. — In Rep. Novo-Granatensi prope *Bogota;* Goudot.

8. CHÆTOGASTRA ROSMARINIFOLIA. — *Arthrostemma rosmarinifolium?* DC.

C. fruticosa ramosissima microphylla; ramis junioribus subtetragonis, vetustioribus teretibus excoriatis; foliis breviter petiolatis ovato-oblongis linearive-ellipticis subobtusis marginibus sæpe revolutis subintegerrimis 3 nerviis, pagina superiore breviter adpresseque strigoso-asperis, inferiore setulosis; floribus ad apices ramulorum solitariis, rarius ternis, cernuis, violaceis; corolla cylindracea styloque longe exsertis.

Frutex circiter metralis. Folia 1 ½-2 centim. longa, 4-8 millim. lata, petiolo 3-4-millimetrali. Calycis setulosi dentes acuti ciliati tubum æquantes. Petala 2 centim. longa, irregulariter obovata. Stamina æqualia, filamento brevi, connectivo infra loculos breviter biauriculato. Stylus longe exsertus filiformis. — In frigidis et montosis Peruviæ, prope urbes *Lima* et *Cuzco;* Weddell, Cl. Gay.

9. CHÆTOGASTRA SANGUINOLENTA †.

C. fruticosa; ramis 4-gonis subglabris mox excoriatis; foliis petiolatis lanceolatis utrinque acutis obsolete serrulatis subintegerrimisve 3 nerviis, pagina superiore inter nervos strigis aliquot brevibus exasperatis, cæterum glabris; floribus in cymas corymbiformes 7-15-floras demum nutantes ad apices ramorum digestis, intense violaceis.

Frutex 2-metralis. Folia 1 ½-3 centim, longa, 1-1½ lata, petiolo

3-4-millimetrali. Calyx intense ruber, dentibus triangulari-acutis tubo subbrevioribus. Corolla subcylindracea exserta, sesquicentimetrum et quod excedit longa, petalis obovatis ciliolatis. Stamina æqualia, connectivo infra loculos bituberculato. Stylus longus gracilis.—In fruticetis montium Boliviæ ad altitudinem 2500 metrorum, inter urbiculas *Tipoani* et *Apolobamba*; Weddell.

b. *Species 5-meræ.*

10. Chætogastra lepidota DC. — *Rhexia lepidota* Bonpl., *Rhexiées*, tab. 15.

C. fruticosa vel potius arborea; ramis junioribus 4-gonis lepidoto-scabris, vetustioribus sæpe excoriatis et tunc glabratis; foliis petiolatis oblongo-ovatis lanceolatisve acutis integerrimis, adjecto nervo utroque marginali 5-nerviis, pagina superiore lepidoto-strigosis et interdum asperrimis, inferiore scabris nonnumquamque foveolatis; floribus ad apices ramulorum in glomerulos paucifloros congestis involucratis, calycibus bracteisque involucri dense lepidotis sæpius purpurascentibus.

Arbor mediocris staturæ scilicet 7-8 metra alta (ex clar. Goudot). Folia circiter 1 decim. longa vel paulo minora, 2-3 centim. lata, petiolo 1-1 ½-centimetrali. Calycis dentes obtusi tubo breviores. Petala latissime obovata, fere orbicularia, circiter sesquicentimetrum aut amplius longa et lata, subinæquilatera. Stamina subæqualia, antheris in rostrum attenuatis, connectivo infra loculos bicalcarato. Stylus crassus clavatus, stigmate truncato. — Planta huic generi vix conveniens. — In frigidis montium Peruviæ, *Bonpland*; Columbiæ, Hartweg; Reipubl. Novo-Granatensis, Goudot.

11. Chætogastra microdon †.

C. fruticosa; ramis pulverulento-setosis subteretibus; foliis petiolatis lanceolatis acutis integerrimis 3-nerviis, utraque pagina villoso-setosis; floribus ad apices ramorum foliosorum solitariis-ternis subnutantibus violaceis; calycinis dentibus remotis brevissimis.

Folia 4-8 centim. longa, 1-2 lata, petiolo vix centimetrali. Calyx late campanulatus vel subhemisphericus setulosus, dentibus subulatis remo-

tis tubo fere quadruplo brevioribus. Petala late obovata carnosula sesquicentimetrum aut amplius longa. Stamina æqualia connectivo infra loculos bituberculato, filamentis brevibus. Stylus filiformis exsertus. — In fruticetis Boliviæ prope *Carcuata-Yungas;* d'Orbigny.

12. Chætogastra Pentlandii †.

C. fruticosa ramosa submicrophylla; ramis junioribus subtetragonis scabris; foliis breviter petiolatis ovato-ellipticis obtusis integerrimis 3-nerviis reticulatis, pagina utraque sed superiore præsertim strigis aliquot brevibus conspersis; floribus ad apices ramulorum brevium axillarium terminalibus plerumque ternis; calycis dentibus brevibus remotis.

Folia 1 ½-2 rarius 3 centim. longa, 8-15 millim. lata, petiolo circiter semicentimetrali. Calyx campanulatus setuloso-scaber, dentibus subobtusis tubo quadruplo quintuplove brevioribus. Petala carnosula obcordata inæquilatera ciliolata, 2 centim. circiter longa et lata. Stamina stylusque ut in præcedente specie. — In Bolivia ad radices montis *Illimani:* Pentland.

13. Chætogastra hermannioides †. Tab. IV, fig. 4.

C. fruticosa; ramis junioribus 4-gonis mox teretibus; foliis petiolatis ovato-lanceolatis acutis subintegerrimis, prætermisso nervulo utroque submarginali 3-nerviis, supra setoso-strigillosis, subtus puberulis; floribus ad apices ramulorum solitariis-ternis nutantibus purpureis, petalis fere in tubum conniventibus, stylo longe exserto.

Folia 4-6 centim. longa, 1 ½ lata, petiolo vix centimetrali. Calycis setuloso-scabri dentes subulati acuti tubo ferme duplo breviores. Petala obovata inæquilatera, 2 centim. longa et fere tantumdem lata. Stamina ut in præcedente. Stylus filiformis corolla duplo longior. — In nemoribus humidis prov. *Cordillera;* Reip. Boliviensis, Weddell.

14. Chætogastra cernua DC., *l. c.*

C. fruticosa, ad apices ramorum foliosa, inferne denudata; ramis supremis 4-gonis; foliis petiolatis ovatis ovatove-oblongis subacutis subintegerrimis margine revolutis 3-nerviis, pagina superiore fere glaberrimis, inferiore in nervis marginibusque

pilosis; floribus ad apices ramulorum ternis-quinis rarius solitariis violaceis nutantibus; calycinis dentibus lineari-subulatis tubo plus quam duplo longioribus.

Folia 1-3 centim. longa, ½-1 lata, petiolo 2-5-millimetrali Calyx purpureus aut violaceus, dentibus setuloso-ciliatis mollibus, tubo campanulato subquinquecostato. Petala 2 ½ centim. longa, obovata carnosula in tubum conniventia. Stamina æqualia, connectivo infra loculos breviter bicalcarato, filamentis brevibus. Stylus longe exsertus. — In frigidis montium Peruviæ prope *Popayan*, Bonpland; et Columbiæ, Hartweg.

15. CHÆTOGASTRA LUTESCENS.—*Rhexia lutescens?* Ruiz et Pav., *Flor. per.*, tab. 319. — Num etiam *Arthrostemma lutescens* DC.?

C. fruticosa ramosissima microphylla; foliis petiolatis ovato-ellipticis obtusis integerrimis 3-nerviis, utraque pagina sed superiore præsertim adpresse breviterque strigosis, inter strigas vernicosis; floribus ad apices ramulorum plerumque solitariis cernuis; calycinis dentibus acutis tubum æquantibus.

Folia ut plurimum centimetralia, 5-8 millim. lata, petiolo 3 millim. aut paulo amplius longo. Petala sesquicentimetrum longa, ovata acutiuscula ciliata. Stamina æqualia, connectivo bilobo. Stylus haud visus. Planta exsiccata nonihil lutescit. Occurrunt flores 4-meri.—In Peruvia; Dombey.

16. CHÆTOGASTRA STRICTA DC., *l. c.* Tab. IV, fig. 5.

C. fruticosa microphylla; ramis supremis foliosis setoso-strigillosis rufescentibus; foliis strictis breviter petiolatis oblongo-ovatis subacutis integerrimis 3-nerviis, pagina superiore strigillosis, inferiore setulosis; floribus ad apices ramulorum solitariis-ternis nutantibus; calycibus setoso-villosis, dentibus late ovatis tubo sublongioribus.

Folia 1-1 ½-centim. longa, 4-6 millim. lata, petiolo 1-3-millimetrali quandoque subnullo. Petala obcordata subinæquilatera ciliolata 1-1 ½-centim. longa, in tubum conniventia, stylo exserto. Stamina æqualia, connectivo infra loculos longiuscule bicalcarato. — In frigidis montium Peruviæ et Reipubl. Novo-Granatensis, peculiariter in monte *Purase* prope Loxam; Bonpland.

C. Adesmiæ.

Flores 5-meri et 4-meri. Antheræ rectæ aut parum arcuatæ, connectivo infra loculos nullo vel vix perspicuo, nunquam tuberculato nec calcarato. Petala violacea aut purpurea (an semper?).

a. *Species 5-meræ.*

17. Chætogastra canescens DC., *l. c* — *Rhexia canescens*, Bonpl., tab. 6, non tab. 18.

C. fruticosa; ramis junioribus villoso-rufescentibus; foliis breviter petiolatis ovatis sæpius obtusis rarius acutis integerrimis 5-nerviis, pagina utraque sericeo-villosis, superiore rufescentibus, inferiore sæpius canescentibus canescentive-tomentosis; floribus ad apices ramulorum solitariis-ternis interdumque pluribus, cernuis; calycis villosuli dentibus tubum subæquantibus.

Folia maxime variant; exstant specimina quædam quorum folia 2 $\frac{1}{2}$-3 centim. longa sunt et alia in quibus centimetro vix longiora, nunc late nunc anguste ovata. Petala sesquicentimetralia videntur (ex alabastro), inæquilatere obovata, ciliata. Stamina æqualia (saltem in alabastro). Planta polymorpha et facile cum sequentibus confundenda. — In frigidis montis *Purase* prope Loxam; Bonpland.

18. Chætogastra sulphurea †.

C. fruticosa; ramis supremis pube pulverulenta obtectis; foliis petiolatis ovatis ovatove-ellipticis subobtusis subintegerrimis integerrimisve 3-nerviis, pagina superiore breviter strigosis, inferiore foveolata puberulis; floribus ad apices ramulorum sæpius ternis aut pluribus nutantibus luteolis; calycis dentibus obtusis tubo brevioribus.

Folia 1-2 centim. longa, 5-8 millim. lata, petiolo 3-5-millimetrali. Petala sesquicentimetrum? longa et lata, fere rotundata (saltem in alabastro). Stamina subæqualia. Flos apertus haud suppetebat. — In Peruvia prope *Quito;* Jameson. Planta a clar. Hooker communicata.

19. Chætogastra rostrata †.

C. fruticosa; ramis junioribus dense molliterque hirsutis ru-

fescentibus; foliis breviter petiolatis ovatis obtusis subobtusisve integerrimis 3-nerviis, pagina superiore inter nervos adpresse strigillosis, inferiore villoso-canescentibus; floribus ad apices ramulorum ternis quinis aut pluribus nutantibus, petalis purpureis fere in tubum conniventibus; stylo non aut parum exserto.

Folia ut plurimum sesquicentimetrum rarius 2 centim. longa, 1 vel paulo amplius lata, petiolo 3-4-millimetrali. Calycis setulosi dentes subacuti tubum campanulatum æquantes. Petala obovato-rotundata circiter sesquicentimetralia. Stamina æqualia, antheris in rostrum tubulatum attenuatis. Species non confundenda cum *C. Rhynchanthera* Benth. quæ 4-mera est. — In Peruvia; Dombey.

20. Chætogastra microphylla †.

C. fruticosa ramosissima microphylla; ramis supremis hirsuto-rufescentibus; foliis petiolatis oblongo-ellipticis obtusis integerrimis 3-nerviis, pagina superiore adpresse setulosis inferiore villosulis; floribus ad apices ramulorum trinis vel pluribus, rarius binis aut solitariis, nutantibus.

Folia vix centimetrum longa, 2-4 millim. lata, petiolo 2-millimetrali. Calycis setulosi dentes subacuti tubum campanulatum æquantes. Petala perfecta haud visa. Stamina æqualia antheris apice subulatis, connectivo infra loculos nullo. Analysis ex alabastro juniori ideoque incompleta et incerta. — In Peruvia aut Rep. Novo-Granatensi? Bonpland.

21. Chætogastra conferta DC., *l. c.* — *Rhexia conferta* Bonpl., *Rhex.*, tab. 20.

C. fruticosa ramosa microphylla; foliis petiolatis ovatis ovatove-ellipticis obtusis margine revolutis 3-nerviis, pagina utraque superiore autem potissimum setulosis; floribus ad apices ramulorum solitariis bractea sextuplici involucratis cernuis.

Folia 4-8 millim. longa, 2-3 lata, petiolo 1-2-millimetrali. Involucri bracteæ late ovatæ vel subrotundatæ sericeo-villosulæ foliis proprie dictis majores. Calycis villosi dentes ovati acuti tubum æquantes. Petala (in alabastro tantum visa) obovata, apice setosa, ciliolata. Stamina æqualia? antheris subulatis, connectivo infra loculos non admodum nullo sed vix

perspicuo nec tuberculato. Species habitu *C. microphyllæ* conveniens sed floribus solitariis et involucratis valde diversa. — In frigidis Peruviæ prope Loxam ; Bonpland.

22. Chætogastra Bonplandiana †. Tab. IV, fig. 6.

C. fruticosa ramosa ; ramis supremis pulverulento-hirtellis ; foliis breviter petiolatis ovatis obtusis integerrimis 3-nerviis, pagina superiore adpresse setulosis inferiore tomentellis ; floribus ad apices ramulorum solitariis-ternis.

Folia 1 $\frac{1}{2}$, rarius 2 vel 2 $\frac{1}{2}$ centim. longa, 1 vel paulo amplius lata, petiolo 2-3-millimetrali. Calycis dentes ovati subobtusi tubum campanulatum æquantes. Petala fortasse sesquicentimetrum longa et fere tantumdem lata, obovata ciliolata purpurea? Stamina æqualia ; antheris subulatis non autem vere rostratis ; connectivo infra loculos nullo. — Analysis ex alabastro et idcirco incompleta. — In Peruvia aut Repub. Novo-Granatensi ; Bonpland.

b. *Species 4-mera. An* Chætogastræ *vere species?*

23. Chætogastra nigritella †. Tab. IV, fig. 7.

C. fruticulosa ramosissima submicrophylla glaberrima ; ramis junioribus subtetragonis, vetustioribus excoriatis ; foliis petiolatis elliptico-lanceolatis subobtusis tenuissime serrulatis, parum conspicue 3-nerviis (nervo laterali utroque subevanido) ; floribus ad apices ramulorum terminalibus fere corymbosis erectis.

Folia 1 $\frac{1}{2}$-2 centim. longa 5-10 millim. lata, petiolo 2-4-millimetrali. Calycis dentes acuti ciliolati tubum campanulatum æquantes. Petala obovata subobtusa, 1 centim. circiter longa. Stamina subæqualia, antheris parum recurvis, connectivo infra loculos fere nullo et vix perspicuo. Ovarium omnino liberum 4-lobum. Stylus filiformis. Planta exsiccata tota nigrescit.

Species a Chætogastris habitu discrepans et ad Fritschias tendens quamvis sit robustior et erectior, folia majora habeat et antherarum connectivum minus producatur. — In Peruviæ montibus dictis *Saraguru ;* Bonpland.

Species addenda:

24. C. RHYNCHANTHERA Benth., *Plant. Hartw.*, p. 180. — Walp., *Repert.*, V, 700.

Species excludendæ:

C. speciosa DC. — SCHWERINIA SPECIOSA.
C. reticulata DC. — PURPURELLA RETICULATA.
C. lanceolata DC. — MICRANTHELLA LANCEOLATA.
C. longifolia DC. — MICRANTHELLA LONGIFOLIA.
C. havanensis DC. — MICRANTHELLA HAVANENSIS.
C. hispida DC. — MICRANTHELLA HISPIDA.
C. hypericoides DC. — DESMOSCELIS VILLOSA.
C. lychnitoides DC. — ?DESMOSCELIS. . . . . .
C. stachyoides DC. — ? DESMOSCELIS. . . . . .
C. ciliaris DC. — MICRANTHELLA CILIARIS.
C. tortuosa DC. — OREOCOSMUS TORTUOSUS.
C. divaricata DC. — PTEROGASTRA DIVARICATA.
C. gracilis DC. — LASIANDRA GRACILIS.
C. fraterna DC. — LASIANDRA GRACILIS.
C. hieracioides DC. — LASIANDRA HIERACIOIDES.
C. strigillosa DC. — LASIANDRA STRIGILLOSA.
C. clinopodifolia DC. — MICRANTHELLA CLINOPODIFOLIA.
C. mollis DC. — MICRANTHELLA CANDOLLÆI.
C. sarmentosa DC. — LASIANDRA SARMENTOSA.
C. muricata DC. — PURPURELLA MURICATA.
C. strigosa DC. — HEPHESTIONIA STRIGOSA.
C. cardinalis DC. — LASIANDRA CARDINALIS.
C. cataphracta Chamisso. — ARTHROSTEMMA CATAPHRACTUM.
C. alpestris Mart., *Nov. gen.*, III. — ARTHROSTEMMA ALPESTRE.
C. Naudiniana Decaisne, *Revue horticole*, 1848. — OREOCOSMUS NAUDINIANUS.

Species nobis ignotæ sed ex descriptionibus incompletis ut videtur ad alia genera removendæ:

C. Lhotzkyana Steudel, *Flora*, XXVII, II, 720. — Walp., V, 701. — LASIANDRA? . . . .

C. Schiedeana Schlecht. et Cham., *Linn.*, V, 565. — Walp., II, 130. — OREOCOSMUS? . . . .

C. rufipilis Schlecht., *Linn.*, XIII, 430. — Walp., *l. c.* — OREO COSMUS. . . . .

C. ferruginea Hook. et Arntt. — Walp., *l. c.*,— OREOCOSMUS?

C. sherardioides DC. — LASIANDRA? . . . MICRANTHELLA ? . . .

C. echinata DC. — PURPURELLA? . . . .

C. debilis Cham., *Linn.*, IX, 449. . . . .

C. callichœta Benth. et Hook., *Journ, of bot.*, II, 291. — TETRAMERIS? . . . .

C. lasiophylla Benth., *l. c.* . . . .

XLIV. *CASTRATELLA*. Tab. IV, fig. 8.

ARTHROSTEMMATIS spec. DC. — RHEXIA Bonpl., *Rhexiées*.

Flos 4-merus. Calyx campanulatus, dentibus tubum subæquantibus. Petala obovato-orbiculata seta apicali terminata. Stamina 8 æqualia, antheris oblongo-obovatis 1-porosis inferne in connectivum breve vix conspicuum attenuatis. Ovarium liberum aut subliberum 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi vel subcapitellato. Capsula 4-valvis. Semina cochleata?

Herba Novo-Granatensis monticola, tota hirsuto-villosissima; radice sublignosa, caule scapiformi, foliis fere omnibus radicalibus subradicalibusve petiolatis ovato-lanceolatis subintegerrimis 5-7-*nerviis; floribus ad apicem caulis subcongestis bracteolatis. — Planta habitu* Lasiandram hieracioidem *et* L. nudicaulem *referens.*

CASTRATELLA PILOSELLOIDES. — *Arthrostemma piloselloides* DC. — *Rhexia piloselloides* Humb. et Bonpl., *l. c.*, tab. 5.

Caulis 2-4 decim. altus, fere nudus, simplicissimus. Folia 2-3 centim

longa, 1-1 ½ lata vel paulo amplius, petiolo circiter centimetrali. Petala 7-8 millim. longa et lata, purpurea aut fortassis lutea? — In Andibus prope *Bogota* ad altitudinem 2000 metrorum ; *Goudot*, *Bonpland*.

XLV. *CHÆTOLEPIS.* Tab. V, fig. 3.

CHÆTOLEPIS Miq., *Comm. phytog.*, II, 72. — OSBECKIÆ sectio DC. — CHÆTOLEPIS Endl., *Gen. Plant.*, n° 6223.

Flos 4-merus. Calycis dentes triangulari-acuti, tubum hemisphæricum subæquantes cum pilis aculeiformibus totidem alternantes. Petala obovata vel ovata, seta apicali terminata. Stamina 8 æqualia vel subæqualia, antheris ovato-oblongis aut subulatis 1-porosis, connectivo non manifeste producto. Ovarium liberum, apice setosum, 4 loculare. Stylus filiformis subrectus vel subsigmoideus, stigmate punctiformi. Capsula 4-valvis. Semina cochleata.

Fruticuli austro-americani, sæpius monticolæ, ramosi, submicrophylli, floribus flavis.

1. CHÆTOLEPIS MICROPHYLLA Miq. *l. c.* — *Osbeckia microphylla* DC., p. 140. — *Chætolepis* Endl., *l. c.*

C. erecta, a basi ramosa; foliis parvis petiolatis ovatis obtusis integris strigillosis 3-nerviis; floribus parvis, ad apices ramorum congestis, corymboso-paniculatis.

Fruticulus 3-4 decim. altus. Folia 4-6 millim. longa, 3-5 lata, nervis subtus prominentibus, petiolo circiter millimetrali. Calycis tubus glaber, infra limbum setis coronatum, dentes mucronulati ciliati rigidi. Petala obovato-rotundata, 4 millim. longa et lata. Antheræ omnes oblongo-ovatæ. — In montibus Reipublicæ Novo-Granatensis prope *Santa-Fe de Bogota ;* Goudot, Bonpland, Hartweg.

2. CHÆTOLEPIS ALPINA †.

C. erecta ramosa ; foliis petiolatis lanceolato-ovatis apice acutiusculis basi acutis, tenuissime crenulatis, parum conspicue 3-nerviis, sparse breviterque setulosis subglabrisve ; floribus ad apices ramulorum paniculæ corymbosæ congestis subsessilibus.

Fruticulus 4-5 decim. altus. Folia 1-1 ½ centim. longa, ½-1 lata, petiolis 3-5-millimetralibus. Calyx ut in præcedente specie. Petala ovata acuminata 4-6 millim longa. Antheræ oblongæ obtusæ nonnihil recurvæ. —In montibus prov. *Caracas* Reipub. Venezuelensis, vulgo dictis *Sierra-Nevada*, Funk; et in prov. *Pamplona* Reip. Novo-Granatensis ad altitudinem 3000 ad 3200 metrorum, Linden.

3. Chætolepis anisandra †.

C. fruticulosa ramosa decumbens?; ramis furfuraceo-hirtellis; foliis petiolatis latissime ovatis subacutis infra apicem vix conspicue serrulatis 3-nerviis sparse pilosis; floribus ad apices ramulorum paucis? solitariis?

Ex specimine incompletissimo planta videtur decumbens. Folia circiter 1 centim. longa et lata, petiolo semicentimetrali. Calyx ut in præcedentibus sed pilosus. Petala obovata, acuta, fere 1 centim. longa. Stamina parum inæqualia, antheris subulatis. — In Guyana anglica, prope *Roraima;* Schomburgk.

XLVI. *SPENNERA*. Tab. V.

Spenneræ spec. DC., *Prod.*, III.—Spennera Mart. et auctorum.—Endlich. *Gen. plant.*, n° 6195.

Flos 4-merus. Calycis subglobosi dentes brevissimi. Petala ovata aut lanceolata, acuta, raro obovata. Stamina 8 æqualia vel parum inæqualia; antheris orbicularibus, ovatis ellipticove-oblongis, 1-porosis; connectivo infra loculos producto aut non producto et cum filamento simpliciter articulato. Ovarium globosum, liberum, rarissime ad medium usque adhærens, glabrum, 2-loculare. Stylus filiformis, plus minus sigmoideus aut rectus, stigmate punctiformi. Capsula 2-valvis aut irregulariter lacera. Semina cochleata.

Herbæ, rarius suffrutices austro-americani et antillani, plerumque paludosi vel in locis umbrosis humidis crescentes; foliis ut plurimum ovatis; floribus sessilibus subsessilibusve parvis paniculatis indecoris albis aut roseis.

Genus, exclusis speciebus Candollæanis decandris necnon

S. aquatica (*Nepsera* Ndn.), omnino naturale. Omnibus speciebus fere idem est habitus ideoque distinctu difficiles sunt.

A. Antheræ orbiculares aut ovatæ, breves; connectivo infra loculos nullo vel subnullo.

1. SPENNERA SPHÆRANTHERA †. Tab. V, fig. 2.

S. herbacea annua; caulibus ascendentibus; foliis petiolatis lanceolatis utrinque acutis integerrimis 3-nerviis sparse pilosis; panicula parva terminali subcorymbosa.

Planta 1-2-decimetralis. Folia 2-4 centim. longa, 1 vel paulo minus lata, petiolo 3-4-millimetrali. Petala 2-3 millim. longa, obovata, retusa. Antheræ suborbiculares poro lato apertæ, connectivo infra loculos nullo. — In uliginosis Peruviæ prope *Cuzco;* Claude Gay.

2. SPENNERA DICHOTOMA Benth. in Hook. *Journ. of. bot.*, II, p. 295.

S. herbacea annua humilis erecta ramosa; ramis debilibus 4-marginatis et fere 4-alatis ciliatis; foliis late ovatis subacutis subobtusisque, basi angustata in petiolum confluentibus, subtiliter crenulato-serrulatis et fere integerrimis 3-5-nerviis mollibus subpellucidisque glabriusculis; ramulis supremis floriferis in paniculas breves quasi aggregatis.

Planta 1-2-decimetralis si ex duobus speciminibns judicandum est. Rami fortassis etiam bialati, sæpe decumbentes, internodiis elongatis. Folia 2-3 cent. longa, 1-2 lata, petiolis marginatis, 1-1 $\frac{1}{2}$ centim. longis interdumque multo brevioribus. Flores in ramulis supremis gracilibus ex axillis foliorum bracteiformium orti subsessiles. Petala nobis ignota sed antheræ fere orbiculares, connectivo infra loculos nullo. — In uliginosis Guyanæ anglicæ; Schomburgk, *Cat.* n° 513 et 322.

Var. β *lanceolata*, varietati α similis sed foliis oblongo-ovatis lanceolatisque, basi præsertim acutis et in petiolum attenuatis. Intermedia videtur inter *S. dichotomam* et *S. anomalam* Miq.

In uliginosis Guyanæ batavicæ prope *Oude Reiding;* Kegel, *Cat.*, n° 387.

3. Spennera acuminifolia DC., *l. c.*, p. 116.

S. herbacea annua erecta ramosa; foliis petiolatis ovato-lanceolatis acutis serrulatis subglabris 3-nerviis; paniculis parvis subcorymbosis alaribus et ad apices ramorum axillaribus.

Planta circiter (ex unico specimine) 2-decimetralis. Folia 3-5 centim. longa, 1 ½ lata, petiolo non omnino centimetrali. Petala ovata acuta. Antheræ breves ovato-quadratæ quasi retusæ, connectivo infra loculos vix perspicuo aut potius nullo. Proxima videtur præcedenti. — In locis humidis uliginosisque Brasiliæ æquatorialis; Martius.

4. Spennera paludosa DC., *l. c.*, 115.

S. herbacea annua? erecta ramosa; caule inferne radicante; ramis hirtellis subalatis; foliis petiolatis late ovatis subacutis ciliato-serrulatis 5-nerviis; paniculis confertis brevibus subcorymbosis.

Planta 2-3-decimetralis. Folia circiter 4-5 centim. longa, 2-2 ½ lata, petiolo subcentimetrali vel paulo breviore. Petala ovata obtusa, 2 millim. vix longa. Stamina æqualia, antheris ovatis brevibus subinflatis, connectivo infra loculos non omnino nullo. Variat foliis et antheris paulo longioribus. — In paludosis Brasiliæ australis, prope *Rio de Janeiro*; Guillemin, Martius.

5. Spennera ferruginea †.

S. herbacea inferne suffrutescens? erecta ramosa; ramis subalatis hirto-ferrugineis; foliis petiolatis ovato-oblongis subacuminatis pilosulis ciliato-serrulatis 5-nerviis; paniculis terminalibus parvis.

Planta (ex specimine incompleto) videtur 3-4-decimetralis. Folia 3-5 centim. longa, 2 lata. Calycis dentes cum setis brevibus 4 alternantes. Petala lanceolata acuta. Antheræ æquales ovatæ breves, connectivo infra loculos manifesto sed brevissimo. An affinis *S. brachybotriæ* DC.?

B. Antheræ ovatæ, oblongo-ovatæ vel sublineares et cylindricæ, connectivo infra loculos plus minus producto.

6. S. Rostellata †.

S. herbacea inferne suffrutescens? erecta ramosa; ramis alato-

tetragonis hirtellis; foliis petiolatis ovatis acuminatis acutis tenuiter ciliato-serrulatis 5-nerviis pilosulis; panicula alari magna, ramis divaricatis.

Planta (ex specimine incompleto) videtur 4-5-decimetralis. Folia 5-7 centim. longa, 2-3 lata, petiolo centimetrali. Petala ovata acuta ciliolata, alba. Stamina æqualia, antheris ovatis brevibus rostro brevissimo vix perspicuo 1-poroso terminatis, connectivo dimidiam antheram æquante. — In uliginosis prope *Teapa* Reip. Mexicanæ; Linden.

7. SPENNERA ULIGINOSA. — *Melastoma uliginosa*, Bonpl. *Inéd.*

S. inferne suffrutescens erecta ramosa; caule ramisque tetragonis subglabratis; foliis petiolatis ovatis acutis ciliato-serrulatis, supra sparse pilosulis, subtus glabris glabratisve; paniculis terminalibus majusculis, ramis divaricatis.

Planta circiter 2-3-decimetralis. Folia 2-4 centim. longa, 1-½ rarius 2 lata, petiolo semicentimetrali vel paulo longiore. Petala ovato-lanceolata acuminata acuta, 4 millim. longa. Stamina subæqualia oblongo-ovata, quasi subrostellata, connectivo dimidiam antheram subæquante. — In uliginosis secus ripas Orinoci; Bonpland.

8. SPENNERA CIRCÆOIDES DC., *l. c.*, 116.

S. inferne suffrutescens erecta; caule ramisque tetragonis alatis glabrescentibus; foliis petiolatis oblongo-ovatis acuminatis acutis ciliato-serrulatis cæterum glabris 3-nerviis mollibus; paniculis terminalibus.

Planta circiter semimetralis. Folia 5-8 centim. longa, 2-3 lata, petiolo uni-sesquicentimetrali. Petala oblongo-ovata acuta, 5 millim. longa. Stamina subæqualia; antheris elliptico-obovatis, gradatim in connectivum loculos ipsos subæquans attenuatis. — Secus ripas fluminis Amazonum prope *Ega*. Pœppig; necnon in Guyana anglica, Schomburgk, *Cat.* n° 104.

9. SPENNERA RUBRICAULIS Mart., *Nov. gen.*, III, p. 113, tab. 255. — DC., *l. c.*, p. 115, cujus descriptio pessima.

S. erecta, basi frutescens, superne herbacea succosa, pauciramosa macrophylla; ramis acute 4-gonis et breviter 4-pteris, pilis

glanduliferis paucis conspersis; foliis petiolatis ovato-lanceolatis acuminatis, basi rotundatis aut subcordatis, argute serrulatis, 5-7-nerviis; panicula magna terminali sublaxa dichotome ramosa; floribus albis aut pallide roseis.

Planta annua?, a semimetro ad metrum alta, cæteris speciebus statura et habitus majestate præstans. Folia 1-1 ½ decimetrum et quod excedit longa, 3-5 centim. lata, sæpe purpurascentia, petiolo subalato, 3-centimetrali. Panicula ferme 1 ½ decim. longa, parum conferta, ramulis 4-pteris, 8-15-floris. Calyx globosus nec alatus. Petala 4-5 millim. longa acuta alba, apice dilute rosea. Stamina æqualia vel subæqualia, antheris oblongo-ellipticis lilacinis, connectivo infra loculos producto et antheram ipsam subæquante, albo. Cætera ut in reliquis. — In Guyana gallica frequens; Leprieur, Leschenault. In horto parisiensi colitur et ex specimine vivo descripta est.

10. Spennera dysophylla Benth. in Hook., *Journ. of bot.*, II, 296.

S. herbacea erecta vel ascendens parum ramosa; caule ramisque tetragono-alatis pubescenti-hirtellis; foliis petiolatis ovatis acutis basi rotundatis ciliato-serrulatis 5 nerviis puberulis; panicula parva terminali.

Planta videtur 2-3-decimetralis. Folia 3-4 centim. longa, 2 lata, petiolo centimetrali. Stamina subæqualia, antheris lineari-oblongis, connectivo infra loculos brevissimo, vix perspicuo. Videtur proxima *S. latifoliæ* Benth., *l. c.*, et *S. tetrapteræ* Miquel., *l. c.*—In Guyana anglica, Schomburgk; gallica, Bonpland.

11. Spennera polystachya DC., *l. c.*, 116.

S. herbacea basi suffrutescens erecta ramosa, tota pubescens; ramis subalatis; foliis petiolatis cordiformi-ovatis acuminatis ciliato-serrulatis 7-nerviis; paniculis alaribus terminalibusque, ramis subsimplicibus secundifloris.

Planta 4-5-decimetralis. Folia 4-5 cent. longa, 2-3 lata, basi cordata, petiolo complanato 1-1 ½-centimetrali. Stamina subæqualia, antheris lineari-oblongis, connectivo infra loculos brevissimo vix perspicuo. Species distinctissima. — In umbrosis Brasiliæ septentrionalis; Bonpland.

12. Spennera kappleriana. — *S. viscida* Miq. in Steud. *Melast.* et in herbario. — Non *S. viscida* Benth.

S. herbacea? erecta ramosa tota puberula; foliis longiuscule petiolatis late ovatis acutis ciliato-serrulatis 5-nerviis; paniculis terminalibus laxis.

Planta circiter semimetralis. Folia 3-4 centim. longa, 2-3 lata, basi acutiuscula et minime cordata ut in *S. viscida* Benth., petiolo ferme 2 centim. longo. Petala vix 2 millim. longa, lanceolata acuta lilacina. Stamina æqualia, antheris lineari-oblongis, connectivo infra loculos brevissimo, vix perspicuo. Ovarium ultra medium adhærens. — In paludosis umbrosis Guyanæ batavicæ; Hostmann et Kappler.

13. Spennera viscosa. — *Melastoma viscosa* Bonpl., *inéd.*

S. suffruticosa ramosa; ramis hirtellis subalatis; foliis petiolatis ovatis acuminatis basi subcordatis ciliato-serrulatis puberulis 5-nerviis; paniculis longiusculis terminalibus.

Folia 4-5 centim. longa, 2 lata, petiolo uni-sesquicentimetrali. Petala angusta lanceolata acuta rosea. Stamina subæqualia, antheris lineari-oblongis, connectivo loculis ipsis triplo quadruplove breviore. Planta *S. circæifoliæ* habitu proxima sed differt foliis magis ovatis et connectivo breviusculo. — In America æquatoriali prope *Maypures*; Bonpland.

14. Spennera circæifolia DC., *l. c.*, p. 116.

S. suffrutescens erecta ramosa; caule ramisque fuscescentibus hirtellis; foliis mollibus petiolatis oblongo-ovatis acutissimis, tenuissime serrulato-ciliatis cæterum glabris, basi subcordatis, 5-nerviis; paniculis terminalibus.

Planta circiter semimetralis. Folia 6-10 cent. longa, 2-4 lata, petiolo 1-2-centimetrali. Stamina parum inæqualia; majorum antheræ lineari-oblongæ, minorum magis ovatæ, omnium connectivo loculos subæquante. — In Brasilia et Guyana; Bonpland, Schomburgk.

15. Spennera sileniflora DC., *l. c.*

S. suffrutescens? erecta ramosa fere omnino glabra; ramis subalatis; foliis oblongo-ovatis acuminatis basi rotundatis vel parum cordatis tenuissime ciliato-serrulatis 5-nerviis; pani-

culis alaribus terminalibusque majusculis; calycibus inflatis dipteris.

Folia 7-10 centim. longa, 3 lata, petiolis marginatis circiter 2-centimetralibus. Stamina subæqualia, antheris lineari-oblongis, connectivo oculis ferme duplo breviore. Species facile distinguenda calycibus pellucidis et alatis. — In Brasilia ; Bonpland ?

16. SPENNERA ACUTIFLORA Mart., *l. c.* — Walp., *Repert*, II, 124.

S. suffruticosa ramosa erecta ; foliis longe petiolatis ovato-acuminatis, basi subrotundatis nec cordatis, interdum acutiusculis, tenuissime serrulatis breviter puberulis 5-nerviis ; paniculis terminalibus magnis divaricatim ramosis ; floribus minutis, in alabastro acutis.

Folia 6-8 centim. longa, 3 lata, petiolo circiter 3-centimetrali. Petala lanceolata, acuta. Stamina inæqualia ; majorum antheræ oblongo-ovatæ, connectivo loculis duplo breviore ; minorum ovatæ, connectivo loculis subæquali. Species distinctissima. — In Brasilia ; Martius.

17. SPENNERA MARTINICENSIS. †

S. suffrutescens ? ; caule ramisque 4-pteris glabrescentibus ; foliis petiolatis ovatis apice et interdum basi acutis tenuissime serrulato-ciliatis subquinquenerviis, supra sparse breviterque pilosulis, subtus ferme omnino glabris ; paniculis alaribus terminalibusque, majusculis.

Folia 4-5 centim. longa, 3 lata, petiolo circiter centimetrali. Stamina æqualia, antheris oblongo-ellipticis, connectivo loculos ferme æquante. — In insula Martinica ; Plée.

18. SPENNERA INDECORA DC., *l. c.*

S. suffrutescens tota hirsuta ramosa ; ramis fuscescentibus, junioribus hirto-ferrugineis ; foliis petiolatis ovatis breviter acuminatis ciliato-serrulatis basi rotundatis vel subcordatis 5-nerviis ; paniculis alaribus terminalibusque.

Folia 3-4 centim. longa, 2 lata. Stamina parum inæqualia, antheris oblongo-ellipticis, connectivo loculis vix breviore. Descriptio ex speci-

mine valde incompleto; species cæterum pluribus toto habitu affinis ideoque non facile dignoscenda. — In Brasilia; Bonpland?

19. SPENNERA PANICULARIS. † Fig. 1.

S. suffrutescens hirto-furfuracea; caule ramisque 4-pteris decumbentibus mox ascendentibus; foliis petiolatis ovatis subacuminatis, basi rotundatis interdumque nonnihil cordatis, vix conspicue serrulato-ciliatis, 5-nerviis; paniculis alaribus terminalibusque, magnis.

Folia 3-5 centim. longa, 2-3 lata, petiolo centimetrali. Flores interdum 5-meri. Petala ovata acuminata. Stamina subæqualia; antheris elliptico-oblongis, connectivo gracili arcuato loculis paulo minore. Paniculæ ferme 2-decimetrales. Species distinctissima. — In Peruvia prope Limam; Claude Gay.

C. Cui sectioni species referenda haud compertum.

20. SPENNERA ANOMALA? Miq., *l. c.* — Walp., *l. c.*, V, 689.

S. herbacea subglabra; foliis lanceolatis utrinque acutissimis et in petiolum brevem attenuatis 3-nerviis subintegerrimis; paniculæ ramis marginatis paucis dichotomis subsecundifloris.

Specimen omnino mancum in herb. Musæi parisiensis cum dubio ad *S. anomalam* Miq. retulimus. Partes floris non vidimus et cui sectionum præcedentium planta referenda sit nescimus, sed speciem a *S. dichotoma* non differre suspicamur. — In Guyana batavica prope *Surinam;* Hostmann.

Species addendæ, pleræque autem incertissimæ et fortassis jam sub aliis nominibus descriptæ :

21. S. ANNUA DC., *l. c.*, p. 115.
22. S. BRACHYBOTRYA DC., *ibid.*
23. S. LATIFOLIA DC., *ibid.*
24. S. FRAGILIS DC., *ibid.*
25. S. PELLUCIDA DC., *ibid.*
26. S. LONGIFOLIA DC., *ibid.*
27. S. LAXA DC., p. 116.
28. S. DICHOTOMA Benth. in Hook. *Journ. of Bot.*, II, 295.
29. S. VISCIDA Benth., *l. c.*

30. S. TETRAPTERA Miquel, *Comm. phytogr.*, II, 76, t. 10.

31. S. HYDROPHILA Miquel, *l. c.*, II, 75.

32. S. SIEBERI Steudel, *Flora*, XXVII, 720.

33. S. CAULIALATA. — *Arthrostemma caulialatum* Ruiz et Pav., *Flor. per. ined.*, tab. 327.

Species exclusæ :

S. aquatica DC. — NEPSERA AQUATICA.

S. pendulifolia DC. — NEPSERA PENDULIFOLIA ?

S. glandulosa DC. — NEPSERA GLANDULOSA ?

S. chætodon DC. — CLIDEMIA CHÆTODON.

Species delenda :

S. grandifolia Miquel, *Linnæa*, XVIII, 273 quæ eadem est ac *S. rubricaulis* Mart.

Multæ aliæ species olim absque dubio etiam delendæ.

XLVII. *GUYONIA*. Tab. XII.

Flos 5-merus. Calycis dentes acuti, tubum campanulatum æquantes. Petala ovato-lanceolata, acuta. Stamina 10, æqualia ; antheris late ovoideis et fere suborbicularibus, obtusis, apice poro vix perspicuo dehiscentibus ; connectivo infra loculos longiuscule producto, subrecto, nec a filamento quod mere articulatum videtur distincto (an connectivum vere productum ?). Ovarium apice liberum, reliqua parte adhærens, subglobosum, 5-loculare. Stylus subsigmoideus, stigmate capitellato. Fructus (haud visus) absque dubio capsularis. Ovula subcochleata.

Herba senegambiensis, tenera, glabra ; caulibus prostratis et adscendentibus, radicantibus ; foliis parvis petiolatis late rhombeo-ovatis subobtusis basi attenuatis serrulatis ; floribus paucis solitariis parvis roseis.

Clarissimo GUYON exercituum algeriensium protochirurgo et, quæ ad scientiam naturalem spectant, indagationum in Africa nostra strenuo fautori, nobis amicissimo, hoc genus africanum dicavimus.

1. Guyonia tenella. †

Caules 3-4-decimetrales, debiles. Folia absque petiolo vix 1 centim. longa, ferme tantumdem lata. Petala circiter 4 millim. longa. —In terra humida ad rivulos Senegambiæ in regione vulgo dicta *Fouta-Dhiallon*, ubi rara est. Heudelot.

XLVIII. *HAPLODESMIUM.* Tab. V, fig. 4.

Flos 4-merus. Calyx late campanulatus, dentibus tubum subæquantibus. Petala oblongo-obovata obtusa. Stamina 8 æqualia, antheris oblongo-obovatis 1-porosis, connectivo infra loculos non producto vel saltem a filamento non distincto. Ovarium liberum, apice setis coronatum, 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula calycis dentibus persistentibus coronata, 4-valvis. Semina cochleato-ovoidea.

Frutex (an non potius arbuscula?) venezuelensis andinus, ramosissimus microphyllus micranthus; foliis petiolatis ellipticis rigidis marginibus revolutis 3-nerviis strigilloso-exasperatis; floribus ad apices ramulorum axillaribus terminalibusque solitariis-ternis, purpureis?

1. Haplodesmium Lindenianum. †

Rami vetustiores subcontorti, epidermide excoriata nudati. Folia 5-8 millim. longa, 2-4 lata, petiolo millimetrali. Petala 4-5 millim. longa, 1 ½ lata.—In Andibus circa *Truxillo* et *Mérida*, ad altitudinem 1300-4000 metrorum; Linden.

XLIX. *HEERIA.* Tab. V, fig. 5.

Heeria Schlechtendal, *Linn.*, XIII, 432. — Endlich., *Gen.*, n° 6212.

Flos 4-merus. Calycis dentes triangulari-acuti tubum campanulatum subæquantes. Petala obovata retusa subinæquilatera. Stamina 8 alternatim inæqualia, antheris ovato-oblongis subobtusis 1-porosis parum arcuatis; 4 majorum connectivo infra loculos longe producto, vix incurvo et ultra filamenti insertionem in appendices duas calcariformes rectas obtusas conniventes deorsum vergentes porrecto; 4 minorum connectivo minime producto

nec tuberculato. Ovarium liberum apice setis coronatum, 4-loculare. Stylus filiformis subsigmoideus, stigmate punctiformi. Capsula 4-valvis. Semina cochleata. Folia trinervia.

Suffruticuli vel potius herbæ mexicanæ, monticolæ, divaricatim ramosæ, decumbentes aut erectæ; ramis gracilibus; foliis petiolatis late ovatis et subcordiformibus crenulatis 3-nerviis sparse setulosis fere glabris; floribus axillaribus solitariis longius breviusve pedunculatis, purpureis.

Genus Heterocentro characteribus floris fere simillimum sed habitu diversissimum.

1. Heeria procumbens. †

Planta microphylla (ex unico specimine) circiter 2 ½-3-decimetralis. Folia 6-8 millim. longa et lata subobtusa, petiolo ferme 4-millimetrali. Pedunculi 3-4 centim. circiter longi. Calycis tubus hirtus. Petala centimetralia.— In rupibus montium vulgo *Cordillera* ad altitudinem 1000-1200 metrorum; Galeotti.

Species addendæ:

2. H. elegans Schlechtdl., *l. c.*, quæ a nostra foliis multo majoribus potissimum differt.

3. H.?? cupheoides Benth. in *Bot. of Beech. voy.* 93, tab. 33. — Species ut videtur ad aliud genus removenda.

L. *HETERONOMA*. Tab. XIII, fig. 2.

Heteronoma DC. Non Mart. — Rhexia Bonpl. — Heteronomatis spec., Endlich., n° 6201.

Flos 4-merus. Calycis dentes triangulari-acuti tubo oblongo multo breviores persistentes. Petala obovata apiculata caduca. Stamina 8 inæqualia heteromorpha; antheris linearibus falcatis uniporosis, 4 majorum connectivo infra loculos producto et in appendicem linearem ascendentem apice tridenticulatam aut bifurcam ultra filamenti insertionem antice porrecto, 4 minorum infra loculos brevi vel subnullo et aristis duabus adscendentibus

interdum basi coalitis terminato. Ovarium 4-loculare, ad medium usque vel amplius adhærens, apice liberum. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula calyce vestita, 4-valvis. Semina cochleata striata crassiuscula.

Herbæ interdum basi suffrutescentes, in variis locis Americæ australis et septentrionalis necnon in Antillis quibusdam indigenæ, ramosæ ; foliis petiolatis ovatis acuminatis serrulatis, in eodem jugo sæpe nonnihil disparibus; floribus ad apices ramorum paucis cymosis vel subscorpioideis laxis, roseis aut purpureis. — Species habitu inter se fere simillimæ.

Genus naturale si Candollæanos characteres non autem Endlicherianos sumpseris. Nec opinamur genus *Pachyloma* cum *Heteronomate* jungendum esse ut suasit celeberrimus Martius.

1. HETERONOMA CUBENSE. †

H. foliis subglabris 5-nerviis ciliato-serrulatis; floribus majusculis.

Specimen nostrum unicum valde mancum est sed flores completos retinet. Folium unum quod superest 4 centim. longum est et 1 ½ latum, petiolo semicentimetrali. Calycis dentes triangulares acuti. Petala 2-centimetralia et fortasse majora, caduca. Stamina parum inæqualia ; antheris linearibus falcatis oblique 1-porosis, loculis undulatis, majorum appendice fere spathulata tridenticulata dimidiam antheram æquante; minorum aristis dimidia anthera sublongioribus. — In insula *Cuba;* Morelet.

2. HETERONOMA GOUDOTIANUM. †

H. foliis glabellis aut sparse pilosulis longiuscule petiolatis mollibus serrulatis, 5 rarius 7-nerviis ; jugis distantibus ; floribus cymosis paniculatim fere dispositis paucis laxissimis.

Folia suprema (cætera non suppetunt) 6-7 centim. longa, 3 lata, petiolo 2-centimetrali. Calycis dentes brevissimi acuti, intus membrana adnata basi quasi duplicati, reflexi. Petala haud visa nisi in alabastro, fortasse in flore aperto sesquicentimetrum longa. Staminum majorum connectivum longe productum, appendice tridenticulata antheram subæquante; minorum aristæ basi coalitæ demum divergentes, recurvæ, quasi hamum

duplicem formantes. Num *Rhexia glutinosa* Mutis? — In Repub. Novo-Granatensi prope *Ibague ;* Goudot.

3. Heteronoma diversifolium DC., *l. c.*, 122. — *Rhexia diversifolia* Bonpl., *Rhex.*, t. 45.

H. ramis debilibus sparse pubentibus; foliis in eodem jugo inæqualibus (uno alterum duplo superante) ovatis acuminatis tenuiter serrulatis glabellis 5-nerviis ; floribus in ramis paniculæ laxæ solitariis, nunc alaribus nunc lateralibus interdumque subscorpioideis, roseis aut purpureis.

Specimina nostra incompleta plantæ staturam cognoscere non sinunt. Folia 5-6 centim. longa , 2-3-lata , petiolo 2-centimetrali. Calycis dentes ut in præcedente specie. Petala sesquicentimetrum circiter longa. Staminum majorum connectivum loculorum longitudine, appendice apice 3-denticulata vel potius subtrifurca loculis breviore ; minorum aristæ liberæ ex ipsa basi antheræ ortæ. Capsula matura calyce marcescente vestita, circiter centimetrum longa vel paulo amplius. — Pulchre quidem delineata est et colorata icon Bonplandii, sed staminum formam mentitur. — In Peruvia, Dombey ; Republica Novo-Granatensi prope *Guyacan* provinciæ dictæ *Mariquita ;* Linden.

4. Heteronoma campanulare. — *Melastoma volubilis* Bonpl., *ined.*

Præcedenti simillimum eique ut videtur conjungendum ; differt tamen calyce magis campanulato et quam ovarium duplo longiore, necnon appendice staminum majorum bifurca quamvis inter lobos divergentes appareat denticulus brevissimus, lobi intermedii rudimentum. — In Columbia prope urbem *Caracas ;* Plée.

5. Heteronoma volubile. †

H. diversifolio maxime affine eique fortassis etiam coadunandum, sed staminum majorum connectivum loculis ipsis longius est et appendix tantummodo bifurca. Calycis tubus oblongus fere cylindricus nec oblongo-campanulatus ut in *H. campanulari*. — Descriptio ex unico et incompletissimo specimine. — In Columbia prope *Mariquita ;* Bonpland.

6. Heteronoma Galeottianum. †

H. foliis supremis oblongo-ovatis acuminatis ciliato-serrulatis

3-5-nerviis pilosulis; floribus terminalibus cymosis paucis roseis.

Species distinctissima est saltem staminum fabrica. Folia suprema quæ tantum suppetunt 3-4 centim. longa, 1-1 ½ lata, petiolo vix centimetrali. Calyx oblongus cylindricus, dentibus triangulari-acutis. Petala 12 millim. circiter longa obovata apiculata caduca. Staminum majorum connectivum infra loculos vix productum, appendix anthera plus quam duplo brevior, apice divaricatim bifurca; minorum antheræ basi potius bicalcaratæ quam biaristatæ. —In montibus mexicanis prope *Vera-Cruz* secus rivulos, ad altitudinem 1000 metrorum; Galeotti.

Species addendæ :

7. H. CILIATUM. — *Arthrostemma ciliatum* Ruiz et Pav., *Flor. Per. ined.*, tab. 326. — Don, *Mem. Soc. Wern.*, IV, 199. —DC., *l. c.*, 138. — Species fortassis non distincta ab *H. diversifolio*.

8. M.?? LATIFOLIUM. — *Arthrostemma latifolium* Don, *l. c.*

Species excludenda :

H. pachyloma Mart., *Nov. Gen.*, 140, tab. 273. — PACHYLOMA CORIACEUM DC., *l. c.*

LI. *HETEROCENTRON*. Tab. XIII, fig. 1.

HETEROCENTRON Hook et Arntt. *Bot. Beech. Voy.* — Endlich., *Gen. Plant.*, n° 6202.

Flos 4-merus. Calycis dentes triangulari-acuti, tubum campanulatum subæquantes. Petala obovata. Stamina 8, alternatim inæqualia, haud omnino conformia; antheris lineari-oblongis, 1-porosis, loculis undulatis; 4 majorum connectivo infra loculos longe producto et ultra filamenti insertionem in appendices duas rectas calcariformes conniventes antice porrecto; 4 minorum connectivum brevissime aut vix productum sed infra loculos bituberculatum. Ovarium costis 8 parum conspicuis basi adhærens, superne liberum, apice setis coronatum, 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula 4-valvis. Semina cochleata. Folia subpenninervia.

Suffrutices fruticesve mexicani, monticolæ erecti ramosi, inter Melastomæas foliis multiplinerviis et fere omnino penninerviis memorabiles; floribus paniculatis albis aut roseis.

1. HETEROCENTRON UNDULATUM. †

H. suffruticosum?; ramis tetragonis sulcatis setulosis; foliis ovatis subobtusis in petiolum nonnihil decurrentibus integris 9-11-plinerviis, utraque pagina et marginibus setulosis: panicula parva terminali.

Folia circiter 3 centim. longa, 1 ½-2 lata, petiolo uni-sesquicentimetrali. Calycis dentes lati, tubum subæquantes, acuti. Petala late cuneato-obovata, 5 millim. longa et lata, undulata, albo-rosea. Staminum majorum antheræ obtusæ, apice antice incurvo porosæ, loculis undulatis, connectivo subrecto, calcaribus deorsum vergentibus. — In Rep. Mexicana prope Guadalaxaram, ad altitudinem 1000 metrorum; Galeotti.

2. HETEROCENTRON AXILLARE. †

H. suffruticosum? villosulum; ramis supremis sulcatis subtetragonis; foliis petiolatis ovato-lanceolatis utrinque acutis vix conspicue serrulatis subintegrisve 11-15-plinerviis villosis; cymis corymbosis 5-9-floris axillaribus, in paniculam elongatam dispositis.

Folia circiter 3 centim. longa, 1-1 ½ lata, petiolo centimetrali. Calycis dentes acuti, tubum post anthesim 8-nervium et setuloso-scabrum subæquantes. Petala obovata 6-7 millim. longa et lata, rosea. Staminum majorum antheræ subrectæ, loculis parum undulatis; connectivo longe producto recto, calcaribus deorsum vergentibus; minorum connectivo bituberculato. — In provincia *Oaxaca* ad altitudinem 1000 metrorum; Galeotti, Liebmann; in Rep. Guatemalensi, Savage.

3. HETEROCENTRON MACROSTACHYUM. †

H. suffruticosum?; caule ramisque tetragonis setulosis scabriusculis; foliis petiolatis, late elliptico-ovatis, obtusis subobtusisve, basi in petiolum nonnihil decurrentibus, tenuissime serrulatis utrinque villosis 9-13-plinerviis; paniculis partialibus laxis in paniculam majorem terminalem dispositis.

Folia 2-3 centim. longa, 1-2 lata, petiolo subcentimetrali. Calycis dentes lati, acuti, tubum scabriusculum et post anthesim 8-nervium subæquantes. Petala lilacina aut alba, obovata, obtusa vel apiculata, 8 millim. circiter longa, 6-7 lata. Staminum majorum antheræ subrectæ albæ aut lilacinæ, loculis undulatis, connectivo arcuato, calcaribus horizontaliter porrectis; minorum luteæ, connectivo infra loculos vix conspicuo. Affine videtur *H. mexicano* Hook. et Arntt. — In sylvis ad altitudinem 1000 metrorum provinciæ *Oaxaca*; Galeotti.

4. Heterocentron Mexicanum Hook. et Arntt., *l. c.*, p. 290.

H. suffruticosum?; paniculæ ramis profunde sulcatis; foliis ovato-ellipticis villosulis multiplinerviis; paniculis floribundis axillaribus subdivaricatis; floribus albis.

Planta, ex specimine manco, præcedenti videtur affinis, saltem characteribus calycis petalorum et antherarum, sed parumper differt inflorescentia. — Prope *Xalapa* ad altitudinem 1000 ad 1200 metrorum; Galeotti.

5. Heterocentron alpestre. †

H. fruticosum? ramosum; foliis petiolatis ovato-lanceolatis utrinque acutis subintegerrimis villosis 13-15-plinerviis; paniculis numerosis, parvis, terminalibus.

Folia circiter 3 centim. longa, 1-1 $\frac{1}{2}$ lata, petiolo centimetrali ?. Flores ut in *H. macrostachyo*, subrosei. In panicula quavis ramuli axillares dichotomi sunt, bifolii et 2-5-flori. Planta *H. mexicano* affinis nec ab aliis speciebus omnino diversa, sed e speciminibus nimis incompletis utrum sint species distinctæ necne, dicere non licuit. Nec adeo miraremur has quinque species in unam olim contrahendas esse.—In montibus vulgo *Cordillera* provinciæ *Oaxaca*, ad altitudinem circiter 2200 metrorum; Galeotti.

Species nobis ignotæ, incertissimæ et huic generi fortassis addendæ.

6. H.? dicranantherum. — *Monochætum dicranantherum* Ndn., *Ann. des sc. nat.*, 1845.

7. H.? Humboldtianum. — *Monochætum Humboldtianum* Knth., *Delect. semin. pl. hort. Berol.*, 1844.

LII. *MONOCHÆTUM.*

Monochætum Ndn., *Ann des sc. nat.*, 1845. Arthrostemmatis spec. DC., *Prod.*, III.—Rhexiæ spec. Bonpl., *Rhex.*—Grischowia Karsten, *Ausw. neu. Gevæch. Venez.*, fascic I.

Flos 4-merus. Calycis oblongo-campanulati dentes tubo subæquales aut breviores, acuti, caduci vel persistentes. Petala obovata. Stamina 8 alternatim inæqualia, filamentis complanatis, antheris longe subulatis acutis 1-porosis, connectivo infra loculos non producto sed postice in caudam varie conflatam, anthera ipsa sæpius breviorem, porrecto. Ovarium basi tantum costis 8 subevanidis adhærens subtetragonum apice villosum 4-loculare. Stylus filiformis magis minusve sigmoideus, stigmate punctiformi. Capsula 4-valvis. Semina cochleata.

Frutices suffruticesque ut plurimum monticolæ, in Republica Mexicana necnon in Columbia et Peruvia hucusque cogniti, ramosi; foliis plerumque tripli-septuplinerviis, nervis convergentibus pagina superiore impressis, unde folia sulcata videntur; floribus purpureis aut violaceis; antherarum minorum et fortassis sterilium filamentis quam fertilium ut plurimum longioribus.

Genus flore 4-mero, habitu specierum et præsertim singulari inter Melastomæas hujus tribus staminum fabrica, facile dignoscendum et omnino naturale. Species inter se difficilius distinguendæ.

1. Monochætum latifolium Ndn., *l. c.*, p. 49.

M. fruticosum vel suffruticosum; ramis alternatim hinc et inde linea duplici albicante notatis (saltem in siccis speciminibus); foliis petiolatis ovatis subacuminatis acutis mollibus integerrimis, villosulis interdumque subglabris, quintuplinerviis; cymis axillaribus terminalibusque 3-7-floris; floribus majusculis violaceis; calycis dentibus magnis caducis.

Folia 5-6 centim. longa, 2 ½-3 lata; petiolis circiter centimetralibus. Calycis in pedicellum attenuati dentes magni, molles, caduci. Petala obovata, 3 centim. circiter longa. Staminum 4 cum petalis alternantium

antheræ extrorsum falcatæ, cauda horizontaliter extensa et revoluta, filamento breviusculo applanato; 4 petalis oppositorum filamenta quam in prioribus longiora pariter applanata, antheræ introrsum falcatæ, cauda adscendente, omnino in formam lanceæ conflata, acutissima. — In Republica Novo-Granatensi et Venezuelensi; Goudot, Bonpland.

2. MONOCHÆTUM UMBELLATUM Ndn., *l. c.*, p. 49. — *Grischowia hirta* Karst., *l. c.*, 16, tab. 5.

M. suffruticosum ramosum; foliis petiolatis elliptico-lanceolatis acutis integerrimis, supra inter nervos impressos glabros lineatim villosulis, septuplinerviis; floribus majusculis ad apices ramulorum axillarium in umbellas aut corymbos subaphyllos dispositis; calycis dentibus magnis caducis.

Folia 4-6 centim. longa, 1-1 ½ lata. Calycis tubus oblongus, in pedicellum 1-2-centimetralem abiens; dentes molles, tubo longiores post anthesim caduci. Stamina ut in præcedente specie; majorum caudæ antheris ipsis paulo breviores Petala 2 centim. et amplius longa, obovata, violacea. — Ad ripas Orinoci, Bonpland; prope *Caracas*, Funk, Linden.

3. MONOCHÆTUM LINDENIANUM. †

M. frutescens divaricatim ramosum submicrophyllum; ramis 4-gonis nodosis villoso-hirsutis; foliis ovalibus acutis integerrimis villosis quintuplinerviis; floribus ad apices ramulorum in cymas paucifloras foliosasque dispositis; calycis dentibus magnis caducis.

Species *M. umbellato* proxima, plurimis autem notis facile distinguenda. Rami et ramuli divaricati, villis patulis rufescentibus mollibus ad nodos uberioribus et longioribus hirsuti. Folia ut plurimum 2 cent. et quod excedit longa, 1 et paulo amplius lata, pagina superiore inter nervos villosula, inferiore in nervis ipsis patentim setulosa, petiolis 5-10-millimetralibus. Flores quam in *M. umbellato* minores nec regulariter umbellati sed in cymam brevem 5-15-floram foliolisque intermixtam potius dispositi, pedicellis 1-3-floris in medio bracteola duplici lanceolata ornatis villosis, 1-1 ½ centim. longis. Calyces turbinati inferne in pedicellum confluentes, dentibus mollibus triangulari-acutissimis tubum ipsum longitudine excedentibus purpurascentibus ciliatis, post anthesim caducis. Petala obovata vix apiculata circiter centimetrum

longa, alba aut rosea. Stamina inæqualia, sed omnium caudæ lanceolatæ acutæ productæ antheris tamen multo breviores. — In monte *Quindiu* provinciæ *Cauca* Reipublicæ Novo-Granatensis, ad altitudinem circiter 3000 metrorum; Linden, *Cat.* n° 1145.

4. Monochætum oliganthum. †

M. suffrutescens?; ramis irregulariter 4-gonis; foliis graciliter petiolatis lanceolatis apice et basi acutis integerrimis, prætermisso nervulo utroque marginali, triplinerviis margine setulosis; floribus majusculis ad apices ramorum solitariis; calycis dentibus magnis ut videtur deciduis.

Rami graciles subglabri, ad angulos pilis raris ornati, in nodis crebrius setosi. Folia 3-5 centim. longa, 6-8 millim. lata, petiolis 6-10-millimetralibus. Flores terminales solitarii (saltem in specimine nostro), pedicello centimetrum subæquante. Calycis tubus oblongo-campanulatus, dentes triangulari-acuti tubum ipsum longitudine subæquantes fortassis in calyce fructifero decidui aut maturius caduci. Petala obovata subacuta ciliolata, ferme 2 centim. longa, purpurea. Stamina ut in præcedentibus speciebus, minorum cauda antheram rectam subæquante. —In provincia *Oaxaca* Reipublicæ Mexicanæ; Ghiesbrecht.

5. Monochætum tenellum. †

M. suffruticulosum; ramis gracilibus hirtellis; foliis oblongo-ovatis acutis subintegerrimis integerrimisque quintuplinerviis sparse setulosis margine ciliato-setosis; floribus ad apices ramorum ramulorumque in cymas paucifloras dispositis, rarius solitariis; calycinis dentibus tubo subæquilongis persistentibus.

E speciminibus nostris incompletis planta suffruticulus videtur 3-4-decimetralis aut etiam humilior. Rami (et fortassis etiam caules) pennam passerinam crassitudine vix superantes, internodiis elongatis, subteretes aut obtuse 4-goni, pilis patulis sparsi, ad nodos crebrius setulosi. Folia 2-3 centim. longa, 1 circiter lata, sæpe angustiora, petiolo ut plurimum centimetrali. Ramuli floriferi nonnunquam approximati 1-3-flori; flores pedicello 6-10-millimetrali suffulti. Calycis tubus campanulatus, pilis glanduliferis hirtellus; dentes triangulari-acuti ciliati tubum subæquantes, persistentes aut saltem tarde decidui. Petala late obovata, rotundata, centimetralia. Cætera ut in præcedentibus. — In Republica Guatemalensi prope *Patrizia*; Savage.

6. MONOCHÆTUM STELLULATUM. †

M. frutescens, totum pube stellata adpressa rufescente tomentosum, submicranthum; ramis subteretibus, internodiis elongatis; foliis late ovatis acutis subacutisque integerrimis quintupli-septuplinerviis; ramulis floriferis in paniculas terminales quasi dispositis; floribus albis.

Species *M. pulchello* habitu nimis propinqua eique deinceps fortassis coadunanda; quum autem specimen nostrum *M. pulchelli* maxime sit incompletum, questionem solvere nequimus utrum species distinctas habeamus necne. Utraque planta tomento stellulato obducitur sed in *M. pulchello* pubes setulis seu pilis intermixta est et inflorescentia discrepare videtur. In *M. stellulato* internodia foliis fere duplo longiora; folia 3-4 centim. longa, 2-3 lata, basi interdum quasi subcordata, petiolis 1-1 ½-centimetralibus. Flores ad apices ramulorum solitarii-terni, cymas paucifloras foliolis minutis intermixtas formantes, breviter pedicellati. Calycis tubus campanulatus dentibus triangularibus paulo longior. Stamina inæqualia; antheris majorum recurvis, cauda pariter recurva lanceolato-acuta; minorum subrectis, cauda subobtusa antheram longitudine æquante. — In Republica Novo-Granatensi inter urbiculas *Chopo* et *Pamplona* ad altitudinem 3000 metrorum: Linden, *Cat.*, n° 736.

7. MONOCHÆTUM PLUMOSUM. †

M. fruticosum; ramis subteretibus ferrugineo-tomentosis hirtellisque; foliis ovatis oblongove-ovatis acutis integerrimis quintuplinerviis pagina utraque dense molliterque villosis; paniculis secundariis numerosis in paniculas majores aggregatis; calycis dentibus tubo subbrevioribus persistentibus aut tarde deciduis.

Planta tota, exceptis petalis et genitalibus, pilis subtiliter plumosis et pube stellata magis minusve conspicua intermixtis hirtella rufescens. Folia 3-4 centim. longa, 1 ½-2 lata (saltem in nostris speciminibus quæ ramos floriferos tantum exhibent). Paniculæ magnæ e paniculis minoribus trichotome ramosis et foliosis compactæ, floribus in extremis ramulis solitariis-trinis aut pluribus, bracteolatis, brevius longiusque pedicellatis. Dentes calycini tubo breviores, post anthesim persistentes, fortassis in calyce fructifero decidui. Petala non vidimus sed ea centimetralia suspicamur. Staminum majorum antheræ inflexæ nonnihil recurvæ, cauda complanata sursum erecta et falcata; minorum erectæ,

cauda recta antheram subæquante sursum vergente. — In Republica mexicana prope *Oaxaca;* Liebmann.

8. Monochætum pulchellum Dne, *Revue horticole*, 15 *mars* 1848.

M. suffruticosum ramosum pube stellata minuta obductum; ramis hirto-cinereis; foliis petiolatis ovato-lanceolatis acutis integerrimis, supra inter nervos impressos villosulis, præter nervulos marginales quintuplinerviis; panicula terminali multiflora; floribus mediocribus.

Folia 4-5 centim. longa, 1 ½-3 lata, petiolo centimetrali. Calycis dentes ovati, tubo breviores. Petala obovata emarginata ciliolata purpurea, circiter 1 centim. longa. Staminum antheræ purpureæ; 4 cum petalis alternantium cauda cultriformis recurva lutea 4 petalis oppositorum cauda linearis spathulata.—In Rep. Mexicana; Linden, Liebmann. In hortis parisiensibus colitur.

9. Monochætum rivulare Ndn., *l. c.*

M. fruticosum ramosissimum; ramis junioribus hirsutissimis rufescentibus; foliis brevissime petiolatis ovato-oblongis acutis integerrimis utrinque inter nervos villosis triplinerviis; cymis multifloris axillaribus in paniculas terminales foliosas congestis; calycibus intense purpureis; floribus albis et roseis, subparvis.

Folia 2-½-3 centim. longa, ½-1 lata, petiolis vix 2-millimetralibus. Calycis dentes persistentes. Petala obovata, 8 millim. circiter longa. Staminum majorum antheræ subfalcatæ, cauda sursum revoluta, minorum rectæ cauda irregulariter contorta vel ascendente. — Secus rivulos circa *Cacate* Reip. Mexicanæ; Linden.

10. Monochætum Hartwegianum Ndn., *l. c.*

M. fruticosum vel suffruticosum; ramis novellis hirtis; foliis petiolatis ovato-oblongis acutis integerrimis villosulis interdumque subglabratis, præter nervulos marginales triplinerviis; ramulis floriferis axillaribus in paniculam terminalem digestis; calycibus purpurascentibus; petalis roseis.

Folia 4-5 centim. longa, 1 circiter lata, petiolo non omnino centime-

trali. Calycis dentes tubum æquantes persistentes. Petala obovata, circiter centimetrum longa. Staminum majorum antheræ longæ subulatæ rubræ, cauda cultriformi horizontaliter extensa lutea; 4 minorum antheræ luteæ, cauda ascendente. — In montibus mexicanis prope urbem *Vera-Cruz* ad altitudinem 1300 metr.; Galeotti.

11. MONOCHÆTUM MULTIFLORUM. — *Arthrostemma multiflorum* DC. — *Rhexia multiflora* Bonpl., *l. c.*

M. fruticosum ferrugineo-villosum ramosum; foliis petiolatis ovato-oblongis subacuminatis acutis integerrimis fere septuplinerviis utrinque rufo-villosis; paniculis secundariis pluribus in unam majorem terminalem digestis; floribus subparvis.

Folia 5-7 centim. longa, 1-$\frac{1}{2}$ et amplius lata, petiolo villosissimo 5-6 millim. longo. Calycis dentes tubo longiores acuti persistentes. Petala 7-8 millim. longa? obovata. Stamina ut in præcedente. — In umbrosis humidis ad ripas Orinoci; Bonpland.

12. MONOCHÆTUM BRACHYURUM. †

M. fruticosum; ramis villoso-hirsutis rufescentibus; foliis ovatis oblongove-ovatis acutis integerrimis villosis septuplinerviis; panicula terminali divaricatim ramosissima aphylla floribunda; dentibus calycinis tubo triplo quadruplove brevioribus persistentibus.

Species distinctissima, primo intuitu tamen pluribus hujus generis affinis. Folia foliis *M. umbellati* fere simillima, 5 centim. longa, 2-2 $\frac{1}{2}$ lata, supra inter nervos villosa, subtus undique sed in nervis potissimum pilosa, petiolo centimetrum et quod excedit longo. Panicularum rami trichotomi, floribus alaribus terminalibusque magnitudine mediocribus. Pedicelli proprii 5-10 millim. longi subgraciles setulosi. Calyces purpurascentes 8-nervosi, tubo oblongo-turbinato inferne in pedicellum confluente, dentibus brevibus triangularibus. Petala obovata vix apiculata, fortassis centimetralia, purpurea. Stamina parum inæqualia conformia; antheris lineari-subulatis, cauda brevi applanata sursum nonnihil recurva obtusissima. — In provincia vulgo *Pamplona* Reip. Novo-Granatensis, prope *La Baja*, ad altitudinem circiter 3000 metrorum; Funck et Schlim, *Cat.* n° 1311.

13. MONOCHÆTUM FUSCESCENS Ndn., *l. c.*

M. fruticosum?; caule ramisque fuscescentibus pilosis; foliis petiolatis lanceolatis acutis integerrimis 5-nerviis vel quintuplinerviis, supra inter nervos lineatim villosis; floribus in cymas paucifloras axillares paniculatimque dispositas digestis; calycibus post anthesim 8-costatis, dentibus sæpius persistentibus.

Folia 3-5 centim. longa, 1 lata, petiolo circiter 5-millimetrali. Florum pedicelli semi-sesquicentimetrales. Petala haud visa. Stamina ferme ut in *M. Hartwegiano.* — In Andibus Peruviæ prope Loxam; Bonpland.

14. MONOCHÆTUM ENSIFERUM Ndn., *l. c.*

M. fruticosum; ramis subdivaricatis; foliis petiolatis lineari-lanceolatis obtusiusculis integerrimis, supra glabellis vel sparse setulosis, subtus villosulis, parum conspicue triplinerviis; floribus majusculis ad apices ramulorum terminalibus solitariis, roseis.

Folia 1-2 centim. longa, 3-5 millim. lata, petiolo 2-5-millimetrali. Calycis setulosi dentes rosei tubum æquantes persistentes, pedicello subcentimetrali. Petala late obovata, ferme 13 centim. longa. Staminum majorum antheræ longæ subulatæ rubræ, cauda cultriformi horizontaliter extensa lutea, minorum antheræ luteæ, cauda adscendente. — In montibus mexicanis provinciæ *Oaxaca;* Ghiesbreght.

15. MONOCHÆTUM TRIPLINERVE Ndn., *l. c.*

M. fruticulosum; ramis hirsuto-villosis; foliis petiolatis oblongo-lanceolatis utrinque acutis integerrimis villosulis 3-plinerviis; floribus ad apices ramulorum solitariis, rarius ternis, roseis; calycibus fructiferis nutantibus.

Folia 1 ½-3 centim. longa, 4-6 millim. lata, petiolo 3-6-millimetrali. Calycis dentes persistentes purpurascentes tubum turbinatum 8-nervium in pedicellum gradatim attenuatum æquantes. Petala circiter 1 centim. longa, late obovata. Genitalia ut in *M. ensifero.* Planta primo aspectu huic speciei affinis, sed facile distincta habitu graciliore et foliorum nervis profunde impressis. — In montibus mexicanis prope *Vera-Cruz* ad altitudinem 1300 metr; Galeotti.

16. Monochætum Candolleanum. — *Arthrostemma calcaratum?* DC.

M. fruticulosum? præcedenti omnino affine et ab eo fortasse non distinctum, ramis tamen minus gracilibus, foliis magis ovatis, fructibus non manifeste nutantibus, calycibus setulosis minus in pedicellum abeuntibus.

An eadem planta ac *Arthrostemma calcaratum* DC.? — In Republ. Mexicana; Berlandier.

17. Monochætum alpestre Ndn., *l. c.*

M. fruticulosum ramosum, foliis petiolatis ovatis acutis integerrimis, præter margines setuloso-ciliatos nervosque subtus pilosulos glabris, triplinerviis; floribus ad apices ramulorum sæpius solitariis, raro binis ternisve; calycibus campanulatis setulosis purpurascentibus; petalis purpureis.

Folia 1 centim. vel paulo amplius longa, interdum subacuminata, petiolo 4-6-millimetrali. Calycis dentes tubum campanulatum et a pedicello distinctum æquantes; pedicellus circiter 1 centim. longus. Petala centimetralia. Genitalia ut in *M. ensifero*. — In montibus mexicanis ad altitudinem 2660 metr. in prov. *Oaxaca;* Galeotti.

18. Monochætum myrtoideum. — *Arthrostemma myrtoideum* DC. — *Rhexia myrtoidea* Bonpl., *Rhex.*, tab. 3.

M. fruticosum ramosum fere glaberrimum; foliis ovato-lanceolatis subobtusis integerrimis prætermisso utroque nervulo marginali triplinerviis; cymis axillaribus plerumque trifloris, ad apices ramorum approximatis, thyrsos breves foliosos formantibus.

Species distinctissima, harnotinis, ramis glabratis. Folia 2 ½-3 centim. longa 1 lata, petiolo subcentimetrali. Calyces in pedicellum nonnihil attenuati 8-nervii glabri purpurascentes, dentibus persistentibus. Petala ferme centimetrum longa. Staminum majorum cauda cultriformis sursum recurva lutea; minorum lineari-lanceolata acutissima. —In regione frigida Reip. Novo-Granatensis, prope *Quindiu, Santa-Fé*, *Queretaro;* Goudot, Bonpland.

19. MONOCHÆTUM BONPLANDII. — *Arthrostemma Bonplandii* DC. — *Rhexia canescens* Bonpl., *Rhex.*, tab. 18, non tab. 6.

M. fruticosum ramosum; ramis ferrugineo-hirsutis; foliis petiolatis late elliptico-ovatis integerrimis utrinque sericeo-villosulis canescentibus quintuplinerviis; cymis plerumque trifloris axillaribus.

Folia ut plurimum 1 centim. longa, raro tantumdem lata. Calycis hirsuti dentes tubo breviores persistentes. Staminum 4 cum petalis alternantium antheræ acutissimæ fertiles, cauda pro genere brevi fere calcariformi sursum recurva; 4 petalis oppositorum antheræ abortivæ steriles, cauda in appendiculam brevem mutata. — In America meridionali secus flumen Amazonum et præsertim prope urbem *Purase*; Bonpland.

Species addendæ sed non omnes certæ; quædam fortassis sub aliis nominibus descriptæ:

20. M. OSBECKIOIDES. — *Grischowia osbeckioides* Karst., *l. c.*

21. M. MERIDENSE. — *Grischowia meridensis* Karst., *l. c.*

22. M. LINEATUM Ndn., *l. c.*

23. M. DEPPEANUM. — *Arthrostemma Deppeanum* Schlecht. et Cham., *Linn.*, V, 566.

24. M. FLORIBUNDUM. — *Arthrostemma floribundum* Schlecht., *Linn.*, XIII, 431.

Species ut videtur excludendæ:

M. dicranantherum Ndn., *l. c.* — HETEROCENTRON? DICRANANTHERUM.

H. Humboldtianum Knth., *Delect. semin. plant. hort. Berol.*, 1834. — HETEROCENTRON? HUMBOLDTIANUM.

(Mox sequetur.)

EXTRAIT DES **ANNALES DES SCIENCES NATURELLES**, TOME XV,
CAHIER N° 1.

MELASTOMACEARUM

QUÆ IN MUSÆO PARISIENSI CONTINENTUR

MONOGRAPHICÆ DESCRIPTIONIS

ET SECUNDÙM AFFINITATES DISTRIBUTIONIS

TENTAMEN.

(SEQUENTIA.)

Auctore **CAROLO NAUDIN**.

LIII. *MARCETIA*. Tom. XIV, tab. VII.

MARCETIÆ et CHÆTOSTOMATIS spec. DC. — Mart., *Nov. gen. et spec.*, III. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6205.

Flos 4-merus. Calyx campanulatus, dentibus subulatis tubum æquantibus sæpius persistentibus. Petala ovata obovatave ut plurimum acuminata rarius obtusa. Stamina 8 æqualia aut vix inæqualia, antheris subulatis subarcuatis 1-porosis, connectivo infra loculos sæpius immediate bilobo sed cum loculis coalito ideoque parum distincto. Ovarium liberum ovoideum 4-loculare rarius 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula subglobosa calyce vestita, 3-4-valvis. Semina cochleata.

Fruticuli et suffruticuli austro-americani ramosi sæpissime microphylli submicranthi; floribus axillaribus terminalibusque solitariis-ternis, nunquam paniculatis, roseis purpureis albis aut violaceis.

Genus excepta *M. carinata* quæ subheterogena est omnino naturale si ad Tetrameridem species Candollæanas *M. sertulariæ* et fortassis *M. excoriatæ* removeris.

Marcetia Lasiandralium americanarum seriem claudit, jam tribus sequentis habitum induens illique staminum fabrica fere conveniens; nec tamen solvitur seminum cochleatorum vinculum quo priori etiam arctius connectitur.

A. *Capsula 4-valvis ; dentes calycini persistentes ; connectivum infra loculos immediate bilobum. Species genuinæ.*

1. Marcetia latifolia †. Fig. 3.

M. suffruticulosa erecta parum ramosa pro genere macrophylla ; caule ramisque obtuse 4-gonis molliter hirsutis ; foliis petiolatis late ovatis interdumque subrotundatis acutis aut subobtusis argute serrulatis 3-nerviis, pagina utraque brevissime puberulis; floribus ad apices ramulorum terminalibus ternis.

Planta videtur suffrutescens. Folia 2 centim. longa, 1 $\frac{1}{2}$ lata, petiolo 4-5-millimetrali. Petala ferme sesquicentimetrum longa obovata obtusa. Antheræ lineari-subulatæ. — In Brasilia septentrionali prope *La Jacobina;* Blanchet.

2. Marcetia canescens †.

M. suffrutescens vel frutescens; ramis junioribus 4-gonis, vetustioribus excoriatis et glabratis; foliis brevissime petiolatis late ellipticis ovatisve subacutis serrulatis 3-nerviis, utraque pagina canescenti-tomentellis; floribus ad apices ramulorum solitariis-ternis.

Folia 5-8-millim. longa, 4-6 lata, petiolo vix millimetrali. Petala circiter foliorum magnitudine vel paulo majora obovata apice rotundata. Cætera ut in præcedente et reliquis. — In Brasilia septentrionali prope *La Jacobina;* Blanchet.

3. Marcetia andicola †.

M. frutescens ; ramis junioribus 4-gonis puberulis, vetustioribus excoriatis et glabratis ; foliis subsessilibus cordiformi-ovatis acutis integerrimis, marginibus revolutis ideoque primo intuitu sæpe triangularibus, 3 rarius 5-nerviis, utraque pagina tenuissime puberulis interdumque quasi glabratis ; floribus omnibus axillaribus solitariis, rarius binis aut ternis.

Folia ut plurimum 7 millim. circiter longa, rarius centimetralia, 5-6 vel paulo amplius lata, basi cordata, petiolo subnullo. Petala foliorum magnitudine ovata acuminata acuta. Cætera ut in reliquis. Ad *M. cordigeram* tendit sed distincta videtur. — In provincia *Merida* Reip. Venezuelensis, ad altitudinem 2300 metrorum; Funck et Schlim.

4. Marcetia cordigera DC., *Prod.*, III, p. 124.

M. fruticosa ramosissima; ramis junioribus 4-gonis puberulis, vetustioribus excoriatis glabratis; foliis sessilibus subsessilibusve triangulari-ovatis acutis basi sæpe cordatis, marginibus revolutis, integerrimis 3-nerviis utraque pagina glanduloso-puberulis; floribus axillaribus solitariis sæpe racemosis purpureis aut albis.

Frutex submetralis. Folia 5-7 millim. longa, 3-4 lata. Petala foliorum longitudine sed late ovata et acuminata. Species maxime variabilis tam statura et habitu quam vestitu et magnitudine foliorum, *M. andicolæ* proxima sed multo densius foliosa. Adsunt specimina quorum folia tam lata quam longa sunt, alia autem quorum omnino sunt linearia et angusta, imo in eodem specimine illas duas modificationes nonnunquam reperire est. Inde exortæ sunt quædam species Candollæanæ, scilicet: *M. taxifolia*, *glandulosa*, *pubescens* et fortassis nonnullæ aliæ quas ad *M. cordigeram* referendas censemus. — In provincia Brasiliæ australis *Minas geraes* locis sabulosis et aridis vulgatissima; Riedel, Vauthier, Claussen, Guillemin, Salzmann, Weddell; in Brasilia septentrionali, Blanchet; Guyana anglica, Schomburgk; Imperio Venezuelensi in montibus inter *Merida* et *Truxillo*, Linden.

5. Marcetia juniperina DC., *l. c.*

Præcedenti et præsertim varietati *taxifoliæ* simillima sed folia marginibus omnino revoluta sunt et tunc omnino acerosa videntur et acutissima. Nulla cæterum exstat differentia quoad staturam vestitum et florum fabricam, ideoque meram varietatem esse *M. cordigeræ* existimamus. — In imperio Venezuelensi prope *Cumana;* Bonpland.

6. Marcetia tenuifolia DC., *l. c.*

M. fruticulosa ramosissima; ramis vetustioribus tortuosis et excoriatis; foliis minutis patentim decussatis sessilibus acerosis (propter marginum revolutionem) incurvis 1-nerviis pube tomentiformi canescentibus; floribus axillaribus solitariis.

Planta a *M. cordigera* nisi foliis brevioribus et acerosis nullo modo distincta eique in posterum verisimiliter conjungenda. — In Brasilia meridionali, Martius, Vauthier, Claussen.

7. Marcetia denudata †.

M. fruticulosa fastigiato-ramosissima scopiformis, ad apices ramulorum densissime foliosa cæterum omnino denudata; ramis vetustioribus tortuosis excoriatis rubentibus; foliis sessilibus minutis 1-nerviis, marginum revolutione linearibus, obtusis canescenti-tomentellis; floribus ad apices ramulorum axillaribus terminalibusque subsolitariis.

Planta videtur semimetralis vel fortasse humilior. Folia 4 millim. longa, vix 1 lata cum marginibus revolutis. Floris partes ut in præcedentibus sed antheræ minus subulatæ et minus arcuatæ sunt et basi vix bilobæ. Planta sane affinis quibusdam varietatibus *M. cordigeræ* sed inter hanc et sequentem quasi media est ideoque nobis sat distincta habita. — In Brasilia septentrionali prope *La Jacobina*; Blanchet.

B. *Capsula 3-valvis; dentes calycini persistentes; connectivum infra loculos attenuatum nec bilobum et a loculis vix distinctum. Species genuina depauperata.*

8. Marcetia acerosa DC., *l. c.*, 125.

M. fruticulosa humilis cæspitose ramosa microphylla oligantha hirtella; caulibus basi decumbentibus; ramulis erectis; foliis sessilibus carnosulis oblongo-ovatis acutis tenuissime inter pubem punctulatis; floribus terminalibus solitariis purpureis.

Planta ericoidea 1-2-decimetralis, caulibus lignosis tortuosis excoriatis, pennæ columbinæ circiter crassitudine. Folia 2-3 millim. longa, 1 lata, subpatula cinerescentia immerse uninervia, marginibus incrassatis nec revolutis, ut ait celebratissimus Candollæus. Petala rotundato-obovata apiculata, basi fere in unguem brevissimum angustata. Stamina vix inæqualia, connectivo infra loculos brevissimo attenuato et a loculis ipsis difficile distincto. Capsula globosa 3-valvis. — In arenosis montium *Serra de Curmataliy*, provinciæ *Minas geraes;* Aug. de Saint-Hilaire.

C. *Capsula 3-valvis; dentes calycini demum decidui. Species generi subheterogena.*

9. MARCETIA CARINATA. — *Chætostoma tetrastichum* DC. — Mart., *Nov, gen.*, III, t. 264. — *Rhexia ericoides* Spreng. ex Cham.

M. fruticulosa ramosissima fere glaberrima; foliis sessilibus minutis carnosulis triquetris acerosis rigidis, facie superiore canaliculatis, inferiore carinatis, margine non revoluto breviter ciliolatis, cæterum glabris; floribus ad apices ramorum solitariis; capsulis 3-valvibus demum in dichotomia alaribus.

Fruticulus 1-2-decimetralis. Folia 3-4 millim. longa, vix 1 lata. Calycis dentes subulati distantes. Petala obovata subobtusa 5 millim. circiter longa. Stamina æqualia aut vix conspicue inæqualia, antheris fere rectis, connectivo infra loculos minime distincto. — In Brasilia septentrionali prope *Bahia;* Blanchet.

Species addenda;

10. M. EXCORIATA Mart., *Nov. gen.*, III, tab. 248, p. 102. An etiam *M. excoriata* DC.? Species fortasse ad *M. cordigeram* referenda.

Species exclusa:

M. sertularia DC. — TETRAMERIS SERTULARIA.

Species nobis ignotæ:

M. decussata DC. — An TETRAMERIS VISCIDULA?
M. tamariscina DC. — Fortassis mera *M. cordigeræ* varietas.

GENERA INCERTÆ SEDIS.

Genera sequentia nempe *Dionycha*, *Dichætanthera* et *Rousseauxia* quæ nobis imperfecte innotescunt, ad Lasiandralium tribum plurimis notis accedunt, ab ea quibusdam aliis recedunt. *Dionycham* antherarum fabrica antica basi calcar duplex gerentium pluribus Lasiandralibus imprimis autem Chætogastris di-

centris analogam facit, dum *Rousseauxia* Chætogastris adesmiis respondet, sed neutrius semina quæ ad condendam generum ordinationem tanti sunt momenti cognoscimus. Nec minus ludit *Dichætanthera* quæ antheris, nescimus quo pacto, Melastomatis, Appendiculariæ imo et Dissochætæ structuram æmulari videtur, seminibus autem ambiguis quodammodo Lasiandrales Miconialibus connectit. Donec ergo arctiorem consanguinitatem manifestam faciat occasio, hæc tria ad Lasiandralium calcem collocabimus.

LIV. *DIONYCHA.* † Tom. XIV, tab. VII, fig. 4.

Flos 4-merus. Calycis dentes magni subrotundati apiculati tubum campanulatum longitudine æquantes caduci. Petala obovato-subrotunda retusa. Stamina 8 æqualia, antheris rectis vel parum arcuatis 1-porosis, connectivo infra loculos non aut vix conspicue producto sed antice in appendices duas calcariformes divergentes diviso. Ovarium semiadhærens apice libero villosulum umbilicatum 4-loculare. Stylus crassiusculus, stigmate punctiformi. Fructus ignotus.

Frutex madagascariensis, ramis supremis pulverulento-hirtis, vetustioribus glabratis; foliis petiolatis late ovatis apiculatis aut subobtusis basi cordatis integerrimis 9-11-*nerviis, pagina superiore villosis, inferiore canescenti-tomentosis; floribus ad apices ramorum paniculæ brevis corymbiformis glomeratis involucratis sessilibus.*

Genus cum Dichætanthera non confundendum.

1. Dionycha Bojerii †.

Folia 5-6 centim. et fortasse amplius longa (suprema tantum suppetebant), 4 lata, petiolo circiter centimetrali. Involucri bracteæ sæpius binæ concavæ subcucullatæ obtusissimæ extus setuloso-pulverulentæ. Petala circiter 2 centim. longa et lata. — In insula Madagascaria a clar. Bojer. lecta.

LV. *DICHÆTANTHERA*. Tom. XIV, tab. VII, fig. 4, 5.

DICHÆTANTHERA, Endlich., *Gen. plant.*, n° 6227. — ROUSSEAUXIÆ spec. DC. — MELASTOMA, Desr. in Lamk., *Dict.*, IV, p. 56.

Flos 4-merus. Calycis campanulati dentes breves obtusi. Petala late obovata retusa subinæquilatera. Stamina 8 alternatim inæqualia uniporosa; 4 majorum antheris lineari-subulatis subrectis, connectivo infra loculos longissime producto filiformi arcuato, ultra filamenti insertionem antice in appendicem biaristatam porrecto; minorum subulatis sigmoideis, connectivo infra loculos subnullo sed ultra filamenti insertionem appendice profunde bifida vel potius biaristata ut in majoribus terminato. Ovarium subglobosum 4-lobum ad medium usque costis 8 adhærens 4-loculare. Stylus filiformis sigmoideus vel hamosus, stigmate punctiformi. Capsula calyce vestita 4-valvis. Semina clavato-incurva nonnihilque reniformia.

Frutex madagascariensis, ramis articulatis vel potius nodosis sparse strigillosis; foliis petiolatis lanceolatis integerrimis 3-nerviis, pagina superiore glabris, inferiore setuloso-scabrellis; floribus ad apices ramorum in paniculas paucifloras dispositis.

1. DICHÆTANTHERA ARTICULATA Endlich., *l. c.* — *Melastoma articulata* Desr., *l. c.* — *Rousseauxia articulata* DC., III, 153. — Fortassis etiam *Melastoma madagascariense* DC., *l. c.*, p. 147.

Folia 10-12 centim. longa, 2-3 lata, subacuminata, petiolo circiter centimetrali. Petala sesquicentimetrum longa et lata. Stamina 4 cum petalis alternantia cæteris ferme duplo majora. — In insula Madagascaria; Commerson, Chapelier.

LVI. *ROUSSEAUXIA*. Tom. XIV, tab. VII, fig. 6.

ROUSSEAUXIA, Endlich., *Gen.*, n° 6226. — ROUSSEAUXIÆ, spec. DC. — MELASTOMA Desrouss. in Lamk., *Dict.*, IV, p. 50.

Flos 4-merus. Calycis dentes ovati acuti tubum oblongo-campanulatum æquantes. Petala obovata apice rotundata. Stamina 8 æqualia aut vix inæqualia, antheris subulatis 1-porosis,

connectivo non producto. Ovarium basi costis nonnihil adhærens ovoideum apice setis coronatum 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus verisimiliter capsula 4-valvis. Semina ignota.

Frutex madagascariensis a Chætogastris sectionis Adesmiæ characteribus floris fere nullo modo discrepans, habitu autem diversus et ob patriam ab America æquinoctiali remotissimam ad aliud genus removendus ; distinguitur ramis supremis articulatis. foliis petiolatis ovatis obovatisve acutis obsolete serrulatis 3-nerviis glabris, floribus ad apices ramorum paucis fere paniculatim dispositis.

1. Rousseauxia chrysophylla DC., III, 153. — Endlich., *l. c.* — *Melastoma chrysophylla* Desr., *l. c.*

Folia utraque pagina sed inferiore præsertim flavicantia, circiter 3-5 centim. longa, 1 ½-2 lata, petiolo ferme centimetrali. Petala sesquicentimetrum longa, colore ignoto sed fortasse flava sicut et antheræ. — In insula Madagascaria ; Commerson.

Hic etiam, donec melius innotescat, species *Melastomatis cymosi* DC., collocanda est, quam sub nomine sequente recipiendam proponimus.

LVII. *AMPHIBLEMMA*. Tom. XIV, tab. VII, fig. 7.

Flos 5-merus. Calycis tubus oblongo-campanulatus, limbus dilatatus membranaceus mollis, dentibus triangularibus subacutis paulo infra apicem denticulo externo minuto instructis. Petala ovata aut obovata apiculata. Stamina 10 alternatim inæqualia et heteromorpha ; antheris lineari-subulatis 1-porosis, 5 majorum connectivo infra loculos longe producto arcuato gracili ultra filamenti insertionem in appendicem truncatam aut saltem obtusam porrecto, minorum infertilium infra loculos nullo aut subnullo. Ovarium toto ambitu et fere usque ad apicem adhærens 5-loculare apice membranula marginatum. Stylus filiformis, stigmate obtuso punctiformi. Placentæ productæ lamelliformes. Fructus ignotus.

Frutex, ut videtur, guineensis; ramis tetraedris; foliis cor-

diformibus acutis imo et acuminatis serrato-denticulatis 7-nerviis ; floribus in cymas corymbosas terminales dispositis, rubris aut roseis.

1. Amphiblemma cymosum. — *Melastoma cymosum* DC., III, 147. — Ventenat, *Hort. Malm.*, tab. 14. — Schrader, *Sert. Hannover.*, tab. X. — Loiseleur, *Herb. de l'amat.*, tab. 135. — *Melastoma corymbosa* Sims, *Bot. mag.*, 904.

Planta circiter metralis, parum ramosa. Folia sparse pilosula, 5-8 centim. longa, 4-7 lata, petiolo 1-3-centimetrali. Ramuli floriferi corymborum subscorpioidei. Speciem americanam reputavere Schraderius et Ventenatius, alii auctores, scilicet Afzelius et Simsius, quorum quidem sententia nobis probatur, africanam perhibent. Si cochleata sint semina ut in plerisque aliis Lasiandralium generibus, locum in systemate hocce novum genus inter Tristemma et Argyrellam obtinebit. Nomen ductum a vocibus ἀμφὶ et βλέμμα propter characteres ambiguos floris hinc ad Lasiandrales, illinc ad Miconiales spectantis.

EXPLICATIO ICONUM.

Tom. XII.

Tabula XII.

I. Stenodon suberosus.

a. Calyx absque corolla. — *b*. Idem longitudinaliter sectus ad ostendendum ovarium. — *c*. Petalum. — *d*. Stamina nonnihil inæqualia et fere rostellata. — *e*. Ovarium transversim resectum. — *f*. Capsula calyce nudata, loculicide 4-valvis. — *g*. Semina irregulariter incurva.

II. Onoctonia calcarata.

a. Calyx longitudinaliter fissus et explicatus ut appareant stamina alternatim majora et minora. — *b*. Petalum. — *c*. Capsula libera, 2-valvis. — *d*. Semina reniformia subcochleata.

III. Onoctonia pauciflora.

a. Petalum. — *b*. Stamina majora; unum ab antica facie, alterum a latere visum. — *c*. Stamen unum e minoribus, fortassis sterile.

IV. Onoctonia crassipes.

a. Petalum. — *b*. Stamina duo e majoribus. — *c*. Stamen unum e minoribus.

Tabula XIII.

I. Noterophila pusilla.

a. Calyx longitudinaliter fissus, ut patefiant stamina majora et minora. —

b. Petalum. — *c*. Stamen unum e majoribus fertile. — *d*. Idem e minoribus efœtum. — *e*. Ovarium in calice liberum. — *f*. Idem transversim sectum, biloculare. — *g*. Semina reniformia.

II. Dicrananthera Hedyotidea.

a. Calyx. — *b*. Idem longitudinaliter sectus ovarium liberum stylumque sigmoideum et subclavatum ostendens. — *c*. Unum e majoribus staminibus. — *d*, duo e minoribus. — *e*. Ovarii sectio transversalis — *f*. Semina cochleata.

III. Dicrananthera Salzmanni.

a. Petalum. — *b*. Stamina duo e majoribus. — *c*. Stamen unum e minoribus. — *d*. Ovarii sectio transversalis. — *e*. Semina cochleata.

Tabula XIV.

I. Nepsera aquatica.

a. Flos apertus integer. — *b*. Petalum seorsim visum. — *c*. Stamen unum e majoribus. — *c'*. Alterum e minoribus. — *d*. Ovarium in tubo calycis liberum, triloculare. — *e*. Idem transversim sectum. — *f*. Semina matura.

II. Desmoscelis villosa.

a. Flos apertus integer. — *b*. Idem longitudinaliter sectus, petalis staminibusque nudatus. — *c*, *c'*. Stamina duo quorum unum e majoribus, alterum e minoribus. — *d*. Ovarium transversim sectum, 5-loculare. — *e*. Semina.

III. Ernestia tenella.

a. Flos apertus integer. — *b*. Ovarium in calycino tubo liberum. — *cc*. Stamina majora. — *c'*. Stamen unum e minoribus. — *d*. Ovarium transversim resectum, 4-loculare.

IV. Dichætandra Goudotii.

a. Flos apertus integer. — *b*. Calyx longitudinaliter sectus ovarium in tubo liberum exhibens. — *cc'*. Stamina inæqualia. — *d*. Ovarium transversim sectum, 4-loculare.

V. Appendicularia Thymifolia.

a. Calyx tubo 8-costato. — *b*. Petalum. — *cc*. Stamina duo e majoribus. — *c'*. Unum e minoribus. — *d*. Ovarium in tubo calycino liberum. — *e*. Capsula trilocularis, apice trivalvis. — *f*. Semina cochleata.

VI. Oreocosmus monticola.

a. Flos apertus integer. — *b*. Calyx corolla genitalibusque nudatus. — *cc'*. Stamina inæqualia. — *d*. Ovarium transversim sectum, 5-loculare.

VII. Lasiandra macrophylla.

a. Flos integer apertus. — *a'*. Calyx seorsim visus. — *b*. Petalum. — *cc'*. Sta-

mina inæqualia sed conformia et in extrema connectivi productione glandulifera. — *d*. Ovarium longitudinaliter sectum, inferne calyci adhærens. — *e*. Idem transversim resectum, 5-loculare. — *f*. Semina cochleata

Tabula XV.

VIII. Pterogastra minor. — Tabula plantam totam floriferam exhibet.

a. Calix seorsim visus alis brevibus serrato-setosis in angulis ornatus. — *b*. Petalum. — *cc'*. Stamina inæqualia. — *d*. Calyx longitudinaliter apertus cum ovario libero setis aliquot glanduliferis coronato. — *e*. Ovarium transversim resectum 4-loculare. — *f*. Columella e capsula matura extracta, placentas securiformes exhibens et setas glanduliferas apice retinens. — *g*. Semina.

IX. Lasiandra Moricandiana.

a. Calyx. — *b*. Petalum. — *c*. Stamen unum e majoribus, in extrema connectivi productione necnon in filamento glanduliferum. — *cc'*. Stamina duo e minoribus, connectivum antica basi bicalcaratum exhibentia.

X. Lasiandra barbigera.

a. Calyx setis squamiformibus armatus. — *b*. Petalum. — *cc'*. Stamina inæqualia, in ima basi connectivi necnon in medio filamento pariter barbigera.

Tom. XIII.

Tabula V.

I. Melastoma repens.

a. Flos apertus integer. — *b*. Stamina duo, unum e majoribus, alterum e minoribus. — *c*. Petalum. — *d*. Ovarium integrum. — *e*. Ovarium transversim sectum. — *f*. Semina.

II. Melastoma taitense.

a. Calyx integer. — *b*. Petalum. — *c*. Stamina duo, unum e majoribus, alterum e minoribus. — *d*. Ovarium integrum. — *e*. Idem resectum. — *f*. Semina.

III. Melastoma Gaudichaudianum.

a. Calyx integer ad naturam delineatus. — *b*. Stamina duo maxime inæqualia et heteromorpha.

IV. Melastomastrum erectum.

a. Calyx integer. — *b*. Petalum. — *c*. Stamina duo e majoribus. — *d*. Stamen unum e minoribus. — *e*. Ovarium longitudinaliter sectum. — *f*. Idem transversim divisum. — *g*. Semina.

V. Tristemma virusanum.

a. Summitas ramuli floriferi capitulum pauciflorum involucratumque necnon foliorum formam ostendens. — *b*. Flos integer apertus calycis fabricam præsertim demonstrans. — *c*. Stamina duo, unum ex alternantibus cum

corolla, alterum ex oppositis. — *d*. Ovarium longitudinaliter divisum. — *e*. Idem transversim resectum. — *f*. Semina.

Tabula VI.

VI. Tristemma Schumacheri.

a. Capitulum folia suprema, involucri bracteolas et florum dispositionem ostendens. — *b*. Calyx integer post anthesim. — *c*. Stamina duo e majoribus seu cum corolla alternantibus. — *d*. Unum e minoribus. — *e*. Ovarium longitudinaliter divisum. — *f*. Idem transversim sectum. — *g*. Semen cochleatum.

VII. Argyrella incana.

a. Paniculæ fragmentum flore uno aperto, alabastris et foliis duobus quorum unum paginam superiorem, alterum inferiorem ostendit, ornatum. — *b*. Calyx integer. — *c*. Petalum. — *d*. Stamina duo, unum e majoribus, alterum e minoribus. — *e*. Ovarium integrum cum stylo et stigmate. — *f*. Idem transversim sectum.

VIII. Arthrostemma heterostemon.

a. Plantæ integræ ad naturam delineatæ specimina duo. — *b*. Calyx integer multoties auctus. — *c*. Petalum. — *d*. Stamina duo e fertilibus magnopore aucta. — *e*. Unum ex abortivis pariter auctum. — *f*. Ovarium integrum. — *g*. Ejusdem sectio transversalis. — *h*. Semen cochleatum.

IX. Arthrostemma Weddellianum.

a. Calyx integer. — *b*. Petalum. — *c*. Calycis limbus sursum visus ut appareant pili penicillati cum dentibus alternantes. — *d*. Ovarium integrum. — *e*. Stamina duo subæqualia. — *f* Ovarii sectio transversalis. — *g*. Semen.

X. Osbeckia antherotoma.

a. Calyx integer. — *b*. Idem antica parte lacerus ut ovarium patefaciat. — *c*. Stamina duo, unum e majoribus, alterum e minoribus. — *d*. Petalum. — *e*. Ovarii sectio transversalis. — *f*. Semen cochleatum.

Tabula VII.

I. Osbeckia brachystemon.

a. Calyx sursum visus ut manifestentur pili quatuor penicillati cum dentibus alternantes. — *b*. Calyx a latere visus. — *c*. Petalum. — *d*. Stamina. — *e*. Calycis cum ovario adhærentia. — *f*. Ovarii sectio transversalis. — *g*. Semina.

II. Osbeckia Nepaulensis.

a. Calyx integer. — *b*. Stamina æqualia. — *c*. Calycis cum ovario adhærentia. — *d*. Ovarii sectio transversalis.

III. Osbeckia Perrottetii.

a Flos apertus monopetalus 4-lobus. — *b*. Calyx integer. — *c* Corolla monopetala staminigera uno latere dissecta et explicata. — *d*. Stamina æqualia. — *e*. Calyx dentibus caducis nudatus et ad medium longitudinaliter truncatus ut ovarii adhærentiam et formam patefaciat. — *f*. Ovarii sectio transversalis.

IV. Osbeckia linearis.

a. Calyx integer ante floris explicationem squamis setigeris duplici serie ordinatis instructus. — *b*. Una e squamis quatuor superioribus cum calycinis dentibus alternantibus. — *c*. Altera e squamis inferioribus. — *d*. Dens calycinus seorsim visus. — *e*. Petalum. — *f*. Stamina subæqualia. — *g*. Calycis cum ovario adhæsio et dentes a tubo secedentes. — *h*. Capsula submatura. — *i*. Ovarii sectio transversalis. — *j*. Semen cochleatum.

V. Osbeckia Zanzibariensis.

a. Calyx integer. — *b*. Stamen unum e majoribus. — *c*. Alterum e minoribus. — *b*. Ovarii cum calyce adhæsio. — *e*. Ejusdem sectio transversalis locellos staminum simul demonstrans.

VI. Osbeckiastrum Heudelotii.

a. Calyx dentibus mature caducis jam nudatus. — *b*. Pilus calycinus seorsim visus. — *c*. Petalum. — *d*. Unum e staminibus majoribus. — *e*. Alterum e minoribus. — *f*. Ovarii cum calyce adhæsio. — *g*. Ejusdem sectio transversalis. — *h*. Semina.

Tabula VIII.

I. Nerophila gentianoides.

a. Planta integra ad naturam delineata. — *b*. Flos apertus. — *c*. Calyx seorsim visus. — *d*. Petalum. — *e*. Stamina æqualia aut subæqualia. — *f*. Ovarium liberum apice setulosum. — *g*. Ejusdem sectio transversalis. — *h*. Semina nondum matura.

Tom. XIV.

Tabula IV.

I. Tetrameris trivalvis.

a. Calyx integer. — *b*. Idem longitudinaliter sectus. — *c*. Petalum. — *d*. Stamina majora. — *e*. Unum e minoribus. — *f*. Ovarii sectio transversalis. — *g*. Semen. — *h*. Folium.

II. Tetrameris viscidula.

a. Rami foliis instructi fragmentum. — *b*. Calyx integer. — *c*. Idem longitudinaliter sectus. — *d*. Petalum. — *e*, *f*. Stamina inæqualia. — *g*. Ovarium transversim sectum. — *h*. Semina.

III. Chætogastra bicolor.

a. Calyx integer. — *b*. Idem longitudinaliter sectus. — *c*. Petalum. — *d*. Stamina subæqualia. — *e*. Ovarii sectio transversalis.

V. Chætogastra hermannioides.

a. Flos integer in anthesi. — *b*. Calyx longitudinaliter divisus. — *c*. Petalum. — *d*. Stamina subæqualia. — *e*. Ovarii sectio transversalis.

V. Chætogastra stricta.

a. Calyx integer. — *b*. Idem cum ovario longitudinaliter sectus. — *c*. Petalum. — *d*. Stamina æqualia. — *e*. Ovarii sectio transversalis.

VI. Chætogastra Bonplandiana.

a. Calyx integer. — *b*. Idem resectus. — *c*. Petalum. — *d*. Stamina æqualia, connectivi appendiculis destituta. — *e*. Sectio ovarii transversa.

VII. Chætogastra nigritella.

a. Ramuli fragmentum foliis duobus ornatum. — *b*. Calyx integer. — *c*. Idem resectus. — *d*. Petalum. — *e*. Stamina æqualia. — *f*. Ovarii sectio transversalis.

VIII. Castratella piloselloides.

a. Folium. — *b*. Flos apertus. — *c*, *d*. Calyx. — *e*. Petalum. — *f*. Stamina æqualia. — *g*. Ovarii sectio transversalis.

Tabula V.

I. Spennera panicularis.

a. Folium. — *b*. Calyx integer. — *c*. Idem longitudinaliter sectus. — *d*. Petalum. — *e*. Stamina æqualia, connectivo infra loculos producto insignia. — *f*. Ovarii sectio transversa. — *g*. Semina.

II. Spennera sphæranthera.

a. Calyx integer. — *b*. Petalum. — *cc*. Stamina æqualia antice a latere et a dorso visa. — *d*. Ovarii sectio longitudinalis. — *e*. Ejusdem sectio transversa. — *f*. Semina.

III. Chætolepis alpina.

a. Ramuli floriferi summitas. — *b*. Calyx integer. — *c*. Petalum. — *d*. Stamina subæqualia. — *e*. Ovarium integrum. — *f*. Ejusdem sectio transversa. — *g*. Semina.

IV. Haplodesmium Lindenianum.

a. Ramuli floriferi fragmentum. — *b*. Calyx integer. — *c*. Idem longitudinaliter sectus. — *d*. Petalum. — *e*. Stamina æqualia. — *f*. Ovarium transversim resectum. — *g*. Semina.

V. Heeria procumbens.

a. Pars ramuli floriferi. — *b*. Petalum. — *cc*. Stamina duo e majoribus. — *d*. Duo e minoribus. — *e*. Ovarium integrum. — *f*. Idem transversim sectum. — *g*. Semen.

TABULA VI.

GUYONIA TENELLA.

a. Planta integra ad naturam delineata. — *b*. Flos integer apertus auctus. — *c*. Calyx. — *d*. Petalum. — *e*. Stamina. — *f*. Ovarium longitudinaliter sectum, stylus et stigma capitellatum. — *g*. Ovarii sectio transversalis. — *h*. Semen.

TABULA VII.

I. HETEROCENTRON UNDULATUM.

a. Folium Heterocentri penninervium. — *b*. Calyx. — *c*. Petalum. — *d*. Stamina majora et minora heteromorpha. — *e*. Ovarium liberum. — *f*. Idem transversim sectum. — *g*. Semen.

II. HETERONOMA CUBENSE.

a. Calyx. — *b*. Petalum. — *c*, *d*. Stamina inæqualia et heteromorpha. — *e*. Ovarium maxima parte adhærens. — *f*. Ejusdem sectio transversa. — *g*. Semen.

III. MARCETIA LATIFOLIA.

a. Ramuli floriferi summitas folia alabastra et florem explicatum ostendens. — *b*. Petalum. — *c*. Stamina æqualia et conformia. — *d*. Ovarium liberum. — *e*. Ejusdem sectio transversa. — *f*. Semen.

IV. DIONYCHA BOJERII.

a. Calyx. — *b*. Petalum. — *c*. Stamina conformia, unum antice, alterum a latere visum. — *d*. Ovarium post anthesim longitudinaliter sectum, semi-adhærens et calycis dentibus deciduis jam orbum. — *e*. Idem transversim sectum.

V. DICHÆTANTHERA ARTICULATA.


a. Calyx. — *b*. Petalum. — *cc*. Stamina duo e majoribus. — *d*. Unum e minoribus. — *e*. Ovarium 4-lobum, calycino tubo septis tantum adhærens. — *f*. Ejusdem sectio transversa. — *g*. Semina.

VI. ROUSSEAUXIA CHRYSOPHYLLA.

a. Calyx. — *b*. Petalum. — *c*. Stamina æqualia exappendiculata. — *d*. Ovarium liberum. — *e*. Idem transversim sectum.

VII. AMPHIBLEMMA CYMOSUM.

a. Calyx integer denticulos sub apice dentium insidentes ostendens. — *b*. Petalum. — *c*. Stamina duo e majoribus. — *d*. Unum e minoribus abortivis. — *e*. Ovarium adhærens et apice membranula coronatum. — *f*. Ejusdem sectio transversalis loculorum numerum ostendens.



A. *Gravesia bartolonioides.* B. *Astronia macrophylla.*
C. *Enmyckia cyanea.* D. *Spathandra cærulea.*
E. *Mouriria brevipes.*

Mme Douliot sc.

V. Rémond imp.



C. Naudin del. M.me Douliot sc.

Meissneria microlicioides


N. Rémond imp.



C. Naudin del. Mme Douliot sc.

I. *Stenodon suberosus.* II. *Onoctonia calcarata.* III. *Onoctonia pauciflora.*
IV. *Onoctonia crassipes.*

N. Rémond imp.



C. Naudin del. Mme Douliot sc.

I. *Noterophila pusilla*. II. *Dicranathera Hedyotidea*. III. *Dicrananthera Salzmanni*.

N. Rémond imp.



C. Naudin del. Mme Pouliot sc.

I Nepsera aquatica. II Desmoscelis villosa. III Ernestia tenella. IV Dichætandra Goudotii. V Appendicularia Thymifolia. VI Oreocosmus monticola. VII Lasiandra macrophylla.

N. Rémond imp.



VIII

IX X

C. Naudin del. Mme Douliot sc.

VIII *Pterogastra minor.* IX *Lasiandra Moricandiana.* X *Lasiandra barbigera.*




I. *Melastoma repens.* II. *Melastoma taitense.* III. *Melastoma Gaudichaudianum*
IV. *Melastomastrum erectum.* V. *Tristemma virusanum.*

Ch. Naudin del. *N. Rémond imp.* *Mme Douliot sc.*



VI. *Tristemma Schumacheri.* VII. *Argyrella incana.* VIII. *Arthrostemma heterostemon.*
IX. *Arthrostemma Weddellianum.* X. *Osbeckia antherotoma.*

Ch. Naudin del. N. Rémond imp. Mme Poulot sc.



C. Naudin del. Mme Douliot sc.

I. *Osbeckia brachystemon.* II. *Osbeckia nepaulensis.*
III. *Osbeckia Perrottetii.* IV. *Osbeckia linearis.*
V. *Osbeckia zanzibariensis.* VI. *Osbeckiastrum Heudelotii.*

X Rémond imp.



1.

C. Naudin del. Mme Douliot sc.


1. *Nerophila gentianoides.*

N. Rémond imp



I *Tetrameris trivalvis*. II *Tetrameris viscidula*.
III *Chætogastra bicolor*. IV *Chætogastra Hermannioides*.
V *Chætogastra stricta*. VI *Chætogastra Bonplandiana*.
VII *Chætogastra Nigritella*. VIII *Castratella Piloselloides*.

N. Rémond imp.



I *Spennera panicularis.* II *Spennera sphæranthera.*
III *Chætolepis alpina.* IV *Haplodesmium Lindenianum.*
V *Heeria procumbens.*


N. Rémond imp.



C. Naudin del. Mme Douliot sc.

Guyonia tenella.

N. Rémond imp.



C. Naudin del. Mme Douliot sc.

I *Heterocentron undulatum.* II *Heteronoma cubense.* III *Marcetia latifolia.*
IV *Dionycha Bojerii* V *Dichætanthera articulata.* VI *Rousseauxia chrysophylla.*
VII *Amphiblemma cymosum.*

N. Rémond imp.

Tribus III. — PYRAMIALES.

Calycis dentes simplices aut nervo medio incrassato et prominente instructi ideoque quasi duplicati. Antheræ lineares aut lineari-subulatæ basifixæ 1-porosæ; connectivo infra loculos non producto, postice interdum tuberculato aut calcare tenui armato. Fructus capsularis valvis loculicide dehiscens. Semina dimidiato-ovoidea aut irregulariter pyramidata, raphe laterali hinc excurrente lineata, rarius cochleata.

In tribum artificialem olim fortasse delendam aut saltem emendandam genera tria americana consociavimus quorum affinitates melius sentire nondum licuit. *Pyramia* et *Cambessedesia* quidem sibi invicem recte junguntur et, nisi obstaret seminum fabrica, a Marcetia tribus præcedentis non discederent. Ab illis remotior est *Rhexia* quam propter ambiguos characteres faciemque propriam nulla alia voluit recipere tribus. In hoc tamen tria genera consentiunt nempe antheris elongatis et basifixis necnon fructu capsulari.

Conspectus generum.

Pyramia.
Cambessedesia.
Rhexia.

LVIII. *PYRAMIA*. Tab. III.

Pyramia Chamisso, *Linn.*, IX, 458. — Osbeckiæ spec. sectionis *Microlepis* DC. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6180.

Flos 5-merus. Calycis dentes tubo breviores persistentes. Petala ovata vel obovata. Stamina 10 subæqualia; antheris lineari-subulatis subtetragonis 1-porosis, connectivo infra loculos nullomodo producto, postice ad basim nonnihil incrassato, filamentis glabris aut parce pilosulis. Ovarium ima basi adhærens, cæterum liberum, 5-loculare. Stylus sigmoideus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula 5-valvis. Semina ignota.

Frutices austro-brasiliani monticolæ; floribus ad apices ramo-

rum glomeratis, demum in dichotomia alaribus, violaceis purpureis aut aurantiacis.

Genus sat naturale, Cambessedesiæ tamen proximum a qua recedit ovario 5-loculari.

1. Pyramia salviæfolia Cham., *l. c.*, 458. — Fig. A.

P. dichotome ramosa; ramis hornotinis tomentoso-hirsutis ferrugineis foliosis, vetustioribus nudatis et sæpe excoriatis; foliis petiolatis ovatis obtusis tenuiter crenulatis aut integerrimis trinerviis tomentellis, pagina superiore virescente immerse reticulata, inferiore canescente inter nervulos reticulatim prominulos foveolata; cymis 3-7-floris terminalibus, fructiferis alaribus.

Frutex nobis ramo unico cognitus. Folia 3-4 centim. longa, 1 ½-2 lata, petiolo 4-8-millimetrali. Calyx oblongo-campanulatus tomentoso hirsutus rufescens, dentibus late ovatis glanduloso-ciliatis tubo subtriplo brevioribus. Petala obovata ciliolata, centimetrum et quod excedit longa, in sicco specimine purpurea. Antheræ subarcuatæ luteæ, dorso nigrescentes, filamentis pube parca glandulifera ornatis — In montibus dictis *Serra do Frio* provinciæ *Minas geraes*; Vauthier.

2. Pyramia pityrophylla Cham., *l. c.* — *Osbeckia pityrophylla* DC.

P. ramosissima floribunda submicrantha; ramis supremis canescenti-tomentosis, annotinis glabratis moxque excoriatis; foliis petiolatis ovato-oblongis subellipticisque, obtusis et subacutis, obsolete crenulatis aut integerrimis, lateribus sæpe revolutis, 3-nerviis, coriaceis, pagina superiore glabrata nitente, inferiore tomentoso-candicante; paniculis terminalibus contractis densifloris, glomerulos fere mentientibus; floribus aurantiacis.

Frutex circiter metralis, erectus; ramis foliorum forma et indole *Oleæ europeæ* ramos in mentem revocantibus. Folia 3-4 centim. longa, 1 sæpius lata, petiolo circiter semicentimetrali. Paniculæ ad glomerulos paucifloros interdum reductæ, sæpius floribundæ, tomentoso-canescentes. Calycis dentes subulati, tubo fere duplo breviores. Petala obovata acuminata, 5 millim. longa. Antheræ subtetragonæ subrectæ, ut petala au-

rantiacæ, filamentis glabris. Inflorescentiæ fructiferæ demum alares. — In montosis aridis provinciæ *Minas geraes;* Claussen, Riedel, Martius.

3. PYRAMIA STRIATELLA †.

P. fruticosa ramosissima submicrantha, viscidula?; ramis supremis pulverulento-tomentellis, vetustioribus excoriatis; foliis petiolatis elliptico-ovatis utrinque subacutis subobtusisque integerrimis aut rarius obsolete crenulatis 3-nerviis, pagina superiore cito glabrata vernicosis, inferiore tomentellis; cymis paucifloris terminalibus; calycibus striolatis.

Planta *P. pityrophyllæ* vicina, notis pluribus tamen facile distinguenda. Si ex unico specimine et quidem incompleto quod nobis parca manu clarissimus inventor largitus est discendi sunt characteres totius speciei, hos habebimus: folia 1 ½-2 rarius 3 centim. longa, 8-15 millim. lata, petiolo 2-5-millimetrali. Florum glomeruli 3-7-flori. Calycis dentes subulati tubo oblongo 10-striolato duplo breviores. Petala non suppetebant, sed ea, quoad fabricam et colorem, *P. pityrophyllæ* petalis similia suspicamur. Antheræ subrectæ, subtetragonæ, loculis basi antice bilobis, connectivo postice pariter bilobo, unde antheræ ipsæ basi quadrilobæ evadunt. Ovarium oblongum, apice angustato villosulum, basi adhærens. — In Brasilia australi; Aug. de Saint-Hilaire.

LIX. *CAMBESSEDESIA.*

CAMBESSEDESIÆ spec. DC. *Prod.*, III. — CAMBESSEDESIA Mart., *Nov. gen.* III, 125. — Endlich., *Gen. plant.*, n 6185. — RHEXIÆ spec. Bonpl.

Flos 5-merus. Calycis dentes tubo breviores aut tubum rarius æquantes. Petala ovata aut obovata apiculata vel acuminata. Stamina 10 inæqualia subæqualiave, antheris lineari-subulatis 1-porosis incurvis basi sæpe bilobis imove bifurcis, connectivo autem infra loculos nullo. Ovarium liberum aut ima basi adhærens ovoideum apice villosulum 3-loculare. Capsula 3-valvis. Semina angulato-pyramidata nonnihil incurva sed non cochleata.

Frutices fruticuli et suffruticuli austro-brasiliani, simplices aut ramosi, sæpius microphylli, submicranthi; floribus axillaribus terminalibusque, solitariis aut aggregatis interdumque subcorymbosis, flavis aurantiacis rubris aut purpureis.

1. Cambessedesia Weddellii †.

C. suffruticosa erecta tota hirto-puberula ; caulibus simplicibus ; foliis ternatis brevissime petiolatis subsessilibusque ut plurimum orbiculatis basi cordatis apice obtusissimis ciliato-serrulatis 5-nerviis reticulatis ; floribus ad apices ramulorum axillarium solitariis-ternis rubris.

Planta circiter semimetralis, radice lignosa. Folia 1 ½ centim. longa et lata, in eodem jugo ternata (an semper?). Calyx campanulatus, dentibus latis vix apiculatis tubo pilis glanduliferis ornato multo brevioribus. Petala obovato-orbiculata glanduloso-ciliata, 8 millim. circiter longa et lata. Stamina subæqualia, filamentis complanatis. Occurrunt flores 4-meri et tunc ovarium 2-loculare est. Species non confundenda cum *C. late-venosa* et *C. purpurata* DC. et Mart. a quibus differ foliis ternatis, inflorescentia et dentibus calycinis minime subulatis. — In fruticetis camporum provinciæ *Minas geraes*; Weddell.

2. Cambessedesia corymbosa DC., *l. c.*, 110.

C. fruticosa ramosa; ramis junioribus 4-gonis ; foliis breviter petiolatis ovato-ellipticis obtusis rarius subacutis obsolete serrulatis 3-5-nerviis, pagina superiore glabris, inferiore tomentellis ; floribus ad apices ramorum cymoso-corymbosis aurantiacis ; cymis fructiferis demum in dichotomia alaribus aut lateralibus.

Frutex circiter metralis. Folia 2-3 centim. longa, 1-1 ½ lata, petiolo 2-5-millimetrali. Bracteolæ florales lanceolatæ acutæ glabræ. Calycis dentes subulati tubum æquantes. Petala ovato-acuminata aurantiaca basi purpurea et fortassis aliquando omnino rubra ut ait Candollæus. Staminum filamenta non in medio articulata uti affirmat ille celeberrimus auctor. Ovarium apice dissectum. — In campis aridis rupestribusque provinciæ *Minas geraes*; Dupré, Riedel, Gaudichaud, Claussen, Martius.

3. Cambessedesia terminalis †.

C. fruticulosa erecta ramosa microphylla ; ramis tetragonis parce setulosis subglabrisque ; foliis (adjectis foliolis utriusque gemmæ axillaris) fasciculatis breviter petiolatis elliptico-lanceolatis utrinque acutis argute infra apicem serrulatis 3-ner-

viis glabris; floribus ad apices ramorum glomeratis paucis bicoloribus.

Fruticulus circiter semimetralis vel humilior. Folia vix 1 centimetrum longa, 3 millim. lata, petiolo 1-2-millimetrali. Calycis oblongi setulosi dentes lati acuti tubo multo breviores. Petala late ovata apiculata 6 millim. longa, flava, basi rubro maculata. Stamina valde inæqualia, antherarum lobis antice non manifeste productis. Planta *C. Hilarianæ* affinis, sed ut videtur distinctissima. — In Brasilia centrali, prope urbem *Goyaz;* Weddell.

4. Cambessedesia Hilariana DC., *l. c.* — *Rhexia Hilariana* Kunth. in Bonpl., *Rhex.*

C. fruticulosa a basi ramosissima et sæpe cæspitosa microphylla fere glaberrima; ramis junioribus 4-gonis, vetustioribus tortuosis; foliis breviter petiolatis elliptico-lanceolatis utrinque acutis, infra apicem denticulo uno et altero instructis, 3-nerviis, adjectis foliolis gemmarum axillarium, fasciculatis; floribus ad apices ramorum in cymas dispositis aurantiacis.

Planta habitu et statura maxime variabilis; adsunt specimina humifusa et omnino humilia, alia vero erecta et semimetrum alta quæ florum characteribus minime discrepant. Folia circiter 1 centimetrum longa et sæpe breviora, 2-3 millim. lata, petiolo 1-2-millimetrali. Calycis oblongi dentes lati, dorso nervosi et apiculati, tubo setis aliquot glanduliferis ornato multo breviores. Petala late ovata apiculata 6-7 millim. longa. Antheræ antice ad basim productæ, saltem in staminibus 5 majoribus, ideoque nonnihil bifurcæ. Ad hanc speciem reducendæ nobis videntur *C. adamantium* et *C. bidentata* DC. — In provincia *Minas geraes*; Claussen, Vauthier, Riedel, Gaudichaud, Martius, Weddell.

5. Cambessedesia espora DC.

C. fruticulosa ramosa microphylla sessilifolia; ramis nonnihil virgatis pulverulento-hirtellis, foliis (ut in præcedentibus speciebus) fasciculatis late cordiformi-ovatis acutis pauci-serratis vix conspicue 3-nerviis glabris; floribus ad apices ramulorum axillarium brevium terminalibus solitariis ideoque racemose dispositis, rarius subpaniculatis, flavis aut aurantiacis.

Planta circiter semimetralis, sæpe humilior. Folia 4-6 millim. longa et lata. Calyx campanulatus, dentibus tubo brevioribus subulatis. Petala

late ovata acuminata, 6-7 millim. longa. Stamina inæqualia, antheris basi breviter bilobis nec bifurcis. Calyx fructifer sub limbo constrictus subglobosus. — In provincia *Minas geraes*; Claussen, Martius, Weddell, Gaudichaud, de Pissis.

Species addendæ :

6. C. LATE-VENOSA DC., *l. c.* — Mart., *Nov. gen.*, tab. 263.
7. C. PURPURATA DC., *l. c.* — Mart., *l. c.*, tab. 262.
8. C. ADAMANTIUM DC., *l. c.* An eadem ac *C. Hilariana?*
9. C. BIDENTATA DC. — *C. esporæ* et *C. adamantium* quasi intermedia ex clar. Martio. Fortasse a *C. Hilariana* non distinguenda est.

Species exclusæ :

C. balsamifera DC., *l. c.* — MICROLICIA BALSAMIFERA Mart.
C. sincorensis DC. — MICROLICIA SINCORENSIS Mart.
C. crenulata DC. — MICROLICIA CRENULATA Mart.

LX. *RHEXIA.*

RHEXIA, Nuttall, *Gen. bor. am.*, I, 244, — DC., *Prod.*, III, 121. — Endlicher, *Gen. plant.*, n° 6200. — Torrey et Gray, *Flor. of north. Am.*, I, 476. — Mich., *Flor. bor. Am.*, I, 222. — RHEXIÆ species Linn. et aliorum.

Flos 4-merus. Calycis tubus sæpius oblongus, in flore aperto nonnihil infundibuliformis, post anthesim et potissimum fructiferi inferne ventricosus, superne in collum angustatus; dentes tubo sæpius multo breviores persistentes. Petala obovata subretusa. Stamina 8 æqualia subæqualiave; antheris 1-porosis, raro oblongo-ovatis rectis, sæpius linearibus arcuatis obtusis, basi nonnihil incrassata ultra filamenti insertionem productis, connectivo infra loculos nullo sed postice supra filamenti insertionem calcare subulato acutissimo vel saltem tuberculo armato, rarius inermi. Ovarium basi adhærens ovoideum 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula in ventre calycis inclusa 4-valvis. Semina cochleata et pyramidata.

Herbæ suffrutescentes in America boreali usque ad gradum 40^m latitudinis indigenæ, erectæ ramosæ; foliis sessilibus aut bre-

viter petiolatis ciliato-serrulatis integerrimisve; floribus terminalibus sæpius cymosis, purpureis roseis albis aut luteis.

Genus toto habitu necnon florum characteribus naturale quamvis heterospermum.

1. Rhexia virginica Linn. — DC., *l. c.*, 121.

R. caule ramisque alato-tetragonis glabellis; foliis sæpius sessilibus subsessilibusve, rarius breviter petiolatis, ovatis vel ovato-oblongis interdumque lanceolatis, acutis ciliato-setulosis aut potius argute serrulatis 5-nerviis, pagina superiore pilosis, inferiore subglabris ; floribus in paniculam cymosam terminalem dispositis purpureis.

Planta semimetralis submetralisve erecta parum ramosa. Folia 5-7 centim. longa, $1\frac{1}{2}$-$2\frac{1}{2}$ lata, nonnunquam in petiolum brevem attenuata. Calycis dentes subdistantes subrevoluti crassi tubo pilosulo multo breviores. Petala 15 millim. et amplius longa, fere tantumdem lata, sæpe retusa. Antheræ lineares falcatæ postice calcaratæ. Semina perfecte cochleata.— In locis humidis Americæ fœderatæ a civitate *New-York* usque ad Carolinam (ex Candollæo). Adsunt varietates magis aquaticæ, caule basi subinflato, foliis majoribus et sessilioribus. Specimina nostra debemus clarissimis Drummond, Michaux, Bonpland, Lecomte, Castelnau, Plée, Torrey, Rafinesque, etc.

2. Rhexia mariana Linn. — DC., *l. c.*

R. caule subtereti hirto ; foliis oblongo-ellipticis quandoque angustis sublinearibus, acutis vel subacutis, basi in petiolum attenuatis, ciliato-setulosis aut potius argute et remote serrulatis, 3-nerviis, utraque pagina sparse pilosis ; floribus ad apices caulis et ramorum cymosis, purpureis rubellis aut albis.

Planta 3-5-decimetralis. Folia 3-4 centim. longa, $\frac{1}{2}$-1 lata interdumque multo angustiora. Calycis dentes subulati distantes tubo multo breviores. Antheræ lineares falcatæ, postice calcaratæ. Semina cochleata. Variat foliis latioribus et angustioribus, inde *R. angustifolia* clar. Candollæo, quæ certe a *R. mariana* non dissocianda est. Flores variant pariter a purpureo ad album. Species præcedenti affinis, exstant enim specimina inter eas quasi media. — In variis provinciis potissimum meridionalibus Americæ fœderatæ. Hanc habemus e Carolina australi ; Fraser, Noisette, Bosc, Michaux. Crescit in locis humidis.

3. RHEXIA GLABELLA Michx., *l. c.* — *Rhexia Alifanus* Pluk. et Walt.

R. fere tota glaberrima; caule subsimplici vel ramoso teretiusculo; foliis substrictis sessilibus ovato-lanceolatis aut oblongis acutissimis basi interdum attenuatis subintegerrimis 3-nerviis; floribus terminalibus majusculis cymosis sæpe paniculatis rubris aut dilute purpureis.

Planta submetralis, in locis humidis imoque inundatis vigens. Folia 3-6 centim. longa, ½-1 lata. Calycis pilis glanduliferis hirsuti dentes subulati crassi recurvi tubo multo breviores. Petala 1 ½-2 centim. longa. Antheræ lineares falcatæ, postice tuberculatæ aut brevissime calcaratæ. Semina pyramidata sæpe subincurva et reniformia sed non cochleata. — In Carolina meridionali; Michaux, Fraser, L'Herminier, Bosc, Leconte, Noisette.

4. RHEXIA CILIOSA Michx, *l. c.*

R. subsimplex aut parum ramosa; caule gracili subtereti vel obsolete tetragono glabello; foliis subsessilibus sessilibusque substrictis ovatis acutis setoso-ciliatis vel tenuiter ciliato-serrulatis 3-nerviis, pagina superiore sparsim pilosis, inferiore glabris; floribus terminalibus paucis, sæpius ternis, purpureis?

Planta circiter semimetralis. Folia 1 ½ rarius 2 centim. longa, 1 lata, petiolo circiter millimetrali. Calycis dentes triangulari-acuti tubum subæquantes. Petala sesquicentimetrum longa obovata. Antheræ pro genere breves oblongo-ovatæ obtusæ rectæ, connectivo postice incrassato et obtuse tuberculato. — In paludosis Carolinæ; Michaux, Leconte.

5. RHEXIA LUTEA Michx, *l. c.*

R. simplex aut ramosa; caule obsolete 4-gono hirto vel hispidulo; foliis obovato-oblongis obtusis basi cuneata in petiolum attenuatis, remote ciliato-serrulatis aut integerrimis, supremis et junioribus lanceolato-linearibus acutis; floribus ad apices caulis et ramulorum superiorum terminalibus subternis luteis.

Planta 3-4 decim. alta. Folia 1 ½-2 centim. longa. Calycis dentes acuti, tubo ad mediam longitudinem constricto breviores. Petala obovata apiculata circiter centimetralia. Antheræ lineares obtusissimæ sub-

rectæ, postice omnino inermes aut vix tuberculatæ. Semina cochleata. —In pinetis Georgiæ et Floridæ, secundum Candollæum. Specimina nonnulla habemus ex America boreali sed loco haud indicato; Michaux, Leconte.

Species fortasse addendæ :

6. R. SERRULATA Nuttal, *Gen. am.*, I, 243. An vere differt a *R. ciliosa?*

7. R. STRICTA Pursh, *Flor. bor. am.*, I, 258. Verisimiliter var. *R. glabellæ* ex Nutt., *l. c.*

8. R. LANCEOLATA Walt., *Carol.*, 129. — Torr. et Gr., *Flor. north. Am.*, I, 477. An differt a *R. mariana?*

Species e genere excludendæ :

R. heterophylla Hook. et Arntt. in Hook., *Bot. misc.*, III. 316. Species non agnoscenda ex descriptione, sed a Rhexiis certe removenda.

R. glandulosa Bertol., *Flora Guatim.*, 15. . . . .

R. fragilis Bertol., *l. c.* 16. . . . . . .

R. cognata Weinm., *Sylloge Ratisb.*, II, 20. . . .

R. aspera Voigt, *Sylloge Ratisb.*, II, 55. . . . .

Removendæ sunt pariter ad alia genera reliquæ omnes species quæ ab auctoribus sub nomine *Rhexiæ* descriptæ sunt.

Tribus IV. — MICONIALES.

Calycis limbus in dentes ut plurimum divisus, nonnunquam in calyptram conflatus aut truncatus, sæpissime duplicatus. Dentes exteriores ex interiorum dorso aut basi enati, illis sæpe æquilongi aut longiores, sæpius tamen breviores aut obsoleti et ad punctum seu tuberculum reducti, imo interdum omnino nulli. Antheræ quoad formam maxime variabiles, plerumque basifixæ, apice 1-2-4-porosæ, rarissime rima rimisve duabus longitudinaliter dehiscentes; connectivo infra loculos haud frequenter producto, sæpius antice appendiculato et postice porrecto aut saltem incrassato. Fructus baccati aut capsulares. Semina multiformia, sæpius polyhedra pyramidata aut dimidiato-ovoidea et subreni-

formia, rarissime margine in alam expanso circumdata, nunquam vere cochleata.

Miconialium tribum ditissimam in subtribus plurimas naturales aut subartificiales ad dignitatem tribuum olim fortassis extollendas iterum dividemus. Harum quædam amphigeæ sunt, aliæ in uno continente inclusæ. Miconiales, si gregatim considerentur, paucis generibus hinc ad Lasiandrales tendunt, illinc Astronieis connectuntur.

Conspectus subtribuum :

I. DISSOCHETEÆ.
II. SONERILEÆ.
III. CLIDEMIEÆ.
IV. CHARIANTHEÆ.
V. DAVYEÆ.
VI. PYXIDANTHEÆ.

Subtribus I. — DISSOCHETEÆ.

Plantæ fere semper fruticosæ, sæpe sarmentosæ scandentes interdumque pseudoparasiticæ, rarissime arborescentes. Flores sæpissime 4-meri, rarius 5 aut 6-meri. Calycis dentes externi in plerisque generibus minuti, ad punctum reducti aut omnino obsoleti, in perpaucis producti et acuti. Antheræ ut plurimum elongatæ, lineares aut subulatæ, 1-2-porosæ, rarissime rimis longitudinalibus dehiscentes; connectivo infra loculos nonnunquam producto et antice appendicibus ornato, sæpius postica basi calcarato aut saltem tuberculato. Species omnes in veteri orbe et Oceaniæ insulis indigenæ.

Perdifficile habuimus huic subtribui limites ponere locumque in tribu Miconialium adscribere, imo, quamvis generum manifesta sit mutua affinitas, diu hæsimus incerti utrum pauca Sonerilearum Pyxidanthearumque genera ab ea separaremus an potius hæc omnia veteris orbis et Oceaniæ indigena genera quæ ad Miconiales reducimus, in unicam seriem americanorum generum seriei oppositam et parallelam redigeremus. Et illa quidem Dissochetearum subtribus, qualem huc in medium ferimus, sic variat,

quoad staminum characteres, ut paucis generibus (*Dissochæta*, *Dalenia*, *Medinilla*, etc.) Lasiandralibus ipsis connecti videatur, dum reliquis typum magis ac magis depauperatum exhibentibus Clidemiearum Davyearumque numerosis generibus respondet. Quantacumque tamen reperienda sit affinitas inter genera Miconialium neogea et palæogea, minime in unicam seriem ea commiscenda censemus.

Conspectus generum :

Dissochæta.
Dalenia.
Omphalopus.
Marumia.
Driessenia.
Bredia.
Medinilla.
Diplogenea.
Dactyliota.
Hypenanthe.
Triplectrum.
Erpetina.
Pachycentria.
Pogonanthera.
Anerincleistus.
Oxyspora.
Aplectrum.
Ochthocharis.
Homocentria.
Allozygia.
Allomorphia.

Genera dubiæ affinitatis :

? Macrolenes.
? Carionia.
? Sarcopyramis.
? Veprecella.

LXI. *DISSOCHÆTA*. Tab. IV, fig. 1-6.

DISSOCHÆTA Blume, in *Flora*, 1831, et *Mus. bot. Lugd. Batav.* — MELASTOMATIS species, Blume, *Bijdr;* — Jack., *Linn. Trans.*, XIV.

Flos 4-merus. Calycis ut plurimum oblongi limbus integer aut obtuse 4-lobus, denticulis 4 minimis punctiformibus externis nonnunquam instructus. Petala ovata acuta aut rotundata. Stamina 4 cum petalis alterna aut 8 quorum petalis opposita cæteris sæpissime minora sunt imo et interdum obsoleta sterilia; antheris basifixis oblongis aut linearibus nonnunquam brevibus et ovoideis, sæpe in rostrum attenuatis, uni rarius biporosis, connectivo infra loculos raro producto, sed appendices duas setiformes erectas ab antica basi aut utroque latere sæpissime emittente, rarius simpliciter tuberculato aut membranula instructo, postice nonnunquam calcarato aut tuberculato. Ovarium sive toto ambitu, sive septis 4 aut 8 locellos totidem separantibus calyci usque ad apicem, rarissime ad medium tantummodo adhærens, 4-loculare. Placentæ lamelliformes columnæ centrali adnatæ polyspermæ. Stylus filiformis magis minusve sigmoideus, stigmate punctiformi. Fructus bacca sæpe exsucca oblonga ovoidea aut subglobosa, calycis limbo persistente coronata. Semina irregulariter dimidiato-ovoidea subincurva, raphe nigra hinc excurrente notata.

Frutices peninsulæ malaccensis, archipelagi indici, Moluccarum et Madagascariæ indigeni, ut plurimum sarmentosi, pube stellata minuta adpressa in ramis novellis sæpe furfuracei, demum glabrati; foliis petiolatis integerrimis 3-5-nerviis; floribus paniculatis, roseis, cærulescenti-violaceis aut albis.

A. INERMES.

Antheræ basi setis destitutæ sed appendiculis membranaceis brevibus aut tuberculis ornatæ.

1. DISSOCHÆTA SPOLIATA †. — Fig. 1.

D. glabra aut glabrata floribunda 4-andra; ramis supremis tere-

tibus aut obscure 4-gonis; foliis breviter petiolatis ovato-oblongis acuminatis basi subcordatis 5-nerviis; paniculis magnis multifloris terminalibus; calycis limbo integerrimo; antheris basi antica membranula brevi instructis, cæterum exappendiculatis.

Folia 8-12 centim. longa, 3 ½-4 lata, petiolo 3-5-millimetrali, nervis primariis transversisque subtus prominentibus. Calyx oblongo-campanulatus, limbo membranaceo integerrimo brevi, denticulorum externorum vestigia nulla exhibente. Petala ovato-acuminata, circiter centimetrum longa. Stamina 4, cum petalis alterna, antheris oblongis in rostrum fere attenuatis 1-porosis, connectivo infra loculos non producto sed antice in membranulam brevem subbilobam porrecto, postice bituberculato, setis destituto. Ovarium calyci septis 4 ad apicem usque adhærens. Species staminum fabrica a plurimis facile distinguenda. — in insula *Pulo-Pinang;* Gaudichaud.

2. DISSOCHÆTA ANCEPS. †

D. 4-andra; ramis subteretibus rufescenti-furfuraceis demum glabratis; foliis oblongo-ovatis oblongisque acuminatis basi subcordatis, adjecto utroque nervo submarginali, 5-nerviis, pagina superiore glabris, inferiore furfure stellato tenui pubentibus; paniculis terminalibus multifloris; calycis limbo membranaceo denticulis 4 externis brevibus instructo; antheris basi membranula instructis.

Planta præcedenti proxima, cui habitu staminumque numero et fabrica convenit, sed differt calycis limbo denticulos externos gerente. Folia 10-14 centim. longa, 4-5 lata, petiolo 4-5-millimetrali, nervis subtus prominentibus. Flores ante explicationem bracteolis naviculatis cito caducis instructi. Petala ovato-acuminata. Stamina, nisi in analysi alabastrorum juniorum erraverimus, ut in *D. spoliata.* Ovarium ad apicem usque septis 4 adhærens. An a præcedente vere distincta? — In insula *Java;* Zollinger, n° 3044.

3. DISSOCHÆTA DIVARICATA. — *Melastoma divaricatum* DC., III, 150. — *Melastoma divaricata* Willdn., *Spec. plant.*, III, 596.

D. micrantha 4-andra; ramis teretibus, supremis furfuraceis

rubiginosis; foliis oblongo-ovatis subacutis basi rotundatis, prætermisso nervulo utroque marginali, 3-nerviis, pagina superiore subglabris, inferiore punctato-furfuraceis; paniculis terminalibus multifloris; calycis limbo subintegerrimo; antheris basi antice et postice appendiculis 4 instructis.

Folia 5-7 centim. longa, 2-2 ½ lata, petiolo 4-8-millimetrali. Calycis limbus obsolete 4-sinuatus, furfuraceus. Petala ovata acuminata, 4-5 millim. longa. Stamina 4 æqualia dolichanthera, antica et postica basi appendiculis geminatis ovato-acutis instructa. Ovarium septis 4 locellos totidem antheras in præfloratione reflexas includentes separantibus calyci ad apicem usque adnatum. Stylus subtetragonus, stigmate obtuso. — Ex India orientali, si Willdenowio credendum est. Habemus ex herbario Bonplandiano, absque nota loci natalis.

4. Dissochæta pepericarpa. †

D. micrantha 8-andra anisostemon; ramis teretibus pube furfuracea detergibili obsitis; foliis oblongo-ovatis acuminatis basi rotundatis trinerviis glabratis aut pagina inferiore punctato-furfuraceis; paniculis terminalibus majusculis; calycis limbo integerrimo; antheris 4 fertilibus magnis rostrato-subulatis in anthesi sigmoideis, 4 efœtis rectis truncatis, omnibus basi 4-appendiculatis.

Planta *D. divaricatæ* habitu adeo similis ut unam ab altera discernere vix liceat, sed 8-stemon est. Nec sufficit quidem character e staminum numero desumptus ut plantas inter se differre affirmemus; parvum est enim discrimen inter staminum abortientium præsentiam et absentiam apud plantas sibi invicem omnibus aliis characteribus convenientes. Speciem dubiam ergo hic habebimus donec litem solvant novæ plantarum illarum disquisitiones. — In insula *Manille;* Cumming, *Catal.* n° 2259.

5. Dissochæta cyanocarpa Blum., *Flora*, XIV, 501. — *Bijdr.*, 1073. — Fig. 2.

D. 8-andra; ramis supremis alternatim hinc et inde compressis patentim hispidis; foliis breviter petiolatis oblongo-ovatis subacuminatis basi cordatis 5-nerviis pagina utraque glabris aut glabratis; paniculis terminalibus; calycis limbo

integerrimo; antheris 4 fertilibus magnis rostrato-subulatis, connectivo infra loculos manifesto vix autem tuberculato; 4 efœtis parvis truncatis, connectivo inferne in membranulam triangularem dilatato.

Folia circiter decimetrum longa, 5 centim. lata, sublucida, petiolo 5-6-millimetrali. Petala obovato-acuta. Fructus submaturi crassitudine pisi minoris. — In insula *Sumatra*, loco haud indicato; Blume.

B. Bisetosæ.

Antheræ (saltem 4 fertiles) basi appendicibus setiformibus ornatæ.

6. Dissochæta microcarpa. †

D. 4-andra; ramis subteretibus gracilibus, novellis furfuraceo-rubiginosis, vetustioribus glabratis; foliis pro genere parvis ovato-oblongis acuminatis 3-nerviis, pagina superiore glabris, inferiore pube stellata rubiginosa tomentellis; paniculis terminalibus axillaribusque multifloris micranthis; calycis limbo obsolete 4-lobo; antheris subbrevibus biporosis, connectivo basi bisetoso.

Species ab omnibus aliis non minus habitu quam antheris biporosis distincta. Folia 5-8 centim. longa, 2 lata, petiolo 4-6-millimetrali. Calycis dentes brevissimi, inter se confluentes, extus non manifeste denticulati. Petala obovato-elliptica, apice rotundata, 5-6 millim. longa. Antheræ rectæ apice quasi truncato biporosæ, connectivo basi bisetoso, setis antheram ipsam subæquantibus, postice non producto. Ovarium maxima parte et toto ambitu adhærens, apice liberum. Fructus bacca globosa est, paulo ante maturitatem crassitie seminis *Lathyri odorati* aut paulo tenuiores. — In peninsula Malaccensi, prope *Singapour;* Gaudichaud.

7. Dissochæta intermedia Blum., *Bijdr. nat. Wet.*, VI, 236. — *Mus. bot. Lugd. Batav.*, 35 — *Melastoma fallax* Blum. (non Jack.).

D. macrophylla 4-stemon; ramis subteretibus ferrugineo-furfuraceis; foliis oblongo-ovatis longiuscule et anguste acuminatis basi subcordatis 5-nerviis, pagina superiore glabris aut glabratis, inferiore pube stellata tenui furfuraceis; paniculis

terminalibus axillaribusque (ex auctoritate Blumii) magnis floribundis; calycis limbo membranaceo integerrimo; antherarum connectivo basi bisetoso, postice in appendiculam conicam producto.

Folia 12-16 centim. longa, 6-7 lata, petiolo sesqui-bicentimetrali. Calycis limbus denticulis externis destitutus. Petala obovata apice rotundata, ferme centimetralia. Antheræ oblongæ in rostrum 1 porosum attenuatæ, setis connectivi duplo longiores. Ovarium septis 4 ad apicem usque adhærens. — In sylvis montanis insularum Javæ et Sumatræ; Blume.

8. Dissochæta decipiens Blum., *Mus. bot. Lugd. Batav.*, 36. — Fig. 3.

D. præcedenti fere simillima, 4-stemon; ramis glabratis scandentibus; foliis oblongo-ovatis longe acuminatis basi non cordatis, prætermisso nervo utroque marginali, 3-nerviis glabris aut pube inconspicua in pagina inferiore conspersis; panicula paniculisve terminalibus magnis sublaxis; calycis limbo obsolete 4-lobo aut subintegerrimo; antheris subulatis, connectivo basi bisetoso, postice in appendiculam conicam producto.

Species a *D. intermedia* difficile distinguenda, cui condunanda esset nisi habitui paulisper diverso attenderetur. Folia enim minora sunt, scilicet decimetrum circiter longa et 5 centim. lata, nec basim cordato-emarginatam præbent ut in illa specie. Discrepant etiam paniculæ quæ in *D. intermedia* quodammodo corymbi faciem induunt, dum in *D. decipiente* producuntur et ramos ramulosque divaricatim hinc et inde emittunt. Maximum tamen discrimen in floribus residet, nam, ut cæteras differentias taceamus, *D. decipientis* calyces quam alterius ferme dimidio sunt minores, et pedicelli multo graciliores. — In eadem insula ac præcedens; Blume.

9. Dissochæta inappendiculata Blum., *Flora*, XIV, 499. — *Melastoma vacillans* var. *α* DC., III, 150.

D. 8-andra heterostemon; ramis supremis furfuraceis aut subglabratis; foliis oblongo-ovatis anguste acuminatis basi rotundatis, adjecto nervo utroque submarginali, 5-nerviis, pagina utraque pube inconspicua rara stellata punctulatis aut primo intuitu glaberrimis; paniculis terminalibus elongatis; antheris

valde disparibus, 4 majorum connectivo breviter biaristato, 4 minorum inermi, omnium postice in appendiculam conicam producto.

Specimen nostrum rami floriferi summitas est quæ completam de organis vegetationis mentionem non patitur; folia, flores nonnulli inaperti fructusque tantum suppetunt, cætera desiderantur. Folia (saltem suprema) 10-12 centim. longa, 5 lata, petiolo 1-1 ½-centimetrali. Calycis limbus simplex, breviter et obtusissime 4-lobus. Petala ovata obtusa (in alabastro). Antheræ majores (invito Blumio qui eas inappendiculatas refert) basi breviter biaristatæ, minores setis lateralibus omnino destitutæ, omnium connectivo postice in calcar acutum producto. Ovarium toto ambitu et ad apicem usque adhærens. — In insula *Java;* Blume.

10. DISSOCHÆTA FUSCA Blum., *Flora,* l. c. — *Melastoma vacillans* var. γ DC.

D. 4-8-stemon et heterostemon; ramis supremis pube tenui pulverulenta obductis; foliis oblongo-ovatis acuminatis basi rotundatis, prætermisso nervo utroque marginali, 3-nerviis glabris aut glabratis; paniculis majusculis terminalibus; antherarum fertilium connectivo basi bisetoso postice calcarato-conico, efœtarum brevium quæ sæpius partim deficiunt setis destituto, postice in calcar acutum producto.

Planta ut videtur a *D. inappendiculata* non separanda; ei enim omnibus notis convenit, nam pro nihilo habendus est staminum abortientium numerus qui interdum ad unum reducitur. — In insula *Java;* Blume.

11. DISSOCHÆTA BRACHYANTHERA. †

D. 8-stemon; ramis supremis gracilibus subteretibus vix furfure tenui pubentibus mox omnino glabratis; foliis ovatis aut oblongo-ovatis breviter acuminatis basi rotundatis nec cordatis, præter nervulum utrumque submarginalem, 3-nerviis glabris; paniculis terminalibus axillaribusque multifloris micranthis; calycis limbo simplici obsolete 4-lobo; antheris majoribus ovoideis aut oblongo-ovoideis, 1-porosis; minoribus linearibus efœtis, omnium connectivo basi bisetoso, postice in appendiculam conicam producto.

Planta ambigua, *D. cinnamomeæ*, Blum. (*Mus. bot. Lugd.*) quodam respectu affinis, *D. sagittatæ* ejusdem auctoris quoque contermina; a priore differt staminum connectivo bisetoso nec ut in illa inappendiculato, a posteriore foliorumpagina inferiore glabra nec ferrugineo-tomentosa. Folia 6-9 centim. longa, 2-3 lata, petiolo circiter semicentimetrali. Corolla haud visa nisi in alabastro juniore. Antheræ omnes setis connectivi longiores. Ovarium toto ambitu adhærens. — In insula *Java;* Zollinger.

12. Dissochæta Cummingii. †

D. 8-stemon; ramis supremis subteretibus furfuraceis; foliis ovato-oblongis acuminatis basi rotundatis, adjecto nervo utroque submarginali, 5-nerviis; paniculis terminalibus majusculis multifloris; calycis limbo breviter 4-lobo; antheris inæqualibus, omnibus subobtuse subulatis, connectivo basi bisetoso.

Species *D. brachyantheræ* nonnihil affinis sed distinctissima ut modo patebit. Folia 8-10 centim. longa (saltem suprema quæ nobis sola suppetunt), 3 circiter lata, petiolo ferme centimetrali. Calycis tubus campanulatus, limbo simplici, breviter sed non omnino obtuse 4-dentato. Petala ovata, acuta, fortasse 7-8 millim. longa. Antherarum majorum connectivi setæ complanatæ, apice obtusæ, loculis fere duplo breviores; minorum acutissimæ aristiformes et antheram subæquantes; connectivo ipso postice in appendiculam conicam brevem producto. Ovarium toto ambitu ad apicem usque adhærens. —In insula Luzonia prope *Manille;* Cumming.

13. Dissochæta gracilis Blum., *l. c.* -- *Melastoma gracile* Jack.

D. 8-stemon fere glaberrima; ramis teretibus; foliis ovatis oblongove-ovatis acuminatis, basi rotundatis nec cordatis, prætermisso utroque nervo submarginali, 3-nerviis; paniculis majusculis terminalibus axillaribusque, bracteolis lanceolatis intermixtis; calycis limbo breviter 4-dentato simplici; antheris pro genere subbrevibus obtusis, connectivo basi bisetoso postice in appendiculam conicam brevem porrecto, setis duabus obtusis quasi truncatis anthera majore fere duplo brevioribus, minore autem sublongioribus.

Folia 8-12 centim. longa, 4-5 lata, petiolo ferme centimetrali. Calycis dentes breves obtusi. Petala ovata subobtusa 6-7 millim. longa. Staminum omnium antheræ oblongæ, obtusæ, aut interdum apice nonnihil attenuatæ, 1-porosæ, basi in connectivum quasi angustatæ. Ovarium toto ambitu et ad apicem usque adhærens. — In insula *Java;* Blume.

14. DISSOCHÆTA OVALIFOLIA. †

D. 8-stemon; ramis teretibus pube minutissima stellata ferruginea conspersis; foliis ovatis oblongove-ovatis, subabrupte acuminatis, basi cordatis, 5-nerviis, primo adspectu glaberrimis sed reipsa pube tenui inconspicua punctulatis (sub lente); paniculis terminalibus axillaribusve furfuraceis; staminibus subæqualibus, omnibus ut videtur fertilibus, connectivo basi bisetoso, postice breviter appendiculato aut tuberculato.

Folia quam in præcedentibus paulo ovatiora, scilicet 9-10 centim. longa, 4-4 ½ lata, petiolo ferme centimetrali. Paniculæ terminalis pars inferior e paniculis minoribus ex axilla foliorum supremorum ortis ut plurimum constans, ramulis multifloris. Calycis limbus 4-sinuatus, lobis obtusissimis, puncto incrassato denticuli rudimentum exhibente extus notatis. Petala ovata, obtusa (in alabastro). Antheræ lineari-subulatæ, in rostrum quasi attenuatæ, setis connectivi fere duplo longiores. Ovarium septis 8 locellos totidem qui antheras in præfloratione reflexas continent separantibus calyci adnatum. — In insula *Pulo-Pinang;* Gaudichaud.

15. DISSOCHÆTA BRACTEOSA. †

D. 8-stemon; ramis teretibus pube minuta stellata rufa detergibili furfuraceis mox glabratis; foliis late ellipticis, ovatis obovatisve, breviter acuminatis, basi rotundatis, prætermisso nervulo utroque submarginali, 3-nerviis, nervis nervulisque transversis subtus prominentibus; paniculis terminalibus aphyllis, florum cymulis bracteato-involucratis; antheris subæqualibus, connectivo basi bisetoso, postice bituberculato.

Planta quoad pubescentiam *D. ovalifoliæ* similis, cæteris characteribus remotior quamvis cum illa magnam affinitatem retineat. Folia 6-8 centim. longa, 3 ½-4 lata, petiolo 3-6-centimetrali. Paniculæ simplices (saltem in speciminibus nostris), ramis 3-7-floris cymosis. Bracteæ late ovatæ aut obovatæ, acuminatæ, 1-3-nerviæ, ferme centimetrales, fortassis caducæ

(specimina fructifera deerant). Calycis limbus breviter et obtuse 4-lobus, denticulis externis sub furfure indistinctis. Petala in alabastro sese mox explicaturo fere orbicularia vix apiculata. Antheræ elongatæ, lineari-subulatæ, setis connectivi subtriplo longiores. Ovarium septis 8 calyci adnatum. — In insula *Pulo-Pinang;* Gaudichaud.

16. Dissochæta superba. †

D. 8-stemon macrophylla floribunda pro genere macrantha; ramis teretibus, pube stellata minuta primo indutis mox glabratis; foliis oblongo-ovatis ovatisque, breviter et abrupte acuminatis, basi profunde cordatis, 5-nerviis, pagina superiore glabrata, inferiore punctis furfuraceis sub lente vix distinctis conspersa; paniculis terminalibus axillaribusque multifloris; staminibus inæqualibus, connectivo basi bisetoso, postice in appendiculam conicam producto.

Species cæteras Dissochætas, præter *D. pallidam*, forma antecellens. Folia, quantum e supremis dijudicare fas est, 10-14 centim. longa, 6-7 lata, petiolo centimetrali. Calycis limbus membranaceus, in flore explicato pateriformis, breviter et obtuse 4-lobus, denticulis externis indistinctis. Petala ovata centimetralia, in specimine sicco purpurascentia, fortasse ante absolutam explicationem caduca. Stamina manifeste inæqualia non omnino autem dissimilia, antheris elongatis subulatis, 4 majoribus inferne attenuatis ita ut filamento, pedicello mediante, affixæ videantur, quam setæ connectivi ferme duplo longioribus. Ovarium calycino tubo septis 8 adhærens. Fructus bacca sicca? Semina pyramidata incurva, raphe nigra hinc excurrente lineata. — In insula *Pulo-Pinang;* Gaudichaud.

17. Dissochæta pallida. — *Melastoma pallidum* Jack. ex *Herb. Wallich. ind.*, nº 4049. — An *Dissochæta pallida* Blume, *Mus. bot. Lugd. Batav.?* — Fig. 4.

D. 8-stemon macrophylla, pro genere macrantha; ramis teretibus, junioribus pube minuta stellata furfuraceis mox glabratis; foliis ovatis oblongove-ovatis breviter acuminatis, basi subcordatis interdumque subrotundatis, glabris aut glabratis; paniculis terminalibus majusculis floribundis; staminibus dolichantheris inæqualibus; connectivo in 4 majoribus infra

loculos polliniferos manifeste producto, in omnibus basi bisetoso, postice appendiculato.

An sit hæc nostra species *D. pallida* Bl., haud ex impari descriptione auctoris pronunciare licet, sed certe ad *Melastoma pallidum* Jack. referenda est, ut in herbario nostro testatur Wallichianum specimen. Habitu *D. superbæ* proxima est, sed folia quæ 10-14 centim. longa sunt et 6-7 lata, petiolo circiter centimetrali, quam in illa multo minus cordata. Calycis limbus breviter et obtuse 4-lobus, denticulis externis vix distinctis quandoque nullis. Petala centimetralia, caduca, obovata, apice rotundata. Antheræ elongatæ, utrinque subulatæ falcatæ (præsertim minores), 4 majorum infra loculos in connectivum longiusculum attenuatæ, setis connectivi longiores. Ovarium septis 8 ad apicem usque adhærens.— In insula *Pulo-Pinang;* Wallich.

18. Dissochæta heteromorpha. †

D. ramis supremis obtuse 4-gonis demum teretibus strigillosis; foliis obovatis apice obtusis, basi subacutis, 3-nerviis; pagina utraque setulis e basi callosa depressaque ortis conspersa et quasi punctulata; paniculis paucifloris (an semper?) ad apices ramorum terminalibus; staminibus subæqualibus, antheris ima basi bisetosis; ovario apice libero, tetragono.

Utrum frutex an arbuscula sit nobis non compertum est, sed a cæteris Dissochætis non minus habitu rigido nec sarmentoso quam pluribus aliis notis discrepat. Folia subcoriacea, 5-8 centim. longa, 2 ½-4 lata, petiolo 5-10-millimetrali. Calyx turbinato-campanulatus, limbo obsolete 4-lobo et fere integerrimo, lobis dorso denticulorum externorum rudimenta exhibentibus. Petala (in alabastro tantum visa) suborbicularia, fortassis apice retusa. Antheræ lineari-oblongæ 1-porosæ, connectivo non producto sed lateraliter, ut in aliis speciebus, bisetoso, setis anthera ipsa paulo brevioribus. Ovarium paulo ultra medium toto ambitu adhærens, apice libero 4-gonum imo et breviter 4-alatum. Fructus nobis ignotus. — Species habitu et indole peculiari a Dissochætis asiaticis diversa, sed illis propter essentiales characteres bene conjungenda. — In insula *Madagascaria;* Chapelier.

Species addendæ, quædam vero incertæ aut fortassis jam sub aliis nominibus descriptæ :

19. D. monticola Blume, *Flora*, XIV, 494.

20. D. BRACTEATA Bl., *l. c.*, 495. — *Melastoma bracteatum* Jack, *l. c.* — DC., *l. c.* — Non *D. bracteata* Korthls.

21. D. VACILLANS Bl., *l. c.*, 495.

22. D. VELUTINA Bl., *l. c.*, 495.

23. D. SAGITTATA Bl., *l. c.*, 500.

24. D. GLAUCA Bl., *l. c.* — *Melastoma glaucum* Jack, *l. c.*

2 . D. BRACTEATA Korthls., *Verhandl. over de nat.*, etc. — Species non confundenda cum priore ejusdem nominis.

26. D.? BIPULVINATA Korthls., *l. c.*, tab. 56.

27. D.?? ROSTRATA Korthls., *l. c.*, 239.

28. D.? BILIGULATA Korthls., *l. c.*, 240.

29. D. LIGULATA Blum., *Mus. bot. Lugd. Batav.*, 35.

30. D. CELEBICA Bl., *l. c.*, 36.

31. D. CINNAMOMEA Bl., *l. c.*

32. D. REFORMATA Bl., *l. c.*, 37.

Species exclusæ :

T. fallax Blum., *Flora, l. c.* — OMPHALOPUS FALLAX Ndn.

T. reticulata Bl., *l. c.* — OMPHALOPUS RETICULATUS Ndn.

T. leprosa Bl., *l. c.* — *Melastoma leprosum* Bl., *Bijdr.*, 37. — OMPHALOPUS LEPROSUS Ndn.

D. nodosa Korthls., *Verhandl.*, etc. — APLECTRUM NODOSUM Blum.

EXTRAIT DES **ANNALES DES SCIENCES NATURELLES**, TOME XV,
CAHIER n° 5.

MELASTOMACEARUM

QUÆ IN MUSÆO PARISIENSI CONTINENTUR

MONOGRAPHICÆ DESCRIPTIONIS

ET SECUNDUM AFFINITATES DISTRIBUTIONIS

TENTAMEN.

(SEQUENTIA.)

Auctore **CAROLO NAUDIN**.

LXII. — *DALENIA*.

DALENIA Korthls, *Verhandlingen over de Natuur. Gesch.*, 243. — Blume, *Mus. bot. Lugd. Bat.*

Flos 4-merus. Calycis tubus suburceolatus, limbus inapertus calyptræformis in anthesi circumscissus et deciduus. Petala obovata apiculata. Stamina 8 inæqualia heteromorpha; antheris basifixis lineari-subulatis 1-porosis magis minusve sigmoideis, 4 majorum connectivo infra loculos breviter producto, ad insertionem filamenti antice bisetoso, postice calcarato, 4 minorum simpliciter antice bituberculato, postice brevissime calcarato. Ovarium septis 8 calyci fere usque ad apicem adhærens 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus baccatus (ut videtur exsuccus) ovoideus calycis tubo vestitus et parte basali limbi coronatus. Semina pyramidato-angulata.

Frutex borneensis, sarmentosus scandens macrophyllus glaber; ramis supremis subcompressis sulcatisque, veterioribus subteretibus ad nodos incrassatis et carnoso-marginatis; foliis petiolatis ovatis breviter acuminatis basi parum cordatis integerrimis 5-7-nerviis; paniculis terminalibus aphyllis confertifloris.

Genus artificiale Dissochætæ proximum; ab ea enim propter

unicum limbi calycini circumscisse decidui characterem vix merito separatum fuit.

1. DALENIA SPECIOSA Korthls, *l. c.*, tab. 58. — *D. Korthalsii* Blum., *Herb. Lugd. Batav.*

Folia sesquidecimetrum longa, 10-12 centim. lata, petiolis sesquibicentimetralibus. Petala circiter centimetrum longa et lata aut paulo majora. Fructus submaturi crassitudine pisum majusculum æquantes sed magis ovoidei. — In insula *Borneo* secus flumen *Tewe;* Korthals. Planta e musæo Lugduno-Batavo liberaliter communicata.

LXIII. *OMPHALOPUS.* Tab. IV, fig. 5.

DISSOCHÆTÆ species Blume, *Flora* XIV, non *Bijdr.* — MELASTOMATIS spec. DC., III, 150. — Jack, *Trans. Linn. soc.*, XIV.

Flos 4-merus. Calycis limbus breviter 4-lobus, simplex aut denticulorum externorum vestigiis instructus. Petala ovata. Stamina 4 æqualia fertilia aut 8 quorum petalis opposita cæteris minora sunt et sterilia; antheris ovoideo-subulatis 1-porosis etiam in anthesi inflexis; connectivo infra loculos non producto nec setoso, postice autem in calcar seu potius nates conicas terminato; filamentis antheræ sulco ventrali affixis. Ovarium toto ambitu adhærens, 4-loculare. Fructus bacca exsucca, seminibus pyramidato-angulatis.

Frutices javanici, Dissochætarum facie; foliis petiolatis ovatis aut oblongo-ovatis integerrimis, pube stellata pulveracea conspersis; inflorescentia paniculari.

Omphalopodis genus subartificiale e Dissochæta detraximus propter antherarum formam quæ ab illarum fabrica remotior est quam ut in unum naturaliter consocientur sed ejus limites adhucdum incerti; Dissochætæ cæterum cujus typus est depauperatus, omnibus aliis characteribus, ut videtur, convenit. In posterum a Botanicis quibus intacta specimina suppetent revisetur.

1. OMPHALOPUS FALLAX. — *Dissochæta fallax*, Blum., *l. c.*, 492. — *Melastoma fallax* DC., *l. c.* — Jack, *l. c.*

O. 4-stemon; ramis interdum radicantibus; foliis majusculis

oblongo-ovatis breviter acuminatis acutis basi cordatis 5-nerviis; paniculis magnis terminalibus; petalis genitalibusque exsertis; antheris ovoideo-oblongis ventricosis in rostrum attenuatis undulato-verrucosis; filamento infra apicem in membranulam antheræ nates vestientem expanso.

Rami graciles subteretes pulverulenti ad nodos tumidi. Folia a decimetro ad sesquidecimetrum longa, 5-6 centim. lata, petiolo non omnino bicentimetrali. Paniculæ ut rami superiores pulverulentæ. Calycis tubus campanulatus, circiter 2 millim. longus, limbo dilatato. Petala obovata rigidiuscula subconcava. Stylus filiformis, calyce toto triplo longior. Fructus submaturi globosi, crassitudine pisi minoris. — In insula *Java*. Planta nobis e Musæo Lugduno-Batavo communicata.

2. Omphalopus leprosus. — *Dissochæta leprosa* Blum., *Flora*, *l. c.* — *Melastoma leprosum* ejusdem *Bijdr.*, 37.

O. 4-stemon; ramis gracilibus, supremis foliorumque pagina inferiore pube stellata minuta pulverulenta rufescente conspersis; foliis oblongo-ovatis breviter acuminatis basi cordatis 5-nerviis: ramulis floriferis ex axillis foliorum supremorum ortis paniculam foliosam formantibus; antheris ventricosis apice subulatis, connectivo basi postica in calcar membranaceum acutum producto.

Folia circiter decimetrum longa, 5-6 centim. lata, petiolis sesquicentimetralibus. Calycis limbus membranaceus 4-sinuatus, tubus sub limbo constrictus. Petala haud suppetebant. Antheræ corrugatæ. Fructus submaturi globosi, calycis limbo coronati, circiter crassitudine pisi. — In insula *Java;* Blume. Planta e Musæo Lugduno-Batavo communicata.

3. Omphalopus reticulatus. — *Dissochæta reticulata* Blum., *l. c.*

O. 8-stemon, *O. fallaci* foliis antherarumque fabrica similis sed filamentis membranula destitutis; staminibus 4 efœtis parvis, cæteris facie conformibus; omnibus postice in calcar conicum crassum desinentibus.

In insula *Java*. — Planta cum præcedentibus communicata.

LXIV. — *MARUMIA*. Tab. XII, fig. 1.

Marumia Blume in *Flora*, 1831. — *Rumphia*, I. — *Mus. bot. Lugd. Batav.*, 33. — Korthals in *Verh. Nat. Gesch. Bot.*, 240. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6254.

Flos 5-merus. Calycis dentes simplices triangulari-acuti, tubo oblongo sub fauce interdum nonnihil constricto breviores. Petala obovata apice obtusa imo et rotundata inæquilatera. Stamina 8 alternatim inæqualia et dissimilia; omnium antheris linearibus sigmoideo-arcuatis apice gradatim attenuatis nec tamen vere rostratis, 1-porosis; majorum connectivo infra loculos longiuscule producto, ad insertionem filamenti postice lateribusque appendiculis setaceis aristiformibus in anthesi sæpe contortis, quarum duæ laterales cæteris erectiores sunt, instructo; minorum infra loculos breviusculo aut subnullo, antice in setas duas erectas porrecto, postice uni-multiaristato aut mutico. Ovarium ad medium usque aut paulo amplius adhærens, vertice setosum, 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus baccatus (ex Blumio), calycis limbo persistente coronatus, 4-locularis. Semina numerosa ovoideo-dimidiata subrecta, raphe laterali hinc marginata.

Frutices peninsulæ Malaccensis et archipelagi Indici, sarmentosi; foliis petiolatis ovatis vel ovato-oblongis acutis integerrimis 3-5 *nerviis; cymis axillaribus; floribus majusculis, roseis aut purpureis.*

1. Marumia nemorosa Blum., *Flora*. — *Melastoma nemorosum* Jack., *l. c.* — DC., *l. c.*

M. excepta foliorum pagina superiore glabrata, tota pube tenui stellulata rufescente pulveracea obducta; foliis oblongo-ovatis breviter acuminatis aut apiculatis 5-nerviis; pedunculis axillaribus robustis ut plurimum 3-floris; calycibus ut ipsi rami pube tenui tantum vestitis.

Species distinctissima est et, ob calycum vestitum qui setis rigidis aliarum specierum carent, nulli affinis. Folia circiter decimetralia, 5 centim.

latitudine explentia, petiolis centimetrum longis. Pedunculi communes circiter 2-centimetrales; pedicellis propriis dimidio brevioribus; bracteolis (si adsunt) mature caducis. Calycis dentes triangulari-acuti. Staminum majorum connectivum antice bisetosum, postice unisetosum; setis omnibus gracilibus productis; minorum antice breviter bisetosum, postice muticum.— In insula *Borneo;* Blume. Specimen e Musæo Lugduno-Batavo communicatum.

2. Marumia echinulata †.

M. ramis teretibus, novellis rufescenti-furfuraceis setis rigidulis sparse hirtis, vetustioribus glabratis; foliis breviter petiolatis ovato-ellipticis acuminatis basi cordatis, adjecto utroque nervo submarginali, 5-nerviis, pagina superiore glabris, inferiore adpressissime tomentellis et pallide ochraceis aut candicantibus; pedunculis 1-3 rarius 5-floris; calycibus strigis fere aculeiformibus patentibus horridis.

Rami subgraciles. Folia 8-14 centim. longa, 3-5 lata, petiolo 4-10-millimetrali, nervulis transversis in pagina inferiore prominentibus. Pedunculi communes 2-8 centim. longi, pedicelli proprii circiter centimetrales hispiduli. Calyx campanulato-oblongus, post anthesim sub fauce constrictus, setis robustis subaculeiformibus echinatus, pube indistincte stellata rufescente furfuraceus, dentibus triangulari-acutis ciliato-setosis. Petala ovata? Staminum majorum connectivum infra loculos productum, basi appendicibus 6-8 setiformibus ornatum quarum duæ laterales adscendentes sunt, cæteræ postice et deorsum vergentes, magis minusve contortæ; minorum connectivum non productum et antheræ ima basi lateraliter bisetosæ. Ovarium ad medium usque et toto ambitu adhærens. — In peninsula Malaccensi prope *Singapour* et *Malacca;* Gaudichaud.

3. Marumia muscosa Blum., *Bijdr. nat. Wet.*, VI, 246. — *Rumphia*, I, 17, tab. 4.

M. floribunda; ramis sarmentosis subteretibus ferrugineo-furfuraceis; foliis ovato-oblongis acuminatis basi cordatis 5-nerviis, pagina superiore glabra nitidis, inferiore tomentellis rufis; cymis pedunculatis multifloris corymbiformibus; calycibus setis patulis rufescentibus horridis.

Frutex scandens, 10-metralis et amplius (ex Blumio, *Rumphia*), interdum radicans. Rami floriferi, qui nobis soli suppetunt, lenti, subremote

foliosi, pennam anserinam crassitie æmulantes. Folia subcoriacea, 10-14 centim. longa, 4-5 lata, internodiis paulo longiora, petiolo 1-1 ½-centimetrali. Cymæ ex utriusque folii axilla ortæ, pedunculo 2-3-centimetrali suffultæ, di-trichotome divisæ, 10-25-floræ, bracteolis linearibus margine pectinatim setosis intermixtæ. Calyx setis robustis horridus et pube stellata tenui inter setas et in ipsis setis vestitus, dentibus triangulari-acutis, margine et apice setosis. Petala ovata obtusa rosea et purpurea, centimetrum et quod excedit longa. Staminum majorum setæ seu appendices numerosæ, contortæ (in flore aperto) et quasi barbiformes, minorum paucæ, sæpius ternæ, minus contortæ aut rectæ, quarum duæ anteriores adscendentes sunt et fere antheræ longitudine. Ovarium apice liberum setosum, inferne septis 8 lacunas totidem interjectas separantes calyci adnatum. Stylus sigmoideus. — In insula *Java;* Zollinger, Blume.

4. MARUMIA OLIGANTHA †.

M. ramis supremis adpresse tomentosis rubiginosis teretibus gracilibus; foliis ovatis breviter acuminatis basi cordatis, prætermisso nervo utroque marginali, 3-nerviis, pagina superiore glabris nitidis, inferiore stellato-tomentellis ferrugineis; pedunculis unifloris, calyce pilis apice stellatim multifidis vestito.

Folia quam in aliis speciebus breviora et magis ovata, scilicet limbo 7-8 centim. longo, 4 ½-5 lato, petiolo 5-10-millimetrali. Flores, saltem in speciminibus nostris, solitarii, pedunculo 3-4-centimetrali suffulti, bracteolis destituti. Calyx oblongo-campanulatus, pilis apice stellatis dense obtectus, strigis autem aculeolatis admodum destitutus, dentibus triangulari-acutis. Petala ovata, acuta? Staminum majorum connectivum productum, basi postica setis erectis quarum duæ laterales cæteris majores sunt ornatum; minorum connectivum infra loculos subnullum, setis priorum similibus sed paucioribus instructum. Ovarium inferne septis 8 calyci adnatum, apice villosulum. — In insula *Java;* Zollinger, *Cat.* n° 3070.

5. MARUMIA PACHYGYNA Korthals, *l. c.* — Blum., *Mus. bot. Lugd. Bat.*

M. submacrophylla; ramis pube rufa adpressa pulverulenta obductis; foliis ovato-oblongis acuminatis basi cordatis 5-nerviis, pagina superiore glabrata, inferiore adpresse stellato-puberula; pedunculis axillaribus longis 3-7-floris; calyce setis

rigidis apice stellatis et pube rufa stellulata conspersis quasi loricato; stylo carnoso tetraedro, basi in angulis costa quadruplici incrassato.

Species pluribus aliis primo adspectu similis, sed stylorum fabrica facile ut videtur agnoscenda. Folia 12-15 centim. longa, 6-7 lata, petiolis centimetralibus. Pedunculi communes axillares circiter 5-6 centim. longi; pedicelli proprii ferme bicentimetrales, sub flore bracteolis duabus linearibus instructi. Flores majusculi. Stamina parum inæqualia, antheris elongatis; majorum connectivo ad insertionem filamenti undique setoso-aristato; minorum antheris omnino sigmoideis, connectivo antice bisetoso, postice mutico. — In insula *Borneo;* Korthals. Specimen e Musæo Lugduno-Batavo communicatum est.

6. Marumia stellulata Blum., *Mus. bot. Lugd. Bat.*, 34. — *Marumia Jackii* Korthls., *l. c.* — *Melastoma stellulatum* Jack., *Trans. Linn. soc.* — DC., *l. c.*, 148.

M. tota, excepta foliorum pagina superiore glabrata, furfure stellulato minuto ferrugineo obducta; foliis oblongis acuminatis basi cordatis 5-nerviis; pedunculis communibus elongatis subramosis, floribus singulis subsessilibus; calyce pilis apice stellatim multifidis vestito.

Folia 12-15 centim. longa, 4 aut paulo amplius lata, petiolis vix centimetralibus. Pedunculi axillares interdum subracemiformes, apice et in medio floriferi, 5-9-flori. Pedicelli proprii crassi vix bimillimetrales. Staminum majorum connectivum basi multisetosum, minorum antice tantum biaristatum, aristis basi setulosis. — In insula *Sumatra;* Blume. Specimen e Musæo Lugduno-Batavo nobis communicatum est.

7. Marumia vulcanica Korthls, *l. c.*, 243. — Blume, *Mus. bot. Lugd. Bat.*, l. c.

8. Marumia reticulata Blume, *l. c.*

9. Marumia affinis Korthls, *l. c.*, p. 241; tab. 60.

Trium specierum hic memoratarum fragmenta habemus e Musæo Lugduno-Batavo communicata quæ manciora sunt quam ut in illis singularum characteres proprii deprehendantur. E floribus aut potius alabastris tenerrimis analysi subjectis maxima inter eas analogia, imo cum *M. stellulata* similitudo orta

est, adeo ut eas quatuor formas pro distinctis habitas in unicam olim speciem contrahendas esse minime miraremur.

Species addendæ sed incertæ :

10. M. LEPROSA Korthls, *l. c.*, 241.
11. M. ZEYLANICA Blum., *Rumphia*, 19, tab. 5.

LXV. *DRIESSENIA*. Tab. IV, fig. 6.

DRIESSENIA Korthals, *Verhandl. over de natuur. Gesch.*, 251, tab. 53. — Walp., *Repert.*, V, 687. — Blum., *Mus. bot. Lugd. Bat.*, 13.

Flos 4-merus. Calycis tubus campanulatus tetraedrus, dentes breves inter se basi confluentes denticulo externo minuto instructi. Petala ovata aut fortassis obovata. Stamina 8, alternatim inæqualia, 1-porosa ; 4 majorum antheræ subulatæ, connectivo infra loculos non producto, antice ad insertionem filamenti appendicibus duabus linearibus obtusis instructo, postice vix manifeste tuberculato-calloso ; 4 minorum oblongo-ovoideæ, connectivi appendiculis brevissimis vix perspicuis Ovarium ultra medium calyci adhærens, apice lobis 4 erectis ciliatis styli basim arcte circumdantibus coronatum, 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate subcapitellato aut saltem obtuso. Fructus capsularis subsphæricus, apice quadratim umbilicatus et obtuse 4-lobus, valvis 4 dehiscens. Semina numerosa placentis undique affixa, irregulariter dimidiato-ovoidea, raphe laterali nigra notata.

Herba borneensis, basi fortasse fruticans, macrophylla micrantha microcarpa, mature glabrata ; ramis adultis subteretibus ; foliis oppositis longe petiolatis lanceolato-ellipticis utrinque acutis integerrimis 5-*nerviis, in prima juventute pube alphitoidea afflatis, pagina superiore glabrata, inferiore pubem diutius retinente ; floribus in axillis foliorum aggregatis pedicellatis ; capsulis maturis semine raphanino vix crassioribus.*

1. DRIESSENIA AXANTHA Korthls, *l. c.* — Blume, *l. c.*

Rami foliosi et floriferi pennam corvinam anserinamve crassitudine æquantes. Folia a sesquidecimetro ad duo decimetra longa, 5-6 centim.

aut paulo amplius lata, petiolo 7-8-centimetrali. Flores in quavis axilla numerosi, pedicello gracili fere centimetrum longo instructi. — In insula *Borneo*, ad montem *Parawin;* Korthals.

LXVI. *BREDIA*. Tab. XII, fig. 2.

Bredia, Blume in *Mus. bot. Lugd. Bat.*

Flos 4-merus 8-stemon anisostemon. Calycis turbinati dentes breves angusti subreflexi, extus infra apicem denticulo minuto vix conspicuo instructi. Petala late obovata subobtusa. Staminum 4 majorum antheræ lineari-subulatæ falcatæ rostellatæ, connectivo antica basi bilobo, postica breviter calcarato; 4 minorum (fortassis sterilium) subulatæ rectæ aut parum arcuatæ, connectivo infra loculos exappendiculato; omnium apice 1-porosæ. Ovarium usque ad medium septis 8 antheras in præfloratione inflexas separantibus calyci adnatum, apice libero membrana 4-loba styli basim circumdante coronatum, 4-loculare. Fructus ut videtur capsularis. Semina ignota.

Suffrutex japonicus, ramosus anisophyllus; ramis compressis hispidulis; foliis oppositis petiolatis in eodem jugo valde disparibus late ovatis subacuminatis serrulatis basi rotundatis interdumque subcordatis quinque-quintuplinerviis sparsim pilosis; paniculis terminalibus paucifloris; *floribus longiuscule pedicellatis*, *roseis?*

1. Bredia hirsuta Blum., *l. c.*

Specimen unicum nobis a celeberrimo Blumio communicatum suprema pars est rami quæ plantæ habitum et staturam non satis indicat. Folia hujus majora minoribus oppositis duplo triplove longiora et latiora, 5 centim. circiter longitudine, 2 $\frac{1}{2}$ aut 3 latitudine explent, petiolis $\frac{1}{2}$-2-centimetralibus. Ramuli panicularum inferiores e foliorum supremorum, superiores e bracteolarum axillis orti, plerumque 3-7-flori, rarius 1-flori. Pedicelli graciles ferme sesquicentimetrum longi. Corolla expansa centimetrum diametro vix excedens. — In Japonia, ubi dicitur *Fasikan* et in hortis propter florum elegantiam colitur.

LXVII. *MEDINILLA*. Tab. XII, fig. 3-4.

MEDINILLA Gaudichaud, *Voy. Freycin.* — Blume in *Flora Mus. bot. Lugd. Bat.* — MELASTOMATIS species Linn. — DC., *Prod.*, III. — Bl. *Bijdr. Flor. ned. Ind.* — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6236.

Flores 4-5-meri, rarius 6-meri (Blume), nudi. Calycis tubus ovoideus aut turbinatus carnosus, limbus integer aut in lobos obsoletos divisus, rarissime irregulariter lacerus, denticulis externis aut punctis denticulorum vestigia exhibentibus sæpissime ornatus. Petala ovata obovatave acuta interdumque acuminata. Stamina 8 aut 10, rarius 12 (in floribus 6-meris), dolichanthera subæqualia aut manifeste inæqualia non tamen omnino disparia; antheris basi affixis, sæpius incurvis, lineari-subulatis, antice basi bilobis aut bicalcaratis, postice uni-bilobis aut unicalcaratis. Ovarium toto ambitu aut septis antheras in præfloratione inflexas separantibus tubo calycino usque ad apicem aut saltem maxima parte adhærens, 4-5-loculare, rarius 6-loculare (in floribus 6-meris); placentis lamelliformibus, margine libero incrassato carnosulis (*Sarcoplacuntia* Bl.) aut ex utroque latere in membranam ovuligeram expansis (*Campsoplacuntia* Bl.), multiovulatis. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus baccatus calycis limbo coronatus, 4-5-6-locularis. Semina irregulariter ovoidea aut ovoideo-dimidiata, raphe laterali nigra hinc notata.

Frutices Indiæ, archipelagi indici, Moluccarum, Mariannarum, Mascarenarum et Madagascariæ indigeni, erecti aut radicantes et pseudo-parasitici, glaberrimi, rarius furfure stellato detergibili obducti; ramis teretibus aut angulosis; foliis verticillatis aut simpliciter oppositis, rarissime abortu solitariis et alternis, ut plurimum ovato-ellipticis acutis integerrimis carnosis succulentisque (præsertim in speciebus pseudoparasiticis), *nervis primariis solito more convergentibus, nonnunquam autem* (testibus Blumio et Endlicherio) *divergentibus, sæpe purpurascentibus; floribus paniculatis aut ad axillas foliorum nodosve ramorum fasciculato-cymosis, ut plurimum roseis, interdum albis; caly-*

cibus pedunculisque sæpissime rubicundis, nonnunquam subdiaphanis.

Quæcumque sint Medinillarum quoad patriam habitum imo et fabricam florum diversitates, eas genus naturale constituere nemo negabit. Omnibus enim nescimus quid mollis et carnosi in indole commune est. Characteres autem facilius deprehendendi in calyce integro aut obsolete lobato denticulorum externorum vestigia præbente necnon in staminibus dolichantheris quorum connectivum infra loculos antice bilobum aut bicalcaratum, postice tuberculatum aut caudatum est, resident. Parvi equidem momenti nobis visa est a Blumio e placentis desumpta nota, quæ non tam structuræ differentiam quam carnositatis gradus varios indicat, quapropter divisiones *Campsoplacuntiæ* et *Sarcoplacuntiæ* negleximus. Nullam tamen aliam generis subdivisionem hic proponimus, dum Medinillarum formæ nobis nondum satis innotescunt.

1. MEDINILLA ROSEA Gaudich., *l. c.*, p. 484, tab. 106.

M. ramis subteretibus nodosis; foliis verticillatis petiolatis obovatis ovatisque apiculatis aut breviter acuminatis basi acutis triplinerviis glabris; fasciculis lateralibus 5-10-floris; floribus pro genere magnis 4-meris; calyce integerrimo; antheris basi 3-lobis.

Rami vetustiores foliis nudati, floriferi, teretes, ad nodos cicatricibus semilunaribus foliorum delapsorum notati. Folia in novellis terna aut sæpius quaterna, 5-7 centim. longa, interdum multo majora, 2-3 lata, petiolo 1-1 ½-centimetrali. Nervi laterales e medio circiter 4-5 millim. supra basim limbi orti, nervuli transversales indistincti. Calyx circiter 1 centim. longus carnosus ovoideus, post anthesim basi ventricosus, limbo haud patefacto, interdum lacero, sæpius integerrimo, punctis 4 externis vix conspicuis ad ipsum marginem instructo. Petala obovata apiculata rosea. Antheræ parum inæquales, apice angustato subulatæ, basi antica bilobæ, postica unilobæ, lobis omnibus obtusis, anticis divergentibus et auriculiformibus, postico prioribus paulo longiore, et appendiculam rotundatam et quasi subspathulatam constituente. Ovarium septis 8 calyci adhærens, apice membranula lacinulata styli basim cingente coronatum, 4-loculare. Bacca rosea. — In insula *Guaham* archipelagi Mariannarum; Le Guillou.

2. MEDINILLA QUADRIFOLIA Blum., *Flora, l. c.* — *Melastoma quadrifolium* Blum., *Bijdr.* — *Medinilla quadrifolia* Blum., *Mus. bot. Lugd. Bat.* — *Medinilla polyantha* Korthals.

M. submacrantha; ramis subteretibus; foliis carnosulis quaternatis petiolatis obovato-ellipticis apiculatis aut breviter acuminatis basi acutissimis triplinerviis; fasciculis 15-25-floris; floribus 4-meris; calyce integerrimo; antheris basi tricalcaratis.

Species *M. roseæ* proxima et fere simillima, vix characterem proprium in appendicibus antherarum longioribus et multo gracilioribus exhibens. Rami hornotini foliosi ananthi calamum scriptorium crassitudine subæquantes, annotini floriferi pennam cycneam crassitie æmulantes. Folia ut plurimum decimetralia aut paulo breviora, 4-5 centim. lata, petiolis sesquicentimetralibus, nervis lateralibus e medio centimetrum aut sesquicentimetrum supra basim ortis. Pedunculi 3-4 supra cicatrices foliorum delapsorum hinc et inde orti, apice umbellati multiflori, pedicellis semicentimetrum et quod excedit longis. Calyces ut in præcedente specie oblongo-campanulati, limbo integerrimo. Petala obovata, centimetrum longa? Staminum majorum connectivum infra loculos manifeste productum, omnium antice longe biappendiculatum, postice calcare gracili caudiformi obtuso instructum. Cætera ut in *M. rosea*. — In insula *Sumatra;* Korthals.

3. MEDINILLA RADICANS Bl., *Flora, l. c.* — *Melastoma radicans* Bl., *Bijdr., l. c.*

M. pseudo-parasitica? ramis teretibus radicantibus; foliis verticillatis petiolatis elliptico-ovatis obovatisque breviter acuminatis, basi attenuata acutis, marginibus subsinuatis et quasi obsolete denticulatis, 1-nerviis aut potius penninerviis, glabris; floribus 4-meris.

Species foliorum nervatione inter omnes conspicua, *M. roseæ* florum structura proxima. Rami hornotini lignosi teretes, pennæ anserinæ imo et cycneæ crassitiem æmulantes. Folia in quovis verticillo quina aut sena, rarius terna aut septena, 7-10 centim. longa, 3-5 lata, petiolo 2-2 $\frac{1}{2}$-centimetrali, nervo medio crasso, nervulis transversis divergentibus. Inflorescentia nobis ignota. Calyx ante floris explicationem ovoideo-cylindricus, post anthesim basi ventricosus; limbo erecto integro, punctis 4 minutis, denticulorum vestigiis, in ipso margine notato. Petala obovata,

centimetralia? carnosula. Stamina 8, parum inæqualia; antheris lineari-subulatis, connectivo basi antica in appendices duas obtusas, postica in caudam brevem subclavatam obtusamque producto. Ovarium usque ad apicem septis 8 adhærens, 4-loculare. — In insula *Java;* Blume.

4. Medinilla crassifolia Bl., *Flora, l. c.* — *Melastoma crassifolium* et *Melastoma diaphanum* Bl., *Bijdr.*, *l. c.*

M. ramis teretibus; foliis verticillatis succulentis petiolatis elliptico-ovatis acuminatis basi subrotundatis marginibus interdum obsolete sinuatis ut plurimum trinerviis glabris; umbellis axillaribus simplicibus aut corymboso-trichotomis; floribus 4-meris; antheris basi antica bilobis, postica calcaratis.

Rami foliosi subherbacei, vetustiores denudati lignosi foliorum delapsorum cicatricibus subtriangularibus ad nodos quadrifariam notati. Folia in eodem jugo quaterna carnosa punctulata, 8-9 centim. longa, 3-5 lata; petiolo sesquicentimetrali, nervis in parenchymate immersis parum conspicuis. Umbellæ paucifloræ, pedunculo communi sesquicentimetrali suffultæ. Calyx ovoideo-oblongus, limbo erecto integro denticulis 5 externis brevissimis instructo. Petala carnosa obovata ovatave. Stamina subæqualia; antheris arcuatis, connectivo basi antica obtuse bilobo, postice in calcar obtusum seu caudam brevem producto. Ovarium toto ambitu adhærens. Cætera ignota. Descriptio e specimine valde incompleto; florum analysis ex alabastro nondum adulto. — In insula *Java;* Blume.

Alterum specimen sumatranum a Blumio sub eodem nomine *M. crassifoliæ* recepimus, cujus folia simpliciter opposita sunt nec quaterna; sed quum floribus fructibusque careat, utrum ad eamdem speciem pertineat necne, non affirmare possumus.

5. Medinilla rubicunda Bl., *Flora*, 1831, p. 512. — *Melastoma rubicundum* Jack., *Trans. Linn.*, XIV, p. 18.

M. ramis subteretibus aut obscure 4-gonis; foliis brevissime petiolatis lanceolato-ellipticis acuminatis basi subacutis triplinerviis glabris; floribus 4-meris; calyce integerrimo; antheris basi breviter et obtuse trilobis.

Rami exsiccati cortice corrugato vestiti, ad apices foliosi, inferius denudati et foliorum delapsorum cicatrices magnas lunulatas ostendentes. Folia 8-12 centim. longa, 3-4 lata, petiolo 3-6-millimetrali quandoque

subnullo ; nervis duobus lateralibus e medio centimetrum circiter supra basim limbi enatis , nervulis transversis non manifestis et quasi omnino nullis. Florum fasciculi cymosi breves oliganthi micranthi, in nodis ramorum foliis destitutorum inserti et quasi e cicatricibus orti. Alabastra apice conico acutissima (flores autem aperti haud visi), pedicellis millimetralibus suffulta. Calyx turbinatus, limbo integerrimo extus infra marginem punctis 4 denticulorum totidem vestigiis sed vix conspicuis notato. Petala ovato-acuminata. Stamina æqualia aut vix non æqualia ; antheris lineari-subulatis, connectivo basi antice bilobo et cum loculis ipsis confluente, postice unilobo; lobis omnibus rotundatis. Ovarium summo apice liberum, 4-loculare. Cætera ignota. — In monte *Sillet* Indiæ; Wallich. Incola quoque est insulæ *Sincapore* prope peninsulam Malaccensem, ex Jackio. An nostra species eadem sit ac Jackiana, non plane absque dubio est.

6. MEDINILLA ERYTHROPHYLLA Lindl., *Bot. Reg.*, ann. 1838, *misc.*, nº 158.

M. erecta nec parasitica, glaberrima; foliis oppositis breviter petiolatis lanceolato-ellipticis acuminatis basi subacutis triplinerviis; florum fasciculis lateralibus brevibus oliganthis; floribus 4-meris; calyce succulento ceraceo integerrimo; antheris basi obtuse et breviter 4-lobis.

Frutex erectus circiter metralis, parum ramosus; ramis teretibus, apice foliosis, inferius denudatis et floriferis. Cicatrices foliorum delapsorum semilunares, magnæ. Folia juniora purpurascentia, adulta viridia, decimetrum et quod excedit longa, 4-5 centim., lata, petiolo bi-trimillimetrali, nervis purpureis. Cymulæ breves, 3-9-floræ, e nodis ramorum denudatorum supra cicatrices ortæ ; florum pedicellis 5-10-millimetralibus, in medio interdum aut basi bibracteolatis. Calyx suburceolatus subdiaphanus purpureus, limbo integerrimo tuberculis 4 minimis vix perspicuis infra marginem instructo. Petala lanceolato-obovata apiculata, erecta nec patula, carnosula, 2-2 ½ centim. longa, rosea. Stamina 8 inæqualia conformia; antheris lineari-subulatis valde incurvis purpureis, apice attenuato cinereis, basi antice et postice bituberculata nec calcarata luteis; filamentis albis. Ovarium septis 8 fere ad apicem usque adhærens, 4-loculare. Placentæ lamelliformes. Ovula ovoidea, raphe laterali ovali notata. Stigma acutum. Fructus ignotus. — In India?; Gibson. Colitur in horto Parisiensi.

7. Medinilla laurifolia Bl., *Flora*, *l. c.* — *Melastoma laurifolium* Bl., *Bijdr.*, *l. c.*

M. pseudoparasitica? ramis teretibus radicantibus, supremis obscure 4 gonis; internodiis elongatis; foliis oppositis rarius ternis petiolatis elliptico-ovatis breviter acuminatis basi subrotundatis 3-nerviis glabris; pedunculis axillaribus 3-5-7-floris; floribus 5-meris; antheris basi 3-calcaratis.

Rami graciles scandentes ad nodos radicantes, circiter pennam anserinam crassitudine æquantes aut superantes. Folia 7-8 centim. longa, 3-4 lata, petiolo 1-1 ½-centimetrali, marginibus infra apicem nonnihil undulatis et sinuatis, nervis lateralibus duobus paulo supra basim limbi e rachi ortis. Pedunculi (secundum Blumium) subtriflori, axillares, petiolis longiores. Calyx campanulato-turbinatus, limbo membranaceo molli nonnihil dilatato, punctis 5 denticuliformibus in ipso margine instructo. Petala obovata, apiculata? sesquicentimetrum longa. Stamina subæqualia? antheris lineari-subulatis arcuatis, connectivo infra loculos antice in appendices duas calcariformes subuncinatas, postice in calcar gracile acutum producto. Ovarium fere usque ad apicem (fortasse toto ambitu) adhærens, 5-loculare? Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Variat foliis triplinerviis, basi acutis, et antherarum calcare postico obtuso. — In insula *Java;* Blume, Zollinger, nº 1296.

8. Medinilla loranthoides †. Tab. XIII, fig. 2.

M. parasitica succulenta subglabra; ramis subtetragonis, apice paucifoliosis, inferius mature denudatis, cicatricibus foliorum delapsorum maximis cordiformibus hinc et inde notatis; foliis oppositis carnosis brevissime petiolatis ovatis obtusis basi nonnihil cordatis obsolete 3-5-nerviis; florum fasciculis supra cicatrices e nodis ramulorum denudatorum ortis; floribus longiuscule pedicellatis 5-meris.

Species egregia, Medinillæ characteres ad summum exhibens, truncis arborum parasitica aut potius pseudoparasitica, Loranthorum et Visci nostratis faciem quodammodo referens. Folia carnosa rigidula, cito decidua, in siccis speciminibus contracta et corrugata, 5-6 centim. longa, 3 lata, petiolo crasso vix bimillimetrali, nervis lateralibus in parenchymate limbi immersis parum conspicuis. Pedunculi laterales multiflori. Florum pedicelli nunc simplices nunc e ramulo brevissimo enati, circiter sesquicentimetrales, graciles, puberuli. Calyx campanulatus-ramo-

sus puberulus, limbo membranaceo integerrimo. Stamina obovato-linearia obtusa, 7 millim. longa. Stamina 10 æqualia late 1-porosa, antheris subrectis basi antica biuncinatis, postica calcare acuto recto deorsum vergente instructis. Ovarium toto ambitu et ad apicem usque adhærens, 4-5-loculare; stylo filiformi, stigmate punctiformi. Fructus ignotus. — In insulis Borbonia et Mauritiana; Riedlé?

9. MEDINILLA JAVANENSIS Bl., *Flora*, 1831. — *Melastoma javanense* DC., *l. c.* — Blume, *Bijdr.*, *l. c.* — Tab. XII, fig. 4.

M. glaberrima macrophylla; ramis quadrangulis, breviter quadrialatis; foliis oppositis subsessilibus membranaceis oblongo-ovatis ovatisve acuminatis basi obtusis interdumque subrotundatis, adjecto nervo utroque submarginali quintuplinerviis; paniculis multifloris terminalibus; floribus 5-meris; antheris basi antica biuncinatis, postica calcaratis.

Species inter pulcherrimas hujus generis numeranda, quamvis flores habeat mediocris magnitudinis. Rami veteriores foliis nudati cicatrices ad nodos insculptas ostendentes. Folia 12-18 centim. longa, 5-8 lata, petiolo vix ullo. Paniculæ ad apices ramorum terminales, ramulis trichotomis aut subumbellatim divisis, pedicellis brevibus interdum medio bibracteolatis. Calyx late campanulatus, limbo breviter et obtuse 5-lobo, lobis denticulum externum gerentibus. Petala late obovata subinæquilatera apiculata, 8 millim. et quod excedit longa, albo-rosea. Stamina parum inæqualia conformia; antheris arcuatis, antica basi calcaribus duobus adscendentibus, postica unico deorsum vergente instructis. Ovarium globosum, vix ad medium usque adhærens, 5-loculare. Fructus baccæ sunt atro-purpureæ, succo saccharino refertæ, edules, circiter crassitudine pisi. Quos appetunt mulieres gravidæ ratæ infantium venustatem ex illorum usu pendere. — In montibus insulæ Javæ; Leschenault, Blume.

10. MEDINILLA SPECIOSA Bl., *Flora*, 1831. — *Melastoma eximium* Bl., *Bijdr.* non Jack. — *Medinilla speciosa Bot. Mag.*, IIIe *série*, tab. 4321.

M. interdum pseudoparasitica macrophylla; ramis trigonis aut tetragonis, trialatis quadrialatisve, ad nodos fasciculo pilorum crassiorum quasi manicatis; foliis ternis quaternisve brevissime petiolatis aut subsessilibus obovato-ellipticis acutis basi nonnihil cuneatis quintupli-septuplinerviis glabris sub lente

punctulatis; paniculis magnis floribundis terminalibus; floribus 5-meris 4-merisque; antheris basi obtuse trilobis.

Species totius generis, secundum *M. magnificam*, pulcherrima, foliis maximis florumque ubertate superbiens, monticola, nemorosa, rarius pseudoparasitica (ex Blumio). Rami hornotini crassi succulenti acute 3 aut 4-goni, ad angulos ala brevi et quasi duplici instructi, ad nodos appendicibus paleaceo-piliformibus crassis rufis erectis dense obsiti. Folia 2 decim. et quod excedit longa, 8-9 centim. lata, petiolo vix centimetrali, nervis subtus purpureis. Flores 5-meri et 4-meri, breviter pedicellati. Calyx rubens campanulatus, limbo breviter et obtuse 4-5-dentato, dentibus puncto externo seu denticuli vestigio notatis. Petala ovata acuta ferme centimetralia. Antheræ parum inæquales sigmoideæ subulatæ, antica basi bilobæ, postica unilobæ, lobis obtusis. — In locis humidis Javæ interioris. Reperta quoque in cacumine montis *Tidore* Moluccarum; Blume.

11. Medinilla Cummingii. — *Medinillæ speciosæ* var. *Bot. Mag.*, tab. 4321.

M. pseudoparasitica? submacrophylla submicrantha; ramis obtuse 3-4-gonis nec alatis, ad nodos fasciculo pilorum crassiorum instructis; foliis verticillatis ovato-ellipticis obovatisque acuminatis basi in petiolum brevem angustata subacutis quintuplinerviis glabris impresso-punctulatis; paniculis axillaribus; floribus 4-meris; antheris basi inæqualiter 3-lobis.

Species manillana a celeberrimo Hookerio cum *M. speciosa* confusa, saltem quantum ex speciminibus herbarii nostri apparet. Huic primo intuitu proxima videtur, sed differentiales notæ sese eo magis explicant quo attentiores oculi in iis versantur. In hac specie rami quam in illa graciliores sunt, minus succulenti nec acute angulosi aut alati. Folia ternata quaternatave, fortassis etiam opposita, sesquidecimetrum longa, 5-6 centim. lata. Paniculæ axillares quam in *M. speciosa* debiliores et minus floribundæ, floribus quoque minoribus. Calyx obtuse 4-dentatus, dentibus dorso denticulum acutum minutum gerentibus. Petala ovata? Stamina 8 subæqualia æqualiave, antheris subulatis, basi antica breviter bilobis, postica tuberculo minimo instructis. Ovarium septis octo calyci adhærens, 4-loculare. — In insula Luzonia Philippinarum, prope *Manille;* Cumming, *Cat.* n° 836.

12. Medinilla pterocaula Bl., *Rumphia*, p. 12, tab. 1.

M. sarmentosa; ramis scandentibus e polygono teretibus multialatis, alis crispulis; foliis verticillatis petiolatis ut plurimum elliptico-obovatis apiculatis aut breviter et abrupte acuminatis basi acutis et in petiolum decurrentibus triplinerviis glabris; cymis aut umbellulis axillaribus paucifloris; floribus 5-6-meris; antheris basi antice bilobis, postice calcaratis.

Frutex alte scandens, inter omnes hujus generis ramis multialatis alisque undulatis conspicuus. Rami foliosi pennam cycneam crassitudine circiter æquantes, vetustiores foliisque denudati digitum humanum (ex Blumio) fere æmulantes. Alæ numero foliorum in verticillo quovis duplæ, breves, infra verticillum potissimum undulatæ. Folia in verticillis quaterna-octona, 8-12 centim. longa, 4-6 lata, petiolo 1-3-centimetrali, carnosula, in novellis pube furfuracea tenui conspersa mox glabrata, nervis subtus prominentibus. Umbellulæ supra cicatrices ramorum denudatorum aut ex axillis foliorum nondum delapsorum ortæ, foliis ipsis triplo quadruplove breviores, pedunculis pedicellis calycibusque roseis aut rubicundis. Flores sæpius 5-meri. Calyx carnosus, campanulatus, limbo erecto, punctis 5 aut 6 infra marginem notato. Petala obovato-trapezoidea, circiter centimetralia, albicantia. Antheræ subæquilongæ, calcare postico sursum incurvo, obtuso. Ovarium septis 10-12 calyci adhærens, 5-6-loculare. Bacca purpurea, pulposa. — In umbrosis humidis Javæ interioris; Blume.

13. Medinilla macrocarpa Bl., *Rumphia*, I, p. 14, tab. 2. — *Flora*, 1831, *l. c.*

M. scandens macrantha macrocarpa; ramis nodosis teretibus; foliis quaternis petiolatis elliptico-obovatis breviter acuminatis basi acutis margine sinuatis triplinerviis glabris aut glabratis; cymis lateralibus paucifloris; floribus 5-6-meris; calycis limbo irregulariter lacero; antheris subæqualibus, connectivo infra loculos producto, basi antica biauriculato, postica calcarato.

Pauca tantum de hac egregia stirpe, propter paupertatem speciminis nostri, nobis dicenda sunt. Melius erit si lector ad ipsam Blumianam iconem descriptionemque supra indicatam recurrat. Species cæterum inter omnes asiaticas ejusdem generis characteribus facile animadver-

tendis eminet, scilicet calycis limbo lacero et antherarum connectivo infra loculos longe producto. Addenda quoque est florum fructuumque magnitudo, quæ talis est ut, illo respectu, nulla alia Medinillæ species cum hacce decertare possit. Folia 10-14 centim. longa, 5-6 lata, petiolo sesquibicentimetrali. Cymæ 3-5 rarius 7-floræ. Calyx late campanulatus, tubo subsphærico, limbo membranaceo irregulariter lacero. Petala obovata inæquilatera, sesquicentimetrum longa. Antherarum connectivum infra loculos longe productum, cum loculis ipsis tamen confluens, ad articulationem filamenti auriculis duabus antice, calcare subobtuso postice instructum. Ovarium globosum adhærens (utrum septis an toto ambitu incertum est). Bacca globosa rosea drupam cerasi crassitudine subæquans. — In insula Amboina; Blume.

14. Medinilla bracteata Bl., *Flora*, *l. c.*

M. ramulis teretibus, pro genere gracilibus; foliis oppositis lanceolato-ellipticis utrinque acuminatis basi in petiolum decurrentibus exigue remoteque denticulatis quintuplinerviis; cymis bracteatis paucifloris submicranthis, supra cicatrices ramorum denudatorum insertis; floribus 5-meris.

Planta in herbario nostro valde manca, florem perfectum nullum exhibens. Ramum habemus circiter crassitudine pennæ anatinæ foliis quatuor instructum. Folia 7-9 centim. longa, 3-4 lata, petiolo circiter centimetrali. — In insulis Moluccis; Blume.

15. Medinilla succulenta Bl., *Flora*, *l. c.* — *Melastoma succulentum* Bl., *Bijdr.*

M. pseudoparasitica; ramis obscure 4-gonis crassiusculis succosis verrucosis; foliis carnosulis oppositis sessilibus ovato-oblongis aut omnino lanceolatis acutis basi attenuatis obsolete triplinerviis; cymis ramosis; floribus 4-meris.

Specimen nostrum frustulum est nomine speciminis prorsus indignum cui folia vix supersunt, floribus fructibusque cæterum cassum. Ex habitu quantum dijudicare licet, accedit ad *M. javanensem*. — In insula Java; Blume.

16. Medinilla hypericifolia Bl., *Flora*, *l. c.* — *Melastoma hypericifolium* Bl., *Bijdr.* — DC.

M. ramis teretibus nodosis; foliis oppositis sessilibus ovato-

oblongis lanceolatisque acuminatis basi rotundata subcordatis obsolete triplinerviis glaberrimis ; floribus 5-meris.

Specimen nostrum floribus fructibusque caret, ideoque illius species nobis nonnisi incomplete innotescit, sed ab omnibus habitu et facie quæ *Eucalypti* formas nonnullas in mentem revocat diversissima est. Rami quam in pluribus Medinillæ speciebus firmiores videntur, imo et hornotini jam fibris lignosis indurantur quamvis crassitie pennam anatinam columbinamve vix superent. Folia subcoriacea glaucescentia (saltem in specimine exsiccato), 7-10 centim. longa, 2-lata, nervis lateralibus subobsoletis, nervulis transversis non omnino inconspicuis. Gemmæ axillares fasciculo pilorum brevium ferrugineorum obsitæ. Cicatrices foliis delapsis succedentes suborbiculares. Inflorescentiam nec flores vidimus. Ex Blumio cyma subramosa est et flores sæpissime 5-meri, nihil autem de antherarum ovariique fabrica nos celeberrimus auctor monet. — In insula Java ; Blume.

17. Medinilla occidentalis †.

M. pseudoparasitica ? macrophylla ; caule ramisve tetragono-compressis quadrialatis ; foliis carnosulis oppositis sessilibus late ovatis obovatisve marginibus sinuato-denticulatis nonuplinerviis pube minuta furfuracea conspersis ; cymulis paucifloris lateralibus brevibus ; floribus 4-meris ; calycis limbo membranaceo dilatato irregulariter lacero.

Propter patriam a Medinillarum præcipua regione remotissimam, planta maximi momenti, infeliciter autem in herbario nostro summopere incompleta est, dum caulis frustulum foliumque unicum nec integrum quidem sola suppetunt. Quamvis tamen nec genitalia nec fructus nobis visa fuerint, de loco in systemate occupando non dubitamus, Medinilla enim toto habitu et vultu patet. Characteres ergo perpaucos sic ex specimine trunco indigitabimus. Caulis (fortasse ramus) lignosus, hinc et inde alternatim inter nodos compressus, 4-alatus, cicatricibus foliorum delapsorum maximis irregulariter trapezoideis notatus, pennam cycneam aquilinamve crassitudine æmulans. Folia (quantum ex unico et dilacerato judicandum est) late obovata? fortassis quoque late elliptica, bas nonnihil cuneata, sesquidecimetrum longa, 12 centim. lata, multiplinervia, nervulis transversis inter nervos primarios numerosis manifestisque. Cymæ trichotomæ, supra cicatrices foliis deciduis succedentes insertæ, ut videtur 9-15-floræ. Calycis tubus campanulatus, limbo membranaceo magno dilatato, in lobos tres inæquales ut plurimum lacero. E cicatri-

culis staminum defunctorum locum occupantibus, florem 4-merum intelleximus. Ovarium adhærens, 4-loculare? — In insula Madagascaria; Bréon.

Species addendæ, non autem omnes certissimæ.

18. M. CRISPATA Bl., *Rumphia*, I, p. 11. — *Flora*, 1831, p. 517.

19. M. CRASSINERVIA Bl., *Flora*, 1831, p. 510.

20. M. HASSELTII Bl., *l. c.*, 513.

21. M. VERRUCOSA Bl., *l. c.*, 514. — *Melastoma verrucosum* Bl., *Bijdr.*, 1078.

22. M. ALPESTRIS Bl., *l. c.* — *Melastoma alpestre* Jack, *Trans. linn. soc.*, XIV.

23. M. KUHLII Bl., *Flora*, *l. c.*

24. M. EXIMIA Bl., *l. c.* — *Melastoma eximium* Jack, *l. c.*

25. M. SIEBOLDTIANA Planchon, *Flore des serres*, juin 1849. — *M. eximia* Sieb. in *Hort.*, Van-Houtte.

26. M. INTERMEDIA Bl., *l. c.*

27. M. POLYANTHA Korthls., *Verh. over de nat.*, 245, tab. 61.

28. M. CUSPIDATA Bl., *Mus. bot. Lugd.*, p..

29. M. KORTHALSII Bl., *l. c.*, 18.

30. M. CELEBICA Bl., *l. c.*, 18.

31. M. ALTERNIFOLIA Bl., *l. c.*, 19.

32. M. MACROPHYLLA Bl., *l. c.*, 19.

33. M. BORNEENSIS Bl., *l. c.*, 20.

34. M. AMPLEXICAULIS Bl., *l. c.*, 20.

35. M. MURICATA Bl., *l. c.*, 20.

36. M.? SALICIFOLIA Bl., *l. c.*, 21.

37. M. MAGNIFICA Hook., *Bot. mag.*, tab. 4533. — Planchon, *Flore des serres*, 1850.

Species e genere exclusæ :

M. venosa Bl., *Bijdr. nat. Wet.* — *Melastoma venosum* Bl., *Flora*, *l. c.* = HYPENANTHE VENOSUM Bl., *Mus. bot. Lugd.*

M. bracteata Bl., *Bijdr. nat. Wet.* = DACTYLIOTA BRACTEATA Bl., *Mus. bot. Lugd.*

LXVIII. *DIPLOGENEA*. Tab. XIII, fig. 3.

DIPLOGENEA Lindley in *Brandes Quarterl. journ.*, oct. 1828, p. 122. — Endlich., *Gen.*, n° 6249.

Flos 4-merus. Calyx campanulatus, limbo integro membranaceo carnosulo, denticulis 4 brevibus externis instructo. Petala (in alabastro tenerrimo) ovata acuminata (fortassis in flore aperto obovata et apiculata). Stamina 8 (ante floris explicationem visa) æqualia, antheris oblongo-ovoideis apice subulato 1-porosis, connectivo postice in appendicem brevem conicam cum loculis ipsis confluentem desinente, antice infra loculos ut videtur bicalcarato non autem producto. Ovarium omnino adhærens, disco carnoso coronatum, 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus baccatus?

Frutex madagascariensis, fortasse scandens et pseudo-parasiticus glaberrimus; ramis carnosis dichotomis ramos Visci nostratis fere referentibus; foliis oppositis ellipticis ovatisve (siccine semper?) *integerrimis carnosis 3-nerviis; floribus subparvis in racemos* (cymas?) *axillares breves dispositis.*

Diplogeneæ species unica a celeberrimo Lindlæo viginti duobus abhinc annis ex incompletis frustulis descripta, nulli viatori iterum obvia fuit, ideoque nobis adhucdum imperfecte cognoscitur. Folium floremque unum et alterum e Musæo Londinensi benigne communicata recepimus quæ, nobis analysi subjecta, genericos characteres supra memoratos præbuerunt. In errorem incidisse Lindlæum credimus, quum calycem calyptratum inapertum demumque circumscissum descripsit, quem vero Medinillarum imo et Melastomearum plurium calyci conformem ipsi reperimus. Corollam in alabastris exsiccatis inapertam et propter petala inter se agglutinata calyptriformem pro ipso calycino limbo ab hoc illustri Botanices magistro desumptam suspicamur. Nec nobis magis occurrerunt receptacula oleifera in parenchymate foliorum et calycis descripta, sed epidermidem punctulatam et rugosam qualem foliorum carnosorum esse decet postquam exsiccatione contracta fuerunt, cellulasque parenchymatis aqua tepida

molliti materie grumosa refertas tantummodo vidimus. Incertam quoque habemus antherarum fabricam quas, etsi calcaria antica a Lindlæo descripta animadvertere nequivimus, facile ut in Medinilla bicalcaratas arbitraremur, cui enim generi Diplogenea proxime accedit etiamque, nisi obstaret discus ovarii apicem vestiens, fortassis jure conjungeretur.

1. Diplogenea viscoidea Lindl., *l. c.*

In insula Madagascaria ad promontorium Sanctæ Mariæ.

LXIX. *DACTYLIOTA.*

Dactyliota Blum., *Mus. bot. Lugd. Bat.*, 21. — Medinillæ spec. Blum., *Bijdr. nat. Wet.*, VI, p. 219.

1. Dactyliota setigera Bl., *l. c.*, 22. — *Melastoma setigerum herb.* Korthls. — Non Blume.

2. Dactyliota bracteata Bl., *l. c.* — *Medinilla bracteata* Blum., *Bijdr. nat. Wet.*, *l. c.*

LXX. *HYPENANTHE.*

Hypenanthe Blum., *Mus. lot. Lugd. Bat*, 21. — Medinillæ spec. Blum., *Bijdr. nat.*, *Wet.*, VI, p. 258 et *Regensb. bot. Zeit.*, 1831, II, p. 518. — Melastomatis spec. Blum, *Bijdr. Flor. Ned. Ind.*, 1975. — DC., III, 150.

1. Hypenanthe venosum Blum., *l. c.* — *Medinilla venosa* Blum., *Bijdr.*, *l. c.*, etc.

LXXI. *TRIPLECTRUM.*

Triplectrum Don ex Wight et Arnott, *Prod.*, I, 324. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6237.

1. Triplectrum radicans Don., *l. c.*

Triplectri genus maxime dubium est et ut videtur ex anomalo specimine conditum. Speciem hujus unicam Medinillis proximam esse censemus.

LXXII. *ERPETINA*. Tab. XIV.

Flos 4-merus. Calyx oblongo-campanulatus ; limbo membranaceo expanso integerrimo, punctis 4 vix conspicuis subnullisve denticulorum externorum locum occupantibus instructo. Petala exserta oblongo-ovata acuta. Stamina 8, æqualia; antheris lineari-subulatis, rima duplici longitudinaliter dehiscentibus; connectivo infra loculos manifesto, postice in calcar acutum descendens producto. Ovarium tubo calycino usque ad apicem connatum 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus baccatus, calycis limbo persistente coronatus. Semina numerosa, in pulpa placentarum nidulantia, irregulariter ovoideo-dimidiata et subincurva, raphe laterali nigrescente notata.

Frutex in archipelago Salomonis indigenus, sarmentosus scandens et pseudoparasiticus, glaber ; ramis ad nodos radicantibus ; foliis carnoso-coriaceis petiolatis ellipticis integerrimis triplinerviis ; floribus axillaribus solitariis, longiuscule pedicellatis.

Invita antherarum rimosa dehiscentia, genus istud cum Medinilla affinitatem retinet. Apparent enim Medinillarum plurium habitus carnositas et color; imo et antherarum fabrica, quoad connectivum et appendicem posticam, in illis respondentium partium formas vix non exhibet.

1. Erpetina radicans †.

Rami graciles, nodosi, pennam anatinam crassitudine ut plurimum æmulantes, rarius multo crassiores. Folia elliptica vel ovato-elliptica, apiculata aut obtusa, triplinervia, 2-3 centim. longa, 1 ½-2 lata, petiolo 3-4-millimetrali. Petala 5-7 millim. longa. Fructus maturus circiter crassitie pisi minoris, globosus, sub limbo calycino constrictus, pedicello gracili fere 2-centimetrali. — In insulis *Ysabel* et *Saint-Georges* archipelagi Salomonis hucusque tantum reperta; Hombron, Leguillou.

LXXIII. *PACHYCENTRIA*.

Pachycentria Blume, *Flora*, 1831; — *Mus. bot. Lugd. Bat.*, p. 22. — Melastomatis species Blume, *Bijdr.* — DC., *Prod.* III, 149.

Flos 4-merus. Calycis tubus ante explicationem floris oblongo-

campanulatus, in medio aut infra medium nonnihil constrictus, post anthesim urceolatus; limbus membranaceus, obsolete 4-lobus aut integer, extus denticulis totidem acutis limbi marginem paulo excedentibus instructus. Petala ovata acuminata. Stamina 8, æqualia; antheris ovoideo-oblongis, apice fere in rostrum attenuatis, 1-porosis; connectivo basi antica nullo, postica in calcar crassiusculum acutum producto. Ovarium maxima parte et toto ambitu adhærens, apice conico liberum angulatum, 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate obtuso. Bacca globosa, calycis tunc urceolati limbo coronata. Semina ovoidea lævia, raphe laterali notata.

Frutices archipelagi indici et moluccarum indigeni, scandentes et pseudoparasitici, glabri aut in novellis furfuracei sed mature glabrati, micranthi, multiflori; ramis teretibus aut in juventute compressis et ut pedunculi calycesque punctis atro-purpureis conspersis; foliis petiolatis ovato-lanceolatis integerrimis 3-nerviis; paniculis corymbosis dichotome ramosis terminalibus subterminalibusque; pedicellis medio bibracteolatis; floribus roseis.

1. Pachycentria constricta Blum., *l. c.*, p. 519. — *Melastoma constrictum* Bl., *Bijdr.* — DC., *l. c.*

P. macrophylla; foliis utrinque subacutis; nervis lateralibus duobus subobsoletis; antherarum calcare subtriquetro acutissimo deorsum vergente.

Plantæ frustulum habemus fructibus floribusque tamen non carens. Folia 12-15 centim. longa, 5-7 lata, petiolo 1-1 ½-centimetrali; fortassis in planta viva carnosula, ut apparet ex siccis quorum parenchyma contractum et rugosum nervulos reticulatos patefacit. Petala 3-4 millim. longa, longiuscule acuminata. Staminum calcar antheram ipsam longitudine subæquans, saltem in alabastro rectum. — In insulis Sundaicis necnon in Moluccis. Habemus ex herbario clar. Blumii in insula Java collectum.

2. Pachycentria varingiæfolia Blume, *Flora*, 1831. — *Melastoma varingiæfolium*, Blum., *Bijdr.* — DC., *l. c.*

P. ramis supremis compressis et subtetragonis; foliis longiuscule

petiolatis ovato-lanceolatis acuminatis basi acutis, nervis lateralibus subobsoletis.

Fragmentum incompletissimum plantæ tantum habemus, sed ab inclyto Blumio ipso nomine *P. varingiæfoliæ* inscriptum, unde nobis typus fit certissimus. Folia (saltem quæ suppetunt) 6-8 centim. longa, 2-2 ½ lata, petiolo 1-1 ½ imo interdum fere 2-centimetrali, gracili. Cætera deficiunt. *P. rigidæ* Bl. affinis videtur. — In insula Java ; ex herbario Blumii communicatum est.

3. Pachycentria Zollingeriana †. — *P. varingiæfolia* Moritzi, *System. Verzeich.*

P. ramis geniculatis nodosis hinc et inde alternatim compressis, junioribus furfure atro-purpureo obductis mox glabratis ; foliis brevissime petiolatis lanceolato-oblongis acutis, basi minime cordatis, nervis lateralibus subobsoletis, primo intuitu glabris, sub lente leprosis, succulentis ; paniculis corymbiformibus axillaribus floribundis, primo trichotome, mox dichotome et geniculatim ramosis ; alabastris acutissimis.

Planta Zollingeriana in opusculo cui titulus *Systematisches Verzeichniss der von Zollinger* etc. cum *Pachycentria varingiæfolia* Bl., confusa quamvis ab ea manifestissime discrepet. Multo affinior videtur *P. tuberculatæ* Korthls. cui hanc adjunxissemus nisi petala acuta haberet dum in Korthalsiana specie subobtusa sunt, utrique enim fere omnes characteres sibi invicem conveniunt. Nostræ folia 12-15 centim. longa sunt, circiter 3 lata, petiolo (saltem supremorum) 4-5-millimetrali. Ramuli paniculæ compressi, punctis pulveraceis fuscis uti calyces ipsi conspersi. Flores minuti ; calyce oblongo, infra medium constricto, superius fere 8-costato. Petala ovato-acuta, in planta exsiccata pallide rosea, 3-4 millim. longa. Antheræ quasi fusiformes, recurvæ, apice in rostrum attenuatæ, calcare recurvo et sursum nonnihil spectante. Stigma obtusum subcapitellatum. — In insula Java ; Zollinger, *Cat.* n. 1301.

4. Pachycentria elliptica Blum., *Mus. bot. Lugd. Bat.*, 23.

P. ramis gracilibus e compresso teretibus apice fuscescenti-pulverulentis mox glabratis ; foliis majusculis oblongo-ellipticis acutiusculis basi obtusis glabris 3-nerviis ; paniculis termina-

libus brevibus corymbosis paucifloris, rachi ramulisque complanato alatis ; petalis pellucidis.

Folia 1 ½-2 decim. longa, 6-7 centim. lata, petiolo sesqui-tricentimetrali, nervis lateralibus margini proximis, in speciminibus exsiccatis fere pellucida, in eodem jugo interdum inæqualia. Paniculæ in extremis ramis terminales (fortassis quoque axillares) breves, rachi et ramulis alatis furfure minuto afflatis conspicuæ. Alabastra acuta. Petala ovato-acuminata, 5-6 millim. longa. Antheræ fere cultriformes, rostro recurvo, calcare acuto, cuniculorum aut caprarum caudæ instar sursum erecto. — In insula *Borneo*, Blume.

Species addendæ :

5. P. LAXIFLORA Bl., *Mus. bot. Lugd. Bat.*, p. 23.
6. P. RIGIDA Bl., *l. c.*
7. P. TUBERCULATA Korthls, *l. c.*, p. 246, tab. 63.

Hujus ultimæ speciei specimen habemus e Musæo Lugduno-Batavo communicatum, sed adeo mancum ut nullam hic descriptionem obtinere valeat.

LXXIV. *POGONANTHERA*. Tab. XV, fig. 1.

POGONANTHERA Blum., *Flora*, 1831. — *Mus. bot. Lugd. Bat.*, p. 24. — MELASTOMATIS species Blum., *Bijdr. nat. Wet.*, VI, p. 262. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6239.

Flos 4-merus. Calycis campanulati limbus breviter 4-dentatus, dentibus dorso nonnihil incrassatis. Petala ovata acuta aut subacuminata. Stamina 8 æqualia ; antheris ovoideo-oblongis subulatis nonnihil incurvis 1-porosis, connectivo non producto sed postice supra basim appendiculis minutis filiformibus divergentibus imo et radiantibus ornato. Ovarium maxima parte et toto ambitu adhærens, apice libero conicum hirtellum 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus baccatus globosus, calycis limbo persistente coronatus. Semina ellipsoidea lævia.

Frutices in archipelago indico et Moluccis crescentes, interdum pseudoparasitici, micranthi ; ramis teretibus aut compressiusculis, ramulis junioribus tenuiter lepidoto-leprosis ; foliis succulentis petiolatis elliptico-ovatis integerrimis glabris 3-5-*nerviis, nervis lateralibus subobsoletis ; paniculis terminalibus, trichotome ramosis ; floribus roseis aut rubicundis.*

1. POGONANTHERA REFLEXA Blum., *Flora*, *l. c.*

P. pseudoparasitica; foliis elliptico-ovatis utrinque subacutis; basi lobulis duobus rotundatis auriculiformibus in antica facie petioli conniventibus instructis.

Folia 8-10 centim. longa, 4-5 lata, petiolo sesquicentimetrali. Calycis tubus obtuse quadrangulus, dentes breves subacuti basi confluentes. Petala circiter 4 millim. longa. Planta truncis arborum (ex Blumio) applicata. — In omnibus insulis Archipelagi indici necnon in Moluccis. Duo specimina habemus ex insula *Java* a clar. Blumio communicata, quorum unum folia longiora et 3-5-nervia habet, alterum latius elliptica et tripli-quintuplinervia. Suntne ejusdem speciei?

Species addenda :

2. P. PULVERULENTA Blum., *Flora*, 1831, p. 520. — *Melastoma pulverulentum* Jack, *Transact. Linn. soc.*, XIV, 19. — DC. Nonne affinior est *P. reflexæ* quam ut ab ea dissocietur ?

LXXV. *APLECTRUM*. Tab. XV, fig. 2.

APLECTRUM Blum., *Flora*, 1831, p. 502., et *Mus. bot. Lugd. Bat.*, p. 37. — Korthals, *Ver. nat. Gesch. Bot.*, 239. — MELASTOMATIS spec. Jack., *Trans. Linn. soc.*, XIV. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6247.

Flos 4-merus. Calycis campanulati limbus integer aut 4-dentatus, denticulis externis punctiformibus aut subulatis. Petala ovato-acuminata aut lanceolata. Stamina 8 alternatim inæqualia aut heteromorpha, fertilia et efœta; 4 cum petalis alternantium antheræ lineares aut ovoideæ 1-porosæ polliniferæ, connectivo basi postica nonnihil tuberculato aut in membranulam lateraliter bilobam postice acutam expanso; 4 petalis oppositorum antheræ sæpius steriles filiformes, connectivo postice in membranulam producto. Ovarium toto ambitu adhærens, apice breviter marginatum aut 4-alatum, 4-loculare. Stylus subulatus, stigmate obtuso punctiformi. Fructus (ex auctoritate Blumii) baccatus sphæricus calyce vestitus 4-locularis. Semina numerosa minuta irregulariter dimidiato-ovoidea aut pyramidata, raphem lateralem nigram monstrantia.

Frutices sundaici et manillani, sarmentosi, habitu Dissochætas

plures referentes, glabri aut glabriusculi, micranthi ; ramis gracilibus teretibus ; foliis æqualibus aut vix disparibus breviter petiolatis ovato-ellipticis acuminatis integris 3-nerviis ; cymis paucifloris axillaribus ; floribus pedicellatis, albis.

Genus nobis incomplete cognitum sed naturale, cum Dissochæta consanguinitatem habitu sibi vindicans. Species fortassis difficile distinguendæ.

1. Aplectrum pallens Blum., *Mus. bot. Lugd. Bat.*, 38.

A. fere glaberrimum; foliis brevissime petiolatis subcoriaceis ovato-ellipticis longiuscule acuminatis basi rotundata nonnihil cordatis ; dentibus calycinis brevibus sed manifestis.

Rami foliosi teretes, pennam columbinam crassitie æmulantes, glabri aut in prima juventute pulverulenti. Folia 8-9 centim. longa, 3-lata, petiolo 3-5-millimetrali. Cymæ axillares subterminalesque in paniculam fere elongatæ, foliolis et bracteis linearibus intermixtæ, ramulis ut plurimum 3-floris. Descriptio incompleta ex incompleto specimine. Vide, pro hac specie tribusque sequentibus, opus Blumianum supra memoratum. — In insula *Sumatra*; Korthals.

Var. β foliis latioribus minus coriaceis, petiolis gracilioribus longioribus breviter hirsutis, cymis corymbosis. Fortassis species est distincta. — In eadem insula ; Korthals.

2. Aplectrum confine Blum., *l. c.*, 38.

A. præcedenti simillimum, sed petiolis paulo longioribus hirtellisque et lobis calycinis obsoletis aut omnino nullis.

Speciem nobis male cognitam propter paucitatem aut incompletum statum speciminum hic uti distinctam ex auctoritate Blumii commendamus. Fatendum est tamen nullam, præter in diagnosi indicatos characteres et minimi quidem momenti, differentiam inter hanc et præcedentem nobis repertam fuisse. Pro illis ergo spondeat celeberrimus auctor qui genus illiusque species enixus est. — In insula *Sumatra;* Blume.

3. Aplectrum rostratum Blume, *Flora*, *l. c.* — *Melastoma rostratum* Bl., *Bijdr.*, 1074.

A. foliis ovato-oblongis longe graciliterque acuminatis et quasi caudatis basi rotundatis, petiolis brevissimis.

Folia pauca habemus e ramulis delapsa, fere sesquidecimetrum longa,

4-5 centim. lata, petiolo vix semicentimetrali. Cætera nobis prorsus ignota. — In insula *Java;* Blume.

4. Aplectrum stipulare Blum., *Flora*, *l. c.*

A. foliis ovato-ellipticis breviter acuminatis basi rotundatis, petiolo setis retrofractis hispido; ramulis sub insertione petiolorum membrana stipulari rufescenti-tomentosa caduca cinctis.

Species distinctissima videtur. Flores nec fructus vidimus. — In insula *Java;* Blume.

5. Aplectrum myrtiforme †. Tab. XV, fig. 2.

A. glabrum; ramis divaricatis gracilibus subteretibus; foliis coriaceis brevissime petiolatis et subsessilibus longiuscule acuminatis basi subrotundatis; cymis gracilibus axillaribus paucifloris.

Frutex nobis unico ramo folioso floriferoque cognitus. Ramuli hornotini jam in lignum indurati, obscure tetraedri, penna columbina graciliores; annotini excoriati, ad nodos nonnihil tumidi. Folia, in frutice vivo fortassis glaucescentia, exsiccata fere cinerea, sub lente tenuiter et crebre punctulato-leprosa; nervis immersis, excepto medio, subevanidis; limbo 5-6 centim. longo, 2-3 lato; petiolo ut plurimum 2-millimetrali. Ramuli floriferi trichotomi graciles rigiduli, in axillis foliorum solitarii aut plures, 3-9-flori aut pluriflori, rarius indivisi et 1-flori, 3-5-centimetrales. Florum pedicelli proprii 5-8 millim. longi, bracteolis ad basim suffulti. Calyx campanulatus 4-dentatus, dentibus interioribus obtusis callosis, cum exterioribus subulatis acutis rigidulis concretis et idcirco parum distinctis. Petala ovato lanceolata acutissima aut potius acuminata, 5-6 millim. longa. Staminum majorum antheræ lineares obtusæ, membranula e connectivo enata fere cordiformi; minorum præcedentibus paulo breviores, sed illis fere consimiles, et membranula basalis minus conspicue auriculata. — In insula Luzonia prope *Manille;* Cumming, *Cat.* n. 753.

Species Blumianæ addendæ :

6. A. viminale Blume, *Flora*, *l. c.* — *Melastoma viminale* Jack. — Blume iterum in *Bijdr. Flor. Ned. Ind.*, 1073. — DC., III, 150.

7. A. nodosum Blume, *Mus. bot. Lugd. Bat.*, p. 37. — *Dissochæta nodosa* Korthals, *l. c.*

LXXVI. *ANERINCLEISTUS.*

Anerincleistus Korthals, *Verhandl. nat Gesch. Bot.*, 250.

1. Anerincleistus hirsutus Korthals, *l. c.*, tab. 68.

Specimen habemus e Musæo Lugduno-Batavo communicatum, sed floribus carens; idcirco genericum characterem non vidimus.

LXXVII. *OXYSPORA.*

Oxyspora DC., *Prod.*, III, 123.— *Mem.*, I, 33, tab. 4.—Wallich, *Plant. As. rar.*, I, p. 78, tab. 88. — Arthrostemmatis spec. Don *Mem. soc. Wern.*, IV, p. 299. — *Flor. Nep. Prod.*, p. 222. — Endlicher, *Gen. plant.*, n° 6203.

1. Oxyspora paniculata Wall., *l. c.* — *Arthrostemma paniculatum* Don., *l. c.*

Species exclusæ :

O. vagans Wall., *l. c.*, var. α. . . Homocentria vagans.
O. vagans ejusdem, var. β. . . . Allozygia cernua.

LXXVIII. *OCHTHOCHARIS.* Tab. XV.

Ochthocharis Blum. in *Bijdr. nat Wet.*, VI, 264 ; — *Flora*, 1831, p. 525 ; necnon in *Mus. bot. Lugd. Bat.*, 39.— Korthals, *Verh. nat. Gesch. Bot.*, p. 247, tab. 64. — Genus ab Endlicherio omissum.

Flos 5-merus. Calycis campanulati limbus brevis sinuatus denticulis 5 brevibus a latere compressis instructus. Petala ovato-acuta. Stamina 10, æqualia aut vix non æqualia; antheris ovoideo-oblongis obtusis rectis 1-porosis, connectivo infra loculos non producto, postice autem ad basim tuberculato aut brevissime c carato, calcare sursum recurvo. Ovarium maxima parte adhærens, apice libero depresso-conicum 10-sulcatum, 5-loculare. Stylus filiformis rectus, stigmate tenuiter capitellato. Capsula globosa calyce persistente vestita 5-locularis loculicide 5-valvis (fortassis etiam abortu 3-locularis et 3-valvis). Semina numerosissima irregulariter cuneato-trigona.

Frutices in archipelago indico indigeni, ramosi erecti glabri aut suglabri micranthi multiflori; ramis adultis subteretibus ; foliis

oppositis petiolatis in quovis jugo æqualibus aut parum disparibus elliptico-lanceolatis lanceolatisque tenuiter serrulatis 3-5-*nerviis; floribus in axillis foliorum fasciculato-cymosis, rarius in paniculas terminales axillaresque dispositis, pedicellatis, carneis.*

1. OCHTHOCHARIS PANICULATA Korthals, *l. c.* — Blume, *Mus. bot. Lugd. Bat.*, *l. c.* — Fig. 3.

O. suffruticosa; ramis supremis 4-gonis purpureis aut purpurascentibus; foliis in eodem jugo manifeste disparibus elliptico-ovatis lanceolatisque acuminatis denticulato-serrulatis 5-nerviis; paniculis pyramidatis brevibus axillaribus terminalibusque; floribus breviter pedicellatis.

Species primo intuitu ab aliis propter inflorescentiam panicularem dignoscenda. Folia 6-12 centim. longa, 2-4 lata, petiolis gracilibus puberulis 2-3-centimetralibus. Florum pedicelli 1-2-millimetrales. Capsulæ maturæ circiter crassitudine pisi. — In insula *Borneo;* Korthals. Planta e Musæo Lugduno-Batavo communicata.

2. OCHTHOCHARIS JAVANICA Blum., *Mus. bot. Lugd. Bat.*, 40.

O. fruticosa aut fruticulosa humilis; foliis lanceolatis utrinque acutis basi in petiolum nonnihil decurrentibus ideoque subtriplinerviis tenuissime serrulato-denticulatis; cymis axillaribus breviter pedicellatis sed non omnino sessilibus.

Specimen maxime incompletum est, recurrant ergo lectores ad descriptionem Blumianam in opere supra memorato. — In insula *Java;* Blume.

3. OCHTHOCHARIS BORNEENSIS Blum., *Mus. bot. Lugd. Bat.*, 40.

O. fruticosa elata; ramis obscure tetraedris floribundis; foliis nonnihil disparibus ovato-lanceolatis acuminatis serrulato-denticulatis, prætermissis nervulis marginalibus, 3-nerviis; cymis axillaribus sessilibus; floribus longiuscule pedicellatis.

Frutex ex Blumio 3-metralis et elatior. Folia 8-12 centim. longa, 1 $\frac{1}{2}$—4 lata, petiolis circiter centimetralibus. Florum fasciculi in ramis hornotinis crebri, 10-20-flori. Florum pedicellus gracilis, circiter centimetrum longus. Cætera non suppetebant. — In insula *Borneo;* Korthals. Planta e Musæo Lugduno-Batavo missa.

LXXIX. *HOMOCENTRIA*. Tab. XV, fig. 4.

Melastomatis species Roxbg., *Flor. Ind.*, II, 402. — Oxysporæ spec. Wall., *Plant. As. rar.*, I, p. 78.

Flos 4-merus. Calycis tubus oblongus quadrangulus, limbus dilatatus breviter 4-lobus, lobis tuberculo denticuliformi in nervum inferne confluente dorso instructis. Petala triangulari-lanceolata acutissima. Stamina 8, inæqualia apice 1-porosa; 4 majorum antheris linearibus, apice nonnihil attenuatis nec revera tamen omnino subulatis, sigmoideis; minorum oblongo-ellipticis obtusis, quam priores dimidio brevioribus; omnium connectivo antice non manifesto, postice in calcar acutum incurvum deorsum vergens producto. Ovarium oblongum, toto ambitu et fere ad apicem usque adhærens, 4-loculare. Placentæ cuneiformes, margine libero incrassatæ, multiovulatæ. Stylus filiformis gracilis, stigmate punctiformi. Fructus ignotus, fortasse capsularis.

Frutex indicus subscandens; ramis teretiusculis, supremis pube tenui furfuracea conspersis, vetustioribus glabratis; foliis oppositis, in eodem jugo interdum inæqualibus, petiolatis ovatis acuminatis, basi rotundatis aut vix subcordatis, margine obsolete sinuato-crenulatis, 5-*nerviis, vix non glaberrimis; paniculis terminalibus majusculis submicranthis; floribus breviter pedicellatis, rubris?*

Genus subartificiale, Oxysporæ, Allozygiæ, Pachycentriæ nonnullisque aliis conterminum, nulli tamen apte congruens; separatum habere maluimus quam analogiæ vim inferre.

1. Homocentria vagans. — *Melastoma vagans* Roxbg., *l. c.* — *Oxyspora vagans*, var. α, non β. Wallich., *l. c.* — Estne eadem ac. *O. vagans* Hook. in *Bot. mag.*, tab. 4553?

Folia 8-12 centim. longa, 4-5 lata, petiolo 1-2-centimetrali. Paniculæ trichotome ramosæ, ramulis subgracilibus obscure tetragonis. Calyces 7-8 millimetra longi, in angulis nervo denticulo cuivis respondente instructi. Petala circiter 7 millim. longa, basi vix 2 lata. Antherarum 4 majorum calcar ex ima basi connectivi producti conflatum, 4 mino-

rum paulo supra filamenti insertionem ortum, acutissimum. — In montosis regionis dictæ *Sillet*, Indiæ orientalis; Wallich, *Herb. ind.*, n. 4075.

LXXX. *ALLOZYGIA*. Tab. XV, fig. 5.

MELASTOMATIS species Roxb.. *Flora ind.*, II. — OXYSPORÆ spec. Wallich, *Plant. Ind. rar.*, I.

Flos 4-merus. Calycis tubus oblongo-campanulatus, 4-gonus, post anthesim sub fauce constrictus; limbus breviter 4-dentatus, dentibus acutis basi inter se confluentibus simplicibus. Petala obovato-oblonga, breviter acuminata aut apiculata. Stamina 8, alternatim inæqualia conformia dolichanthera; antheris linearibus angustis, apice 1-porosis; connectivo infra loculos nec producto nec appendiculato. Ovarium ovoideum, usque ad medium adhærens, apice libero 4-lobo subtetragonum, 4-loculare. Placentæ lamelloso-cuneiformes, margine libero incrassatæ, multiovulatæ. Stylus filiformis gracilis, stigmate punctiformi. Capsula calyce 8-costato vestita, apice ut videtur 4-valvis. Semina minuta pyramidato-angulata incurva, raphe nigra hinc excurrente notata.

Frutex indicus, scandens macrophyllus anisophyllus fere glaberrimus; ramis obtuse tetragonis aut subteretibus; foliis oppositis, in eodem jugo ut plurimum inæqualibus, petiolatis, sub panicula tamen sessilibus aut subsessilibus, ovato-oblongis longe acuminatis integerrimis basi rotundatis aut subcordatis 5-nerviis; paniculis terminalibus maximis gracilibus nutantibus; floribus pedicellatis, rubris.

Genus artificiale, Oxysporæ quidem proximum, diversum tamen antheris basi non bilobis, et ovario usque ad medium toto ambitu adhærente.

1. ALLOZYGIA CERNUA. — *Melastoma cernua* Roxbrg., *l. c.*, 404. — *Oxyspora vagans*, var. β, Wall., *l. c.*, p. 78.

Rami supremi obscure 4-goni, paniculæ rachis et ramuli 4-alati. Folia magnitudine variabilia, in quovis jugo majora sesqui-bidecimetralia imo et aliquando tridecimetralia, latitudine 6-9-centimetralia; quæ eis opposita sunt frequenter duplo triplove breviora vix autem angustiora; omnium

etiolis 1-4-centimetralibus. Quæ ad supremum jugum immediate infra paniculam pertinent, ut plurimum omnino sessilia sunt et basi quam cætera magis cordata. Paniculæ graciles, ramosæ, 3-6 decimetra longæ, sæpius nutantes, multifloræ, aphyllæ. Flores graciliter pedicellati, pedicellis basi bibracteolatis, calycibus fructiferis inferne gradatim attenuatis 8-costatis suburceolatis. Dentes limbi primo intuitu simplices, sed rectius pro duplicatis dentibus habendi, quorum exterior acutus cum interiore membranaceo arcte concretus est. Petala circiter 1 centim. longa. Antheræ majores alternis fere duplo longiores. Capsula calyce persistente inclusa, ovoidea, ut videtur apice 4-valvis. Species a Roxburgio belle descripta, a clar. Wallich autem cum *Melastomate vagante*, Roxb., infeliciter confusa. — In India orientali prope *Chittagong;* nobis fortasse a clar. Roxburgio communicata; hanc habemus ex herbario Bonplandiano.

LXXXI. *ALLOMORPHIA.*

Allomorphia Blume. — *Flora* 1831, p. 522. — Endlicher, *Genera plantarum*, n° 6240. — Melastomatis spec. Jack, *Trans. Linn. soc.*, XIV.

Flos 4-merus. Calyx oblongo-campanulatus, in medio nonnihil constrictus; limbo obtuse 4-dentato, dentibus inter se confluentibus, dorso incrassatis nec tamen denticulo externo manifeste auctis. Petala ovata acuta. Stamina 8, subæqualia, inter se conformia; antheris rectis subulatis, apice 1-porosis, connectivo non producto nec appendiculato. Ovarium ovoideum, in fundo calycini tubi inclusum, ima basi tantummodo adhærens aut subliberum, 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus exsuccus, fortasse capsularis. Semina ignota.

Frutex in insula Pulo-Pinang *indigenus, ramosus submacrophyllus micranthus fere glaberrimus; ramis teretibus; foliis oppositis longiuscule petiolatis ovatis ovatove-oblongis acuminatis integerrimis aut obscure sinuato-dentatis basi rotundatis aut subacutis 5-nerviis reticulatis; paniculis ad apices ramulorum terminalibus, ramulis divaricatis; floribus minutis, breviter pedicellatis, albo-roseis.*

1. Allomorphia exigua Blume, *l. c.* — *Melastoma exigua*, Jack., *l. c.*, p. 10. — DC., III, 149.

Folia 1-1 ½-decimetralia, 6-7 centim. lata, petiolo 3-6-centimetrali.

Rami floriferi subcompressi aut obscure subtetragoni. Petala sesquimillimetralia. Fructus submaturi semine cannabino multo minores. — In insula *Pulo-Pinang;* Wallich, *Herb. Ind.*, n. 4048.

Species addenda :

2. A.? PAUCIFLORA Benth. in Hook. *Journ. of bot.*, I, 485.

Huic subtribui pariter et adjungendam credimus plantam javanensem sub nomine *Maietæ annulatæ* a Ventenatio descriptam, quæ Dissochætis habitu et floris characteribus proxima videtur. Ab illis tamen calycis dentibus productis et staminum utraque seta non a connectivo, nisi nos decipiat icon opus præcitatum illustrans, sed ab ipsa loculorum basi enata deorsumque vergente discrepat. Quum vero americanis generibus Maietæ et Huberiæ minime conveniat, nomen genericum novum, si tanto honore non sit indigna, scilicet *Macrolenem* proponemus. Hic ergo addatur :

LXXXII. *MACROLENES.*

MAIETA Ventenat, *Choix de plantes*, tab. 32. — HUBERIÆ spec. DC., III, 167.

1. M. ANNULATA. — *Maieta annulata* Vent., *l. c.* — *Huberia annulata* DC., *l. c.*

LXXXIII. *CARIONIA.* Tab. XV, fig. 6.

Flos 6 merus. Calycis tubus oblongo-campanulatus ; limbus membranaceus, dentibus sex externis angustis subulatis subtriquetris, tubo ipso brevioribus nec inter se confluentibus paulo infra marginem integrum armatus. Petala inæquilatere et late obovata apiculata. Stamina 12 æqualia ; antheris lineari-subulatis, lateribus compressis, apice parumper recurvo 1-porosis, connectivo postice ad basim antheræ tuberculato, antice non distincto ; filamentis glabris. Ovarium ovoideum usque ad apicem septis 12 locellos totidem antheras in præfloratione reflexas includentes

separantibus calycino tubo adnatum, 6-loculare. Placentæ columnæ centrali affixæ lamelliformes, margine libero incrassatæ. Stylus filiformis sigmoideus, stigmate punctiformi. Fructus ignotus sed verisimiliter baccatus.

Arbor manillana, 5-7-metralis glabra macrantha dichotome ramosa; ramis teretibus; foliis oppositis petiolatis in eodem jugo sæpe disparibus ovato-ellipticis apice acuminatis basi acutis integerrimis quintuplinerviis; cymis terminalibus, 3-floris aut paucifloris; floribus pedicellatis.

Genus clarissimo CARION plantarum Galliæ centralis indefesso scrutatori et Æduorum philomathicæ et philologicæ societatis comiti dicatum.

1. CARIONIA ELEGANS †.

Rami hornotini obscure 4-goni mox teretes, annotini cortice spurcocinereo obtecti, ad nodos cicatricibus foliorum delapsorum notati. Folia in quovis jugo sæpius inæqualia, inter se conformia; majora 1 decimetrum et quod excedit longa, 5-6 centim. lata, petiolo sesquibicentimetrali; minora triente aut dimidio oppositis breviora, interdum iis subæqualia. Pedunculi communes ferme bicentimetrales, pedicelli proprii dimidio breviores. Calycis tubus circiter 1 centim. longus; dentes tubo ipso duplo triplove breviores, in anthesi patentes. Petala valde inæquilatera breviter apiculata, 2 ½ centim. longa, alba? — In excelsioribus jugis Luzoniæ vulgo *Igorrotes*, haud procul ab urbe *Manille*; Callery.

LXXXIV. *SARCOPYRAMIS.*

SARCOPYRAMIS Wallich, *Flor. Nepal. tent.*, I, 32, tab. 23. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6262.

1. SARCOPYRAMIS NEPALENSIS Wall., *l. c.* — Horsf. et Bennet, *Plant. javan. rar.*, 214.

2. SARCOPYRAMIS LANCEOLATA Wall., *Catal.*, n° 6290. — Horsf. et Bennet, *l. c.*

LXXXV. *VEPRECELLA.* Tab. XV, fig. 7 et 8.

Flores 5-meri. Calycis late campanulati limbus membranaceus integer aut vix sinuatus, denticulis externis 5 ornatus.

Petala obovata aut cuneata. Stamina 10, sæpius æqualia; antheris oblongis erectis 1-porosis, connectivo infra loculos non producto, postica basi interdum breviter calcarato. Ovarium paulo ultra medium toto ambitu adhærens, apice angustato umbilicatum, 5-loculare. Stylus filiformis, stigmate subacuto punctiformi. Fructus ignotus.

Frutices madagascarienses subsarmentosi ramosi glabri aut puberuli; foliis petiolatis ovatis ovatove-oblongis; floribus parvis aut mediocribus, luteis aut purpureis.

Genus non satis notum et olim revisendum hic dubitantes collocavimus. Species sibi invicem habitu parum conveniunt et ad Clidemieas Dissochæteasque fere æqualiter pertinent.

1. Veprecella lutea †.

V. subglabra; ramis adultis subteretibus; foliis ovatis acutis tenuissime serrulatis 3-5-nerviis pube tenui pulverulenta mox evanida conspersis demum glabratis; floribus paucis ad apices ramulorum solitariis, pallide luteis.

Frutex nonnihil sarmentosus scandens, ramis adultis lignosis pulverem furfuraceum subnodis sæpe retinentibus, supremis tantum foliosis. Folia ovata basi rotundata nonnunquamque acutiuscula, 2-4 centim. longa, 1 ½-2 lata; petiolo gracili, 1-1 ½-centimetrali. Flores terminales solitarii brevissime pedicellati. Calyx campanulatus, limbo subintegro denticulis 5 externis ipsum paululo excedentibus ornato. Petala oblongo-cuneata inæquilatera, apiculata? pallide lutea. Stamina 10, æqualia; antheris subrectis 1-porosis, connectivo infra loculos non manifesto nec postice tuberculato. Ovarium maxima parte adhærens, apice angustato et umbilicato liberum. Planta exsiccata lutescit. — In oris meridionalibus Madagascariæ; Chapelier.

2. Veprecella nigrescens †. — Fig. 8.

V. sarmentosa subglabra; ramis alternatim hinc et inde compressis sulcatisque; foliis late ovatis acutis interdumque breviter acuminatis vix perspicue denticulatis aut sinuato-crenulatis 5-nerviis pube tenuissima pulveracea inconspicua punc-

tulatis; paniculis brevibus terminalibus paucifloris; calycibus 5-costatis.

Quantum e frustulo plantæ maxime incompleto judicare licuit, fruticem tomentosum et scandentem agnovimus. Rami supremi sulcati, pube furfuracea facile evanida conspersi moxque glabrati. Folia 5-7 centim. longa, 3-4 lata; petiolo circiter 2-centimetrali; nervis in pagina inferiore prominulis. Flores ad apices ramulorum in paniculas aphyllas breves digesti, pedicellis brevissimis donati. Calyces late campanulati, semen cannabinum crassitudine vix æquantes, limbo brevissime 5-sinuato, denticulis 5 externis cum costis totidem continuis et ipsum paululo excedentibus ornato. Petala obovata acuta, 7-8 millim. longa. Stamina 10, æqualia, antheris oblongis rectis, connectivo basi postica in calcar breve deorsum vergente producto. Ovarium semiadhærens, apice 5-lobo umbilicatum. Planta exsiccata nigrescit. — In insula Madagascaria, loco haud designato; Chapelier.

3. Veprecella macrophylla †. — Fig. 7.

V. sarmentosa? macrophylla multiflora glabrata; ramis supremis compressis et sulcatis furfur pulverulentum rubiginosum ad nodos retinentibus; foliis ovato-oblongis gradatim acuminatis basi rotundatis interdumque subcordatis integerrimis 5-nerviis; paniculis terminalibus magnis aphyllis; floribus brevissime pedicellatis ad apices ramulorum paniculæ subglomeratis aut subumbellatis.

Folia in specimine nostro (quod quidem incompletum est) fere 2 decim. longa, 7-8 centim. lata, petiolo 4-5-centimetrali. Paniculæ magnæ primo adspectu umbellam compositam referentes, ramulis nudis apice densifloris. Calyx late campanulatus, semen cannabinum crassitudine paulo superans; limbo 5-sinuato, extus 5-tuberculato. Petala obovato-rotundata, ferme centimetrum longa. Stamina 10 subæqualia, antheris oblongis rectis, connectivo postice ad basim in calcar breve acutum deorsum vergens terminato. Ovarium maxima parte adhærens, apice libero umbilicatum. Flores quoque sed rarius 4-meri reperiuntur. — Frequens in insula Madagascaria secus rivulos circaque lacum *Nossi-Bé*, ubi ab incolis vocatur *Tsi-Toutouc;* Chapelier.

4. Veprecella laxiflora †.

V. sarmentosa scandens glabra aut glabrata pro genere macran-

tha ; foliis ovato-ellipticis aut oblongis obtusis subacutisve serrato-crenatis 5-nerviis ; paniculis magnis laxifloris terminalibus.

Specimen unicum habemus valde depauperatum, nihil nisi paniculam foliorumque supremorum jugum unum et alterum exhibens, unde trunca et incerta descriptio evadet. Folia (scilicet suprema) 5-7 centim. longa, 2 ½ lata, petiolis sesqui-bicentimetralibus, basi in membranulam stipulaceam cum opposita connatam aximque quasi annulo circumdantem dilatatis. Panicularum rami elongati patuli sulcati foliolis bracteolisve obovatis ornati. Florum pedicelli proprii circiter centimetrales. Calyx turbinato-campanulatus, obtuse breviterque sinuatus, tuberculis 5 externis parum conspicuis in dorso loborum instructus. Petala circiter centimetrum aut amplius longa, obovata subretusa. Stamina alternatim inæqualia, antheris subrectis, connectivo postice non manifeste tuberculato. Ovarium ultra medium adhærens. — In sylvis tractus dicti *Bé-Fouroun*, provinciæ *Bé-Zông-Zông* in insula Madagascaria ; Bojer.

Subtribus II. — **SONERILEÆ.**

Herbæ suffrutices fruticesque ex America Madagascaria et India orientali oriundi, sæpe brevicaules imo et haud raro subacaules ; floribus sæpius in racemos scorpioideos dispositis. Flores 3-4-meri. Calycis dentes nunc simplices nunc duplicati, nonnunquam subobsoleti. Stamina diversiformia apice porosa. Fructus ut plurimum capsula 3-locularis, 3-valvis ; rarius baccatus indehiscens.

Subtribus hæc partim naturalis partim artificialis est, species enim includit fabrica staminum fructusque sibi invicem alienas. Fortasse melius esset si genera fructibus carnosis nec capsularibus donata ad alias subtribus removerentur.

Conspectus generum.

A. Genera hic bene consociata, seu fructibus capsularibus insignia.

NEOGEA.	ASIATICA.	AFRICANA.
Salpinga.		
Bertolonia.		
Lithobium.	Sonerila.	
Triolena.		
Diolena		
Eriocnema.	. . . .	. . . .

B. Genera dubiæ affinitatis, hic propter habitum collocata :

NEOGEA.	ASIATICA.	AFRICANA.
Sphærogyne.		
. . . .	Phyllagathis.	
. . . .	. . . .	Gravesia.

LXXXVI. *SALPINGA*. Tom. XVI, tab. XVIII, fig. 1.

Salpinga DC., *Prod.*, III. — Martius, *Nov. gen. et spec.*, III, 120. — Endlicher, *Gen. plantarum*, n° 6189.

Flores 4-5-meri. Calycis dentes breves subobtusi extus tuberculo seu denticulo minimo instructi, tubus oblongo-turbinatus aut tubiformis. Petala ovato-oblonga aut obovata, acuta. Stamina 8-10 subæqualia ; antheris lineari-subulatis recurvis 1-porosis ; connectivo infra loculos in majoribus brevissime aut vix producto, in minoribus nullo, in omnibus autem postice appendice caudiformi antheram longitudine interdum subæquante instructo. Ovarium liberum oblongum subtrigonum apice umbilicatum 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula triquetra calyce persistente 8-10-nervoso vestita, apice trigone umbilicata, 3-valvis. Semina ovoideo-clavata nec angulata.

Herbæ austro-americanæ, basi suffrutescentes erectæ ramosæ subglabræ ; ramis 4-gonis ; foliis in eodem jugo nonnihil disparibus petiolatis ovatis acutis serrulatis 3-5-nerviis sparsim pilosulis ; pedunculis (vel potius ramis extremis) ut plurimum apice semel dichotomis, ramulis duobus secundifloris ; floribus pedicellatis duplici ordine scorpioide dispositis.

1. Salpinga parviflora DC., *l. c.*, 113.

S. erecta ; caule basi suffruticuloso ; ramis herbaceis ; foliis in eodem jugo nonnihil disparibus graciliter petiolatis ovatis tenuiter serrulatis subquinquenerviis ; pedunculis multifloris,

ut plurimum semel dichotomis; floribus in utroque ramulo confertis erectis secundis duplici serie ordinatis, 4-meris.

Planta 3-6-decimetralis. Folia 2-4 centim. longa, 1-2 lata, petiolo 1-2-centimetrali. Flores pedicello brevi instructi. Petala ovato-acuminata, 4 millim. longa. — In Guyana gallica frequens; Mélinon, Leprieur.

Species hic fortassis addenda :

2. S. SECUNDA Mart., *l. c.*, tab. 256, p. 114.

Species Martiana quæ 5-mera est Candollæanæ speciei *S. parvifloræ* habitu, inflorescentia, ovarii fabrica convenit; structura autem staminum, si tabulæ hujus pretiosissimi operis credendum est, ab ea ita abhorret, ut nisi in errorem inductus fuerit celeberrimus auctor, non modo species addenda esset sed genus novum oriretur. Anticam enim connectivi appendicem finxit, dum in *S. parviflora* postica est et caudiformis. Hunc non erravisse difficile crederemus.

LXXXVII. *BERTOLONIA*.

BERTOLONIA, Raddi, *Mem. bras.* — DC., *Prod.*, III, 113. — Mart., *Nov. gen.*, III, 116. — Endlich, *Gen. plant.*, n° 6190. RHEXIA, Bonpl. *Rhexiées.*

Flos 5-merus. Calycis campanulati dentes tubo sæpius breviores persistentes. Petala obovata obtusa vel apiculata. Stamina 10 æqualia vel subæqualia antheris lineari-subulatis rectis aut parum arcuatis 1-porosis, connectivo infra loculos non producto sed postice ad basim antheræ tuberculato. Ovarium liberum subtriquetrum apice obtuse 3-lobo profunde umbilicatum 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula omnino triquetra vel potius 3-alata calyce conformi vestita apice trigono-umbilicata 3-valvis. Semina ovato-angulata vel irregulariter pyramidata.

Herbæ austro-americanæ in locis humidis umbrosis imove subinundatis crescentes, radice interdum sublignosa, caule scapiformi, foliis late cordiformibus vel suborbiculatis rarius obovatis, floribus sæpius in racemos scorpioideos dispositis albis roseis aut purpurascentibus.

1. Bertolonia nymphææfolia DC. — *Rhexia nymphææfolia* Bonpl., *l. c.*, tab. 53.

B. radice sublignosa ; foliis omnibus subradicalibus majusculis petiolatis late cordiformi-ovatis interdumque suborbicularibus obtusis crenulatis 9-nerviis subglabris ; scapo nonnihil 4-gono apice in ramos 2-4 floriferos diviso ; floribus sessilibus secundis albis.

In Brasilia meridionali prope *Ubatuba ;* Guillemin.

2. Bertolonia marmorata. — *Eriocnema ? marmorata* Ndn., *Revue horticole*, 1848, p. 381.

B. tota herbacea subacaulis ; foliis omnibus radicalibus petiolatis cordiformi-ovatis subacutis remote sinuato-crenatis sparsim pilosis fere quintuplinerviis, supra viridibus, albo autem præsertim ad nervos variegatis, subtus ut et petioli purpurascentibus ; scapo 3-7-floro, floribus non manifeste in racemum scorpioideum dispositis, dilute purpureis.

Scapus (in specimine unico et vivo) circiter 7 centim. altus, purpurascens. Folia 6 centim. longa, 4 lata, petiolo 4-centimetrali. Calycis dentes tubo purpurascente et costis colore saturatioribus lineato vix breviores. Petala 1 centim. et amplius longa. Fructus maturus haud visus. — In Brasilia septentrionali prope Bahiam locis humidis. Plantam vivam accepimus a clar. Morel botanophilo prope Parisios.

3. Bertolonia ænea. — *Eriocnema ? ænea* Ndn., *Revue horticole*, 1848, p. 382.

B. tota herbacea ; caule brevissimo crasso fere tuberculiformi, villis fulvis hirsuto ; foliis petiolatis cordiformi-ovatis subacutis remote crenulatis 5-7-nerviis, sparsim sed ad margines præsertim pilosis cæterum glabris atro-virentibus et quasi æneo nitore lucentibus ; scapo apice in ramos duos (saltem in specimine nostro) floriferos diviso ; floribus subsessilibus in racemum scorpioideum dispositis, dilute purpureis.

Planta sesquidecimetrum circiter alta. Folia et flores ut in præcedente sed petala paululo longiora. Capsula submatura 3-alata, sursum visa pileos tricornes veterum presbyterorum in mentem revocat. Fortassis ut

ait celeberrimus Hookerius (*Bot. mag.*, tab. 4551) eadem species est ac *B. maculata* DC. — In eisdem locis ac præcedens. Nobis etiam a clar. Morel viva communicata. Frustula utriusque habemus in Herbario Parisiensi.

Species addendæ sed quædam incertæ :

4. B. OVATA DC. ex herb. Mart., *Prodr.*, III, 113.

5. B. LEUZEANA DC., *l. c.*—*Rhexia Leuzeana* Bonpl., *Rhex.*, tab. 54 et 55, p. 144.

6. B. MACULATA Mart., *l. c.*, p. 116, tab. 257.

7. B. ACAULIS Cham., *Linn.*, IX, 383.

8. B. LONGIFOLIA Cham., *l. c.*, 384.

9. B. ACUMINATA Gardn. in *Hook. Lond. journ. of bot.*, II, 344.

10. B. HIRSUTA Benth. in *Bot. of Beech. Voy. of the Sulph.*, p. 94.

LXXXVIII. *LITHOBIUM.*

LITHOBIUM, Bongard in *Mém. Acad. Saint-Pétersbourg*, 6e *série*, II, 137, tab. 8, fig. 1. — Walp., *Repert. bot.*, V, 684 — Endlich., *Gen. plant.*, 6191.

1. L. CORDATUM Bong., *l. c.* — Walp., *l. c.*

LXXXIX. *SONERILA.* Tab. XVIII.

SONERILA Roxb., *Flor. ind. Wall.*, I, 180. — Jack in *Hook. Bot. misc.*, II, 63. — Blume in *Flora* 1831, p. 490. — *Mus. bot. Lugd. Bat.* — Wallich, *Plant. as. rar.*, II, 1. — Wight et Arnott, *Prod.*, I, 321. — Korthals, *Verhandl. ov. de nat. Gesch.*, 248. — Horsfield et Bennet, *Plant. Jav. rar.*, 214. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6192.

Flores 3-meri. Calycis oblongi subcylindrici vel triquetri rarius turbinati, dentes simplices acuti tubo sæpius breviores persistentes aut sero decidui. Petala ovata vel oblongo-ovata acuminata, nervo medio postice sæpissime piloso. Stamina 3 cum petalis alternantia, rarissime 6 et tunc alternatim inæqualia; antheris nunc subulatis aut linearibus 1-porosis, nunc ovatis ovatove-oblongis obtusis biporosis interdumque admodum brevibus et quasi truncatis ; connectivo infra loculos nullo, postice

autem supra filamenti insertionem basilarem aut subdorsalem nonnunquam tuberculato. Ovarium omnino aut vix non omnino adhærens 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi aut capitellato. Capsula calycis tubo persistente vestita, ut plurimum triquetra, apice umbilicata, 3-valvis. Semina magis minusve regulariter ovoidea aut pyramidata.

Herbæ interdum suffrutescentes, in India orientali insulisque vicinis indigenæ, inter Melastomaceas ob flores trimeros memorabiles, habitu autem maxime heterogeno, caulescentes et subacaules, glabræ et hirsutæ; foliis haud infrequenter maxime inæqualibus et heteromorphis; floribus ut plurimum in racemos scorpioideos dispositis, purpureis aut violaceis, rarius albis.

Genus naturale nec merito in genera nova disjungendum quæcumque sint habitus staminumque diversitates; melius, si non fallimur, ex antherarum quam capsularum fabrica in sectiones dividendum.

A. Antheræ breves aut ovatæ biporosæ aut saltem subbiporosæ.

1. Sonerila brachyandra †. — Fig. 2.

S. pusilla erecta micrantha; caule ramisque subfiliformibus; foliis mollibus late ovatis obtusis basi in petiolum abrupte attenuatis tenuissime serrulatis 3-5-nerviis (nervis subevanidis) parce pilosis subglabrisque, in eodem jugo æqualibus et inæqualibus; floribus ad apices ramorum in racemos scorpioideos dispositis subsessilibus; calycibus oblongis; antheris brevissimis late biporosis.

Plantula vix decimetralis et sæpe humilior (ex speciminibus nostris). Folia 1-1½ centim. longa 8-10 millim. lata, petiolo 6-8-millimetrali quandoque subnullo. Calycis dentes lati acuti tubo triquetro pilosulo multo breviores. Petala obovata acuminata 4 millim. longa. Antheræ fere tetraedræ, septo inter loculos apiculato. Capsula subcylindrica. Semina ovata lævia, hilo laterali lineari instructa. — In insula Luzonia prope urbem *Manille*; Gaudichaud.

2. SONERILA ZEYLANICA Arnott, in *Hook. Compl. Bot. mag.*, II, 307.

S. herbacea erecta; caule ramisque acute 4-gonis glabris; foliis petiolatis ovatis obtusis vel acutis argute serrulatis 3-5-nerviis, pagina superiore sparsim strigillosis, inferiore glabris; floribus ad apices ramorum approximatis aut lateralibus solitariis, longiuscule pedicellatis; calycibus 6-costatis; antheris ovoideis biporosis.

Planta a basi ramosa, 1-2-decimetralis. Folia 6-12 millim. longa, 5-8 lata, petiolo limbum subæquante. Calycis tubus oblongus subcylindricus 6-costatus, dentibus acutis brevissimis. Petala circiter 4 millim. longa, ovata acuminata. Antheræ late ovoideæ, loculorum disjunctione ad basim antice quasi cordatæ, apice obtuso biporosæ. Stigma capitellatum. Capsula et semina ut in præcedente. — In insula Zeylania. A clariss. Hooker Musæo Parisiensi communicata.

3. SONERILA HOOKERIANA Arntt., *l. c.*

S. herbacea basi suffrutescens erecta ramosa; caule ramisque 4-gonis tomentoso-ferrugineis; foliis petiolatis ovatis subobtusis acutiusculisque serrulato-ciliatis 5-nerviis, pagina utraque præsertim autem in petiolo et nervis villoso-ferruginea; floribus ad apices caulis et ramorum paucis scorpioide dispositis breviuscule pedicellatis.

Planta 3-6-decimetralis. Folia 2-2 ½-centim. longa, 1 et amplius lata, petiolo 1-1 ½-centimetrali. Calyx ut in præcedente. Petala oblonga ovato-elliptica acuminata, postice in nervo medio ciliata. Antheræ oblongo-ovoideæ obtusæ basi antica subcordatæ, biporosæ?, connectivo postice supra filamenti insertionem tuberculato.— Analysis ex alabastro juniore in quo antheræ nondum nubiles erant. — In insula Zeylania. A clar. Hooker communicata.

4. SONERILA PARADOXA. — *S. moluccana* Bennet, *l. c.*, 215. — Eademne est ac *S. moluccana?* Roxb., *Fl. Ind.*, I, 178.?

S. subacaulis acaulisve, pro genere macrophylla, tota hirsuta rufescens; foliis subsessilibus in eodem jugo maxime inæqualibus (uno alterius vicesimam partem æquante), minore late

ovato obtuso subrotundatoque, altero inæquilatere ovato basi subcordato acuminato multiplinervi, omnibus integerrimis sessilibus; ramis floriferis subscapiformibus brevibus axillaribus; floribus secundis paucis.

Herba humi applicata. Folia majora quæ more Begoniarum inæquilatera sunt circiter 1 decimetrum longa et 5 centim. lata, petiolo circiter 5-millimetrali. Calyx turbinatus setoso-hirsutus, dentibus acutis tubum subæquantibus. Petala ovata acuminata, nervo medio postice ciliato. Antheræ elliptico-oblongæ obtusissimæ 2-porosæ. Stigma obtusum, non vere capitellatum. Capsula obtuse triquetra, apice profunde umbilicata et illam *Bertoloniæ nympheæfoliæ* nonnihil in mentem revocans, calycis tubo persistente et tuberculis bullatis ornato vestita. — In insula *Pulo-Pinang*, Gaudichaud, Wallich. Hanc speciem e Moluccis quoque oriundam refert Roxburgius, sed hoc nobis maxime dubium videtur.

5. Sonerila begoniæfolia Blume, *Flora*, XIV, 490,

S. herbacea caulescens adscendens basi radicans pro genere macrophylla; caule villoso-hirsuto; foliis in eodem jugo maxime disparibus (uno alterius decimam imo et interdum vicesimam partem vix attingente interdumque fortassis subabortivo), omnibus petiolatis; majoribus inæquilatere obovatis subacuminatis, basi nonnunquam cordatis (angulo altero basilari rotundato auriculato, altero angustato) integerrimis ciliatis, pagina superiore parce setulosis, inferiore ferrugineo-villosis, septuplinerviis; pedunculis secundifloris.

Planta 1-2 decim. alta, inferne decumbens. Folia majora ferme decimetralia, 5-6 centim. lata, petiolo 2-4-centimetrali; minora cordiformia, 6-10 millim. longa et lata. Calyx campanulatus tuberculis bullatis ornatus, dentibus tubo multo brevioribus. Antheræ breviter ellipticæ obtusæ. Capsula ut in præcedente.

Haud facile est explanare utrum erraverint auctores necne, cum *S. moluccanam* Roxb. cum *S. begoniæfolia* Blume coadunarunt. Species præcedens, scilicet *S. paradoxa* nostra, ad *S. moluccanam* a botanicis præclaris referebatur, sed quia nullam analogiam præbebat cum *S. begoniæfolia*, hanc uti speciem propriam ab ea merito sejunximus, nec nomen *moluccanæ* retinuimus quippe quæ insularum Moluccarum non sit indigena.

In insula *Java*, Zollinger.

6. SONERILA HETEROPHYLLA Jack, *Malay. misc.*, II, 16. — *S. pauciflora* Blume, *l. c.*

S. fruticulosa erecta ; caule villoso-hirsuto ; foliis maxime disparibus (uno alterius decimam partem sæpe vix attingente et quasi obsoleto), majoribus breviter petiolatis lanceolatis acuminatis sinuato-dentatis, prætermisso utroque nervulo submarginali 3-nerviis, supra subtusque sparsim setulosis, foliis minoribus subsessilibus reniformibus aut late cordiformibus; pedunculis axillaribus brevibus 1-3-floris.

Planta circiter pedalis, parum ramosa, caule pennam anserinam crassitie vix æquante. Folia perfecta circiter 5-7 centim. longa, 1-2½ lata, petiolo 4-5-millimetrali; minora vix 4-8 millim. longa et primo aspectu stipulacea. Petala elliptico-lanceolata. Antheræ oblongo-ovoideæ. Calyx fructiferus omnino ut in præcedente specie, scilicet limbo truncato et tubo tuberculis bullatis ornato. An vere eadem sit ac *S. heterophylla* non omnino certum est. — In insula *Java*, Blume, qui specimina nobis benigne communicavit sub nomine *S. paucifloræ*.

B. Antheræ lineares elongatæ aut subulatæ et in rostrum attenuatæ, uniporosæ.

a. *Triandræ.*

7. SONERILA OBLIQUA Korthls, *l. c.*, 250.

S. herbacea caulescens erecta heterophylla ; caule basi nonnunquam prostrato radicante ; foliis inæqualibus petiolatis, majoribus cujusque jugi ovato-inæquilateris obliquis, minoribus ovatis, omnibus subintegerrimis remote ciliolatis 5-nerviis ; racemis subterminalibus secundis paucifloris ; antheris linearibus basifixis antica basi bilobis.

Planta bi-tridecimetralis, caule nonnihil debili, fortassis sulcato. Folia majora circiter 5-6 centim. longa, 3-4 lata, oppositis duplo triplove longiora et latiora, petiolis limbi latitudinem longitudine subæquantibus. Bracteolæ minutæ obovato-oblongæ floribus subsessilibus suppositæ. Antheræ elongatæ lineares nec vere subulatæ. Cætera ignota. Species habitu quasdam sectionis præcedentis referens, ob formam staminum huicce relata. — In sylvis insulæ *Sumatra*, Korthals. Specimen nostrum e Musæo Lugduno-Batavo communicatum est.

8. Sonerila solanoides †. Tom. XVI, tab. XVIII, fig. 3.

S. suffruticosa erecta ramosa; ramis subtortuosis obscure 4-gonis glabris vel glabratis, epidermide membranacea molli mature soluta nudatis; foliis longiuscule petiolatis, in eodem jugo subæqualibus æqualibusve, ovatis acutis basi subcordatis serratis 5-7-9-nerviis ciliatis cæterum glabris; ramis floriferis terminalibus basi foliosis superne nudis hirtellis, apice sæpius in ramulos duos secundifloros divisis, flore uno in dichotomia alari; floribus pedicellatis intense violaceis; antheris aurantiacis.

Planta inter congeneres insignis, inflorescen tia et colore florum *Solanum tuberosum* in memoriam revocans, fortasse semimetralis aut elatior. Folia 3-4 centim, longa, 2-2 ½ lata, petiolo sesqui-bicentimetrali. Racemus uterque in eodem ramo 5-9-florus, alter alteri adjunctus umbellam mentiens. Calyx totus pilis glanduliferis hirsutus, tubo cylindraceo, dentibus brevissimis. Petala ovata acuta 8 millim. longa, nervo medio postice piloso. Antheræ oblongo-ovoideæ in rostrum attenuatæ. Capsula 3-gona apice umbilicata. — In montibus Indiæ *Nelli-Gherry;* Perrottet.

9. Sonerila erecta Bennet, *l. c.*, p. 216.

S. herbacea erecta ramosa isophylla vel parum anisophylla; caule ramisque bifariam pubentibus; foliis petiolatis ovato-lanceolatis utrinque acutis subtiliter serrulatis 3-nerviis, supra subtusque piloso-hirsutis, pagina inferiore sæpe purpurascente; pedunculis terminalibus 2-4-floris; floribus secundis sessilibus; calycibus oblongis prismaticis cylindraceisve.

Planta 2-5-decimetralis. Folia cujusque jugi nunc æqualia nunc inæqualia 1 ½-3 centim. longa, 6-10 millim. lata, petiolo ½-1-centimetrali. Antheræ ovoideæ apice subulato fere rostellatæ 1-porosæ. Calyx fructifer obsolete 6-nervosus glaber, dentibus brevissimis. Habitu ad *S. brachyandram* tendit sed multo robustior est et stamina aliter fabricata. — In insula *Pulo-Pinang;* Gaudichaud, Wallich.

10. Sonerila tenuifolia Blume, *l. c.*

S. fruticulosa erecta; caule sparsim echinulato; foliis mollibus longiuscule graciliterque petiolatis, in eodem jugo inæqualibus non autem dissimilibus, ovatis longe acuminatis serratis

3-5-nerviis (nervis lateralibus subevanidis) parcissime setulosis glabratisque; pedunculis subterminalibus 1-3-floris.

Planta 2-4-decimetralis. Folia majora 4-7 centim. longa, 1 ½-2 lata, petiolo 2-3-centimetrali; minora duplo triplove breviora et latius ovata. Calycis dentes acuti tubo paulo breviores. Antheræ basi obtusæ subbilobæ, apice subulatæ. Stigma omnino capitatum. Capsula trigona umbilicata glabra. — In insula *Java*, Blume.

11. Sonerila affinis Wight et Arntt., *l. c.*

S. herbacea erecta ramosa glabrescens; caule ramisque inermibus; foliis in eodem jugo valde inæqualibus mollibus longiuscule petiolatis ovatis acuminatis vel oblongo-ovatis argute serratis 3-5-nerviis, utraque pagina sparsim setulosis demum glabratis; ramulis terminalibus paucifloris; floribus subsecundis longiuscule graciliterque pedicellatis; capsulis turbinatis subnutantibus.

Planta basi sublignosa, nonnihil radicans, 2-4-decimetralis. Folia cujusque jugi majora 2 centim. circiter longa, 1 lata, petiolo centimetrali; minora duplo triplove breviora interdumque minima sed oppositis conformia. Antheræ basi bilobæ, apice subulatæ (ex clar. Arnott). Capsula turbinata nec manifeste 3-gona, calycis tubo obsolete 6-costato vestita. Habitu ad *S. tenuifoliam* tendit. — In insula *Zeylania*, Walker.

12. Sonerila squarrosa Roxbg., *l. c.* — Wallich, *Plant. as. rar.*, II, p. 2, tab. 102.

S. humilis herbacea erecta simplex? subglabra; caule basi nudato cicatriculis foliorum delapsorum notato; foliis basi aculeolo stipulaceo duplici utrinque armatis, cuneato-lanceolatis acutis basi in petiolum attenuatis argute serrulatis uninerviis (nervo laterali utroque evanido); pedunculis 1-3-floris; calycis dentibus late triangularibus tubo oblongo 6-nervoso multo brevioribus.

Plantula (ex speciminibus nostris fortasse depauperatis) 5-8 centim. alta. Folia 2-2 ½ centim. longa, 5-7 millim. lata. Petala late ovata acuminata, 7-8 millim. longa. Antheræ subulatæ incurvæ. — In monte *Sillet* Indiæ; Bentham.

13. SONERILA ARGUTA Rob. Brown. in *Wall. cat.*, 4095.

S. præcedenti fere simillima sed fortassis debilior; caule cicatriculis inferne notato; foliis longe graciliterque petiolatis cuneato-lanceolatis subobtusis argute serrulatis 1-nerviis, pagina superiore sparsim setosis, inferiore glabris; aculeolo utroque quam in præcedente molliori; pedunculo scapiformi 1-floro; calycis dentibus tubo oblongo multo brevioribus.

Planta (ex unico specimine) vix semidecimetralis. Folia, petiolo adjecto, 3-4 centim. longa, 4-6 millim. lata. Petala ovata acuminata 8 millim. circiter longa. Antheræ ut in præcedente specie. — In monte *Sillet* Indiæ; Wallich, n. 4095.

14. SONERILA PICTA Korthals, *l. c.*; 249, tab. 52.

S. herbacea erecta aut adscendens glabra anisophylla; caule basi radicante; foliis petiolatis ovato-oblongis acuminatis argute et remote serrulatis irregulariter multiplinerviis et quasi penninerviis, pagina superiore secus nervos primarios albo lineata; racemis paucifloris secundis axillaribus terminalibusque; floribus breviter pedicellatis.

Species ob folia lineis albis variegata inter omnes hujus generis decora et facillime recognoscenda. Caulis debilis, obscure tetraedrus, inferne humifusus et radicans. Folia majora fere centimetralia, 2-3 centim. lata, oppositis triente aut rarius dimidio longiora et latiora, petiolis semi-sesquicentimetralibus. Flores non vidimus sed antheræ, quæ secundum Korthalsium basi bilobæ sunt, plantam hic sedem suam obtinere satis indicant. — In saxosis insulæ *Sumatra* secus flumen *Batang-Bessie*, Korthals.

b. *Hexandræ.*

15. SONERILA HETEROSTEMON †. Tab. XVIII, fig. 4.

S. herbacea erecta debilis macrophylla; foliis longiuscule petiolatis, in eodem jugo disparibus sed non omnino dissimilibus, mollibus inæquilatere ovatis subacutis basi obliqua non cordatis tenuissime serrulatis subintegerrimisque sæpius 5-nerviis, pagina superiore maculis albis in medio piligeris irrorata, cæterum glaberrimis; floribus ad apices pedunculorum pau-

cis glomeratis subsecundis ; glomerulis involucro polyphyllo subpetaloideo instructis.

Plantula circiter decimetralis (ex specimine unico). Folia majora ferme decimetrum longa, 5-7 centim. lata, petiolo 2-3 centim. longo; minora 1 ½-2 centim. longa, petiolo centimetrali. Calyx glaber, tubo 6-costato dentibus multo longiore. Petala ovata acuminata. Stamina 6 parum inæqualia sed alternatim dissimilia et discolora; 3 majorum antheræ violaceæ lobis basi divergentibus et acutis quasi sagittatæ, 3 minorum luteæ et basi integræ. Ovarium adhærens, apice membrana styli basim circumdante coronatum. Stigma capitellatum. — In insula Luzonia prope urbem *Manille;* Cuming, *Catal.*, n. 2349.

C. Cui sectioni referendæ haud compertum, propter absentiam florum in speciminibus nostris.

16. Sonerila robusta Arntt. in *Hook. comp. Bot. mag.*, II, 308.

S. suffruticulosa erecta ; radice squamis ornata ; caule ramisque hirto-ferrugineis nigrescentibusque ; foliis in eodem jugo æqualibus sessilibus ovatis obtusis subintegerrimis 5-nerviis, pagina utraque sed superiore præsertim villosis; floribus ad apices ramorum in racemos scorpioideos paucifloros dispositis pedicellatis.

Planta 4-5-decimetralis. Folia 1-2 centim. longa, ½-1 ½ lata. Calycis tubus dentibus longior, pilis glanduliferis hirtus, fructiferi 6-costatus et subtiliter muricatus. Habitu accedit ad *S. Hookerianam.* — In insula *Zeylania;* Walker.

17. Sonerila Brunonis Wight et Arntt., *l. c.*, 321.

S. ramis acute 4-gonis glabris ; pedunculis terminalibus ad apicem densifloris ; floribus secundis pedicellatis ; calycibus fructiferis prismaticis 6-costatis glabris ; limbo truncato.

In peninsula Indiæ orientalis ? Specimen nostrum omnino mancum est.

Species addendæ, partim autem revisendæ, quasdam enim suspicamur pluries subnominibus diversis descriptas fuisse :

18. S. Rheedei Wight et Arntt., *l. c.*, I, 321.

19. S. glaberrima Arntt. in *Hook. comp. Bot. mag.* II.

20. S. hirsutula Arntt., *l. c.*

21. S. Wightiana Arntt., *l. c.*

22. S. angustifolia Roxbg., *Flor. ind.*, I, 182. — Wallich, *Plant. as. rar.*, II, tab. 102.

23. S. speciosa Zenk., *Ann. sc. nat.*, VI, 151.

24. S. maculata Roxbg., *l. c.*, I, 177.

25. S. grandiflora Rob. Brown, in *Wall. cat.*, n° 4099.

26. S. tenera Royle, *Illustr. of Himal.*, 250, tab. 45, fig. 2.

27. S. Wallichii Horsf. et Bennet, *l. c.*

28. S. Rottleri Wall., *Cat.*, n° 4097.

29. S. secunda Wall., *Cat.*, n° 4094.

30. S. moluccana Roxbg., *Flor. ind.*, 1, 178. — Blum., *Mus. bot. Lugd. Bat.*, 10.

31. S. insignis Blum., *l. c.*, 11.

XC. *TRIOLENA*. Tab. XVIII, fig. 5.

Flos 5-merus. Calycis dentes subduplicati, id est intus ad basim membrana adnata instructi, acuti, tubo campanulato breviores. Petala oblongo-obovata. Stamina 10 subæqualia sed heteromorpha; antheris lineari-oblongis parum incurvis, apice obtuso et quasi truncato subbiporosis, connectivo infra loculos non producto sed in 5 majoribus in tres appendices filiformes ab antica basi antheræ ortas apice obtusas et anthera ipsa longiores mutato, in 5 minoribus simpliciter antice sub loculis apiculato et vix perspicuo. Ovarium semiadhærens obtuse triquetrum 3-loculare apice profunde umbilicatum et membrana trigone disposita coronatum. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus ignotus sed ut videtur capsula trigona apice 3-valvis.

Herba mexicana subacaulis in locis humidis vigens; foliis petiolatis ovatis vel oblongo-ovatis subacuminatis tenuiter serrulatis quintupli-septuplinerviis pilosulis et glabratis; floribus ad apices scaporum axillarium scorpioide racemosis roseis.

1. Triolena scorpioides †.

Caulis pollicaris vel paulo major, sublignosus. Folia circiter decimetralia, interdum paulo majora, 5 centim. lata, petiolo 2-3-centimetral

furfuraceo. Petala 7-8 millim. longa, 4-5 lata. — Prope *Zacualpan* (*Chiapas*); Linden.

XCI. *DIOLENA*. Tom. XVII, tab.

Flos 5-merus. Calycis campanulati dentes duplicati breves basi confluentes, externi subulati interioribus membranaceis subacutis paulo longiores. Petala ignota. Stamina 10 subæqualia; antheris brevibus obovatis apice biporosis, poris inferne in rimas fere productis, connectivo infra loculos modice producto, ad insertionem filamenti postice tuberculato-calcarato, antice in brachia seu calcaria duo erecta in staminibus 5 majoribus quam in alternis longiora porrecto. Ovarium liberum triquetrum apice truncato-umbilicato marginatum 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate subcapitellato. Fructus, ut videtur, capsula trialata trivalvis.

Herba venezuelensis, fortassis paludosa, Bertolonias facie referens; caule simplici (siccine semper ?), *inferne sublignoso tereti, superne herbaceo sulcato; foliis majusculis longe petiolatis ovatis breviter acuminatis, infra apicem vix conspicue denticulatis aut omnino integerrimis, basi nonnihil cordatis,* 5-7-*nerviis, subtus secus nervos pulverulentis, cæterum glabris; racemo racemisve terminalibus secundifloris scorpioideis; floribus albis parvis sessilibus.*

Genus Bertoloniæ pariter ac Triolenæ propinquum et propter connectivi fabricam infra loculos producti et biappendiculati cum Lasiandralibus analogiam quamdam retinens.

1. Diolena hygrophila †.

Specimen unicum nec intactum quidem habemus unde descriptio nostra incompleta evadet. Caulis circiter bidecimetralis erectus, inferne calamum scriptorium crassitudine æmulans, subtortuosus. Folia (fortassis in eodem jugo non omnino æqualia) decimetrum et quod excedit longa, 6-7 centim. lata, petiolis 7-8-centimetralibus. Racemus terminalis (adsunt etiam gemmæ quædam axillares bibracteatæ quæ fortassis sunt racemorum aliorum prima ætas) secundiflorus scorpioideus pauciflorus sessiliflorus bracteolis nudatus. Petala a Funckio alba dicuntur. Calyces post anthesim vix crassitudine seminis cannabini. Fructus maturus ignotus. — In provincia *Carabobo* Reipublicæ Venezuelensis; Funck et Schlim, *Cat.*, n. 553.

XCII. *ERIOCNEMA*. Tom. XVII, tab.

ERIOCNEMA Ndn., *Ann. des sc. nat.*, 3e série, II, 144. — Walp., *Répert.*, V, 683.

Flos 5-merus. Calycis dentes simplices vel duplicati subulati tubum campanulatum subæquantes persistentes. Petala cuneato-obovata obtusa. Stamina 10 æqualia aut vix inæqualia, antheris rectis subulatis 1-porosis, connectivo infra loculos nullo nec postice tuberculato. Ovarium liberum vel basi paulisper adhærens subglobosum aut ovoideum apice pilosulum 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula calyce persistente vestita subglobosa apice nonnihil umbilicata 3-valvis. Semina irregulariter ovoidea interdum curvata.

Herbæ brasilienses subacaules hirsutæ aut villosissimæ, caulibus crassis, foliis longe petiolatis ramis floriferis scapiformibus, floribus umbellatis aut subumbellatis albis et fortasse purpurascentibus.

Genus Bertoloniæ proximum sed distinctissimum floribus umbellatis et capsula subglobosa nec trialata.

1. ERIOCNEMA FULVA Ndn., *l. c.* — Walp., *l.* c.

E. macrophylla tota villosissima rufa et ferruginea; caule crasso brevi; foliis subradicalibus radicalibusque late cordiformi-ovatis obtusis denticulatis 9-nerviis, petiolis intense ferrugineis; scapis axillaribus 3-5-floris; floribus longe pedicellatis albis?

Caulis crassitie digiti, vix decimetralis, dense hirsuto-ferrugineus. Folia 1-1 ½ decim. longa, paulo minus lata, petiolo limbum longitudine superante. Calycis dentes simplices? Petala 12-14 millim. longa. Capsula crassitudine seminis cannabini. — In provincia Brasiliæ *Minas geraes* prope *Ribeiro Manco;* Claussen.

2. ERIOCNEMA HILARIANA Ndn., *l. c.*, 145.

E. subacaulis hirsutissima; foliis cordiformi-ovatis subacutis dentato-crenatis 7-9-nerviis, pagina utraque hirto-puberulis,

inferiore cœlato-reticulatis ; ramis omnino scapiformibus axillaribus 5-9-floris ; floribus longiuscule pedicellatis albis.

Caulis circiter pollicaris vel brevior. Folia 4-7 centim. longa, 3-5 lata, petiolo 4-8-centimetrali. Scapi circiter decimetrales, sicut et petioli patentim hispidi. Calycis dentes duplicati; exteriores angusti subulati setosi, interiores oblongi membranacei glabri cum externis ultra medium coaliti iisque breviores. Petala 8 millim. longa. Capsula ut in priore. — In Brasiliæ collibus prope *Villa Ricca;* Aug. de Saint-Hilaire.

XCIII. *SPHÆROGYNE*. Tom. XVII, tab.

Flos 5-merus. Calycis campanulati limbus duplicatus, dentes interni breves rotundati ciliati, exteriores tuberculati reflexi interioribus breviores. Petala obovata apice obtuso rotundata. Stamina 10 parum inæqualia; antheris linearibus falcatis apice subulato uniporosis, connectivo nec producto nec appendiculato. Ovarium usque ad medium aut paulo amplius adhærens, apice libero umbilicatum, 5-loculare. Stylus gracilis filiformis, stigmate capitato sphærico inconspicue 5-sulcato. Fructus ignotus.

Herba Americæ æquinoctialis indigena, fortassis paludosa, brevicaulis macrophylla multiflora ; caule simplici? subtortuoso, inferne sublignoso, ad nodos præsertim setis longis robustis applanatis hispido; foliis longe petiolatis late ovatis vix apiculatis integerrimis aut inconspicue infra apicem ciliato-denticulatis basi rotundatis quinque-quintuplinerviis, pagina superiore glabrata, inferiore secus nervos setulosa et pulverulenta; panicula terminali magis minusve contracta floribunda ; floribus brevissime pedicellatis, pulchre roseis.

Genus non satis notum et adhucdum in tribu Miconialium incertæ sedis ; illud propter habitum huic subtribui consociavimus.

1. Sphærogyne latifolia †.

Specimina duo habemus sibi invicem inflorescentia et habitu non omnino convenientia, florum autem fabrica simillima. Utriusque folia sesquidecimetrum et quod excedit longa sunt, 10-12 centim. lata, petiolis limbum longitudine æquantibus, setoso-hispidissimis. Rami panicularum graciles, fortassis secundiflori, inflorescentiam *Ribis rubri* referentes, nunc distantes nunc etiam approximati, unde panicula tota

quasi in capitulum coarctatur. Petala circiter centimetralia, pulchre rosea aut rubra. Stigma sphæricum, apice lineis quinque e puncto medio depresso radiantibus insculptum. — In montibus venezuelensibus, provinciæ *Merida* prope *Bailadores*, ad altitudinem 800—1600 metrorum, Linden, *Cat.*. n. 1391; et *San Yacinto*, Funck et Schlim, *Cat.*, n. 1635.

XCIV. *PHYLLAGATHIS.*

Phyllagathis Bl., *Flora*, 1831. — Melastomatis species, W. Jack in *Trans. Linn. soc.*, XIV. — Endlicher, *Genera plant.*, nº 6256.

Flos 4-merus. Calycis oblongo-campanulati limbus membranaceus obtuse 4-lobus; lobis dorso denticulum externum cuspidatum, apice 3-4-setosum, inferne in nervum abeuntem gerentibus. Petala ovato-elliptica aut obovata apiculata. Stamina 8, æqualia aut subæqualia, antheris nonnihil recurvis, a basi ad apicem gradatim attenuatis ideoque subulatis, poro minutissimo apertis; connectivo infra loculos nullo, postice ad basim vix conspicue incrassato. Ovarium toto ambitu adhærens, apice membrana libera styli basim cingente coronatum, 4-loculare. Placentæ lamelloso-cuneiformes, margine libero incrassatæ, multiovulatæ. Stylus filiformis gracilis, stigmate punctiformi. Fructus (ex auctoribus) baccatus, quadrilocularis. Semina ignota.

Frutex? sumatranus macrophyllus; foliis longe petiolatis oppositis subrotundis apiculatis basi subcordatis margine tenuiter et obsolete sinuato-denticulatis aut subintegerrimis 7-9-nerviis vix non glabris; petiolis sparsim pilosis; floribus in capitula axillaria pedunculata dense congestis, bracteis coloratis late cordatis involucratis, purpurascentibus.

Genus fortasse melius in subtribu Dissochætearum collocandum.

1. Phyllagathis rotundifolia Bl., *l. c.*, et *Mus. bot. Lugd. Bat.*, 12. — *Melastoma rotundifolium* Jack. — Korthls., *Verh. nat. Gesch. bot.*, 252, tab. 57.

Folia maxima petiolique succulenti plantam subherbaceam potius quam fruticem indicant. Quæ in specimine nostro suppetunt 2 decimetra et quod excedit longa sunt, 18 centim. circiter lata, petiolo fere decimetrali pennamque anserinam crassitie subæquante. Capitulum pedun-

culo communi 6-8 centim. longo suffultum, subglobosum, multiflorum. Bracteæ obovatæ purpurascentes, florum circiter longitudine. Flores ipsi in ramulis brevibus bractearum verticillo circumdatis scorpioide dispositis ideoque capitulum mentientibus, breviter pedicellatis. Calyces in speciminibus siccis purpurascentes. Petala ferme centimetrum longa, purpurascentia. — In insula *Sumatra*. Ex herbario clar. Korthals communicata.

Species addenda :

2. P. GYMNANTHA Korthls, *Verh. nat. Gesch. bot.*, 252.

XCV. *GRAVESIA*. Tom. XII, tab. 10, fig. A.

Flos 5-merus. Calycis turbinati hispiduli dentes breves subobtusi, extus infra apicem denticulo minuto 3-4-setoso instructi. Petala ovata subacuta. Stamina 10, æqualia, inter se conformia; antheris oblongis, apice obtuso 1-porosis, connectivo postice in appendicem obtusam subtus canaliculatam producto; filamentis glabris. Ovarium toto ambitu calycino tubo adhærens, lobis 5 membranaceis triangulari-obovatis stylique basim cingentibus coronatum, 5-loculare. Stylus filiformis rectus, stigmate obtuso punctiformi. Placentæ lamelliformes, margine libero utroque latere dilatatæ. Ovula numerosa tenuia irregulariter ovoidea. Fructus ignotus.

Herba madagascariensis subacaulis oligophylla oligantha ; rhizomate brevi sublignoso tortuoso hispidissimo ; foliis oppositis ? majusculis petiolatis ovatis obtusis basi cordatis inæqualiter dentato-crenatis 5-7-*nerviis sparsim pilosis ; scapis axillaribus gracilibus umbellatim* 3-7-*floris*, *interdum* 1-*floris ; floribus pedicellatis magnitudine mediocribus.*

In honorem clarissimi GRAVES qui Galliæ septentrionalis vegetabiles divitias strenue scrutatus, Geologiæ tamen et plantis fossilibus potissimum addictus, de utraque scientia bene meritus est ; qui demum hujusce stirpis novæ unicum specimen suum liberaliter Musæo largitus est, genus istud dicavimus.

1. GRAVESIA BERTOLONIOIDES †.

Rhizoma circiter centimetrale, crassitudinem pennæ anserinæ (saltem in specimine nostro) æmulans, pilis patulis atro-purpurascentibus

hispidus. Folia (verisimiliter opposita, quamvis id ex unico specimine nonnihil incompleto affirmare non possumus) ferme decimetrum longa, 6-7 centim. lata, pagina superiore pilis raris conspersa, inferiore uberius pilosula; petiolo sesqui-bicentimetrali, hispidissimo; nervis subtus reticulatis. Scapi seu pedunculi communes graciles, foliis multo breviores, hirsuti, fusci; pedicelli proprii circiter centimetrales. Petala carnosula, 7-8 millim. longa, colore ignoto, sed si ex planta exsiccata judicandum est, fortasse rosea. Antheræ in sicca planta luteæ. Species conspicua, primo intuitu Bertoloniarum aut Eriocnemarum habitum referens. — In insula Madagascaria, loco haud designato. A clar. Graves communicata.

Subtribus III. — CLIDEMIEÆ.

Frutices aut arbusculæ, rarius arbores aut herbæ suffruticosæ, in utraque America et Antillis crescentes. Flores 4-9-meri. Calyces diversiformes, limbo varie conflato, dentibus externis nunc productis subulatis, nunc punctiformibus aut omnino obsoletis. Petala obtusa aut acuta, nonnunquam obovato-apiculata. Stamina vix non semper petalorum numero dupla, raro numerosiora et subindefinita, rarissime petalorum numerum æquantia, inter se æqualia aut alternatim parum inæqualia, omnia ut videtur fertilia; antheris 1-2-4-porosis, nonnunquam rimis seu poris in rimas longitudinales productis dehiscentibus; connectivo sub loculis haud infrequenter conspicuo, appendiculis instructo aut destituto, rarius postice caudato. Ovarium magis minusve calyci adhærens, rarissime subliberum, 2-15-loculare. Stigma in paucissimis speciebus sessile aut subsessile, in reliquis stylo suffultum, punctiforme aut capitatum. Fructus baccatus, carnosus aut subsiccus, in paucis generibus capsularis. Semina diversiformia, ut plurimum irregulariter ovoideo-angulata.

Conspectus generum.

Genera antheris postica basi caudatis insignia.	Huberia. Urodesmium. Behuria.

Genera quorum antheræ cauda postica non sunt instructæ. . . .

Chitonia.
Sarcomeris.
Miconiastrum.
Tetrazygia.
Calycogonium.
Svitramia.
Bucquetia.
Tococa.
Myrmidone.
Maieta.
Calophysa.
Microphysa.
Chalybæa.
Myriaspora.
Bellucia.
Conostegia.
Miconia.
Pogonorhynchus.
Staphidium.
Cyanophyllum.
Staphidiastrum,
Ossæa.
Heterotrichum.
Octomeris.
Clidemiastrum.
Leandra.
Clidemia.
Tschudya.
Sagræa.
Diclemia.
Capitellaria.
Henriettea.
Henriettella.
Loreya.

Genus dubium incomplete descriptum et ut videtur hic addendum.

Truncaria.

Genera hujus subtribus deleta :

Jucunda.
Diplochita.
Phyllopus.
Decaraphe.
Oxymeris.

Cremanium.
Chænopleura.
Augustinea.
Stephanotrichum.
Chiloporus.
Hartigia.
Glossocentrum.
Ischyranthera.

XCVI. *HUBERIA.* Tom. XVIII, tab.

Huberia DC., III, 167. — Mart., *Nov. Gen.*, III, 146. — Chamisso, *Linn.*, IX, 373. — Presl., *Symb. bot.*, I, 58. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6176.

Flos 4-merus. Calycis tubus oblongus, in anthesi cylindraceus aut suburceolatus, fructiferus sublimbo constrictus basi ventricosus; limbus dilatatus, dentibus externis productis subulatis aut brevibus tuberculiformibus, internis obtusis et cum prioribus connatis. Petala ovata obovatave subacuta. Stamina 8 vix non æqualia conformia, antheris lineari-subulatis 1-porosis antice undulatis, connectivo infra loculos non producto sed postice paulo supra basim cauda filiformi gracili deorsum producta instructo. Ovarium 4-gonum 4-loculare angulis quatuor ferme ad medium usque calycino tubo adhærens. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula ovoidea calycis tubo velata demum loculicide 4-valvis. Semina elongata linearia membrana molli undique marginata, placentis parum productis affixa, erecta parallela.

Frutices brasilienses ramosi glaberrimi interdum viscosissimi; foliis petiolatis oblongis integerrimis aut serratis 3-nerviis; cymis terminalibus ut plurimum trifloris umbellatim aggregatis; floribus longe pedicellatis albis aut purpurascentibus.

1. Huberia ovalifolia DC., *l. c.* — *Huberia resinosa* Presl., *l. c.*

H. viscosissima; foliis elliptico-ovatis utrinque subacutis integerrimis 3-nerviis subcoriaceis; calycis dentibus brevissimis obtusis.

Folia 5-8 centim. longa, interdumque majora, 2-4 lata, petiolo 1-2-decimetrali, nervis subtus rubentibus. Florum pedicelli centimetrum aut paulo amplius longi. Calycis dentes externi tuberculiformes vix distincti, interni brevissimi obtusi cum prioribus concreti. Petala ferme 2 centim. longa. Semina matura oblonga, nucleo medio (seu germine) ovoideo nigrescente, membrana circumdante supra nucleum geniculata. — In variis locis provinciarum *Rio de Janeiro* et *Minas geraes;* Claussen, Lalande, Gaudichaud. Specimina etiam habemus ex herbario Martiano.

2. Huberia laurina DC., *l. c.*

H. viscosa aut viscidula; foliis elliptico-ovatis obovatisque utrinque subacutis integerrimis, nervis lateralibus margini proximis; calycibus subteretibus, dentibus externis productis subulatis.

Frutex 2-4-metralis erectus ramosus, in summitatibus ramorum sæpe viscosissimus. Folia 8-10 centim. longa, 2-3 lata, prima fronte ut ait Candolleus, penninervia propter nervos laterales marginibus proximos et nervulos transversos in pagina inferiore prominentes. Florum pedicelli proprii 2-3-centimetrales. Calycis dentes externi producti subulati, interiores haud conspicui, tubus alis destitutus. Petala alba. Species etiam distinctissima. — Secus rivulos montium provinciæ *Minas geraes;* Riedel, Claussen. Hanc etiam habemus ex herbario Martiano.

3. Huberia semiserrata DC., *l. c.*

H. viscosissima; foliis elliptico-ovatis. ovatisve acutissimis a medio ad apicem remote serratis; calycibus quadrialatis, dentibus productis acutissimis.

Folia 5-7 centim. longa, 2-3 lata, petiolo sesquicentimetrali. Species calyce alis quatuor membranaceis in dentes productis instructo facile distinguenda. — In provincia S[ti] Pauli; Gaudichaud, Aug. de Saint-Hilaire.

Species exclusæ:

H. annulata DC., *l. c.* — *Maieta* Vent., *Choix*, tab. 32. — Macrolenes annulata.

H. argentea DC., *l. c.* — *Maieta* Vent., *l. c.*

XCVII. *URODESMIUM.* Tom. XVII, tab.

Flos 4-merus. Calyx oblongo-campanulatus aut potius turbinatus; limbo brevissime 4-dentato, denticulis externis 4 tuberculiformibus setula terminatis instructo. Petala obovata, apice acuminata? Stamina 8, nonnihil inæqualia; antheris longis linearibus apice gradatim subulato 1-porosis, connectivo sub loculis perspicuo, antice ad insertionem filamenti breviter bicalcarato, postice in caudam longam filiformem producto. Ovarium semiadhærens, 4-loculare. Stylus gracilis exsertus, stigmate punctiformi. Cætera ignota.

Frutex? in America æquatoriali, secus ripas Orinoci indigenus, glaberrimus; foliis breviter petiolatis ovatis oblongove-ovatis acutis aut in acumen productis, basi subcordatis, integerrimis, adjecto nervo utroque marginali 5-nerviis; paniculis terminalibus paucifloris, floribus ad apices ramulorum solitariis-ternis, breviter pedicellatis.

Genus quamdam affinitatem cum Huberia ostendens, ei tamen ut videtur non conjungendum.

1. Urodesmium huberioides †.

Folia 6-8 centim. longa, 2-3 lata, petiolis 3-6-millimetralibus. Paniculæ pyramidatæ pauciramosæ paucifloræ. Flores explicati non suppetebant in specimine nostro. — In vicinia urbiculæ *S.ⁿ Baltazar*, tractus dicti *Rio Atabapo;* Bonpland.

XCVIII. *BEHURIA.*

Behuria Cham., *Linn.*, IX, 376. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6177.

Flos 6-merus. Calycis tubus breviter campanulatus, limbus simplex profunde 6-dentatus, deciduus? Petala obovata obtusissima. Stamina 12 æqualia, antheris lineari-subulatis 1-porosis, connectivo postica basi in caudam filiformem gracilem anthera ipsa vix breviorem deorsum producto. Ovarium globosum liberum apice umbilicato 6-tuberculatum 4-loculare (secundum Chamissoem). Capsula globosa calycis tubo truncato ad medium

vestita 4-locularis loculicide 4-valvis. Semina ignota, verisimiliter pyramidata.

Frutex brasiliensis subglaber aut in novellis puberulus moxque glabratus ; ramis supremis obtuse 4-gonis ; foliis petiolatis ovato-ellipticis ellipticove-lanceolatis acuminatis basi interdum acutis serrulatis adjecto utroque nervo marginali quintuplinerviis ; cymis paucifloris terminalibus, in paniculam foliosam ut plurimum collectis ; floribus rarius admodum solitariis, albis aut purpurascentibus?

1. Behuria insignis Cham., *l. c.*

Folia 5-7 centim. longa, 2 lata, petiolo 1-1 $\frac{1}{2}$-centimetrali. Petala ferme centimetralia. — In Brasilia australi, sed loco haud designato; Sellow. Specimen nostrum e Musæo berolinensi recepimus.

XCIX. *CHITONIA*. Tom. XVII, tab.

Chitonia Don., *mss. ined.* — Melastoma, Bonpl.. *mss.*

Flos 4-merus. Calycis tubus oblongus basi ventricosus superne angustatus, limbus dilatatus duplicatus ; dentibus externis productis subulatis, internis membranaceis brevibus inter se confluentibus obtusissimis priorum basi adnatis ideoque parum distinctis. Petala ignota Stamina 8 æqualia, antheris lineari-subulatis 1-porosis antice undulatis, connectivo nec producto nec appendiculato. Ovarium in imo fundo calycis inclusum omnino adhærens 6-loculare. Stylus filiformis, stigmate obtuso punctiformi. Fructus ignotus. Semina immatura ovoidea.

Arbuscula antillana ; trunco brachium humanum crassitudine æquante; ramis supremis obscure 4-gonis demum subteretibus petiolis nervisque foliorum adpresse tomentoso-rufescentibus ; foliis petiolatis ovatis acutis interdumque subapiculatis basi ut plurimum rotundatis integerrimis quintuplinerviis, in prima juventute tomentoso-furfuraceis, mox pagina superiore glabratis, inferiore tomentum retinentibus et canescentibus ; paniculis terminalibus, ramulis nudis apice trifloris ; floribus subsessilibus.

1. Chitonia albicans Don., *l. c.* (Teste herbario Lessertiano.

Rami supremi foliosi crassitudine calamum scriptorium æmulantes,

sæpe graciliores. Folia nonnihil rigida et subcoriacea, 6-8 centim. longa, 3-4 lata, petiolis sesqui-bicentimetralibus. Calyces in anthesi fere centimetrum longi, a calycibus Huberiarum fabrica parum discrepantes. Ovarium sæpius 6-loculare, sed etiam 7-8-loculare reperitur. — In Antillis, sed quo loco incertum est. Planta ex herbario Bonplandiano.

C. *SARCOMERIS*. Tom. XVII, tab.

Flos 6-merus. Calycis oblongo-turbinati seu pyriformis carnosi limbus integer aut obtusissime 6-lobus, tuberculis oblongis totidem, denticulorum externorum vestigiis, angulatus, tubus obconicus aut cylindraceus. Petala unguiculata; limbo irregulariter rotundato, obtuse apiculato, basi utrinque subauriculato, in anthesi reflexo; ungue crassiusculo carnosulo, limbum longitudine subæquante. Stamina 12 æqualia aut subæqualia; antheris linearibus, apice subulato 1-porosis, loculis antice undulatis, connectivo postice ad basim vix conspicue tuberculato; filamentis filiformibus. Ovarium toto ambitu et ad apicem usque adhærens, 4-loculare. Placentæ lamelliformes, margine libero incrassatæ. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus ignotus, verisimiliter baccatus.

Arbuscula antillana 2-4-metralis, fastigiatim et dichotome ramosa; trunco cruris humani diametrum æquante; ramis tortuosis; foliis carnoso-coriaceis rigidis petiolatis ellipticis obtusis basi cordatis integerrimis 3-nerviis, pagina superiore mature glabratis, inferiore adpressissime furfuraceo-tomentellis; paniculis axillaribus terminalibusque parvis paucifloris; floribus ad apices ramulorum ternis, sessilibus, purpurascentibus?

Nomen a vocibus Σὰρξ (σαρκὸς) et Μερὶς quæ organorum plantæ carnositatem indicant.

1. Sarcomeris coriacea †.

Ramuli annotini foliis denudati, cicatricibus delapsorum insculpti; hornotini densiuscule foliosi; omnium cortex rugosus aut irregulariter sulcatus (saltem in specimine exsiccato). Internodia 1 centim. et quod excedit longa. Folia juniora tomento rufo detergibili obducta, adulta

pagina superiore omnino glabrata, nitida, 6-8 centim. longa, 3-4 lata; petiolo circiter centimetrali crasso sulcato, nervis primariis transversisque secundariis subtus prominentibus. Paniculæ furfuraceo-rufescentes, ramulis crassis sulcatis et angulosis. Calyces fere sesquicentimetrum longi, dense furfuracei. Petala centimetralia, rosea aut purpurascentia? — In aridis sabulosis insulæ vulgo dictæ *île des Pins* prope Cubam Antillarum; Morelet.

CI. *MICONIASTRUM*. Tom. XVII, tab.

Flos 5-merus. Calycis tubus oblongus, in anthesi cylindricus, post anthesim magis ac magis basi ventricosus et sub limbo constrictus; limbus dilatatus obsolete 5-lobus, denticulis externis punctiformibus aut subnullis. Petala obovata, apice integra, nonnunquam subinæquilatera, obtusa aut subacuta. Stamina 10, subæqualia, antheris lineari-subulatis 1-porosis nonnihil falcatis exappendiculatis. Ovarium oblongum ovoideum, nunc supra medium nunc usque ad apicem adhærens 3-4-loculare. Stylus gracilis exsertus, stigmate punctiformi. Fructus subbaccatus? calycis limbo persistente coronatus. Semina clavato-pyramidata.

Frutex (annon potius arbuscula?) antillanus, Miconias plurimas facie referens, ramis obscure tetrahedris aut subteretibus tomentoso-pulverulentis; foliis petiolatis ovatis aut late lanceolatis acuminatis integerrimis subintegerrimisque 3-nerviis; paniculis terminalibus pyramidatis; floribus magnitudine mediocribus purpureis aut albis.

1. Miconiastrum Lambertianum. — *Melastoma Lambertiana* Bonpl., *Ined.* — Non *Miconia Lambertiana* DC.

Planta habitu variabilis, folia latiora et angustiora ostendens. Rami ultimi subteretes, tomento adpresso brevissimo et pulverulento obducti, pennam anserinam crassitie subæquantes. Folia rigidula plana, acumine magis minusve producto terminata, basi obtusa aut etiam rotundata, 8-10 centim. longa, 3-4 lata, petiolis sesqui-tricentimetralibus. Paniculum ramuli ut plurimum dichotomi, flore uno intermedio terminati, ramulis duobus lateralibus trifloris. Calyces 5-7 centim. longi, limbo

dilatato expanso. Corolla alba aut rosea, diametro centimetrum excedens. Petala obovata æquilatera aut subinæquilatera obtusa aut nonnihil subacuta et fortassis apiculata, 6-7 millim. longa. Ovarium ovoideum, apice attenuatum, supra medium adhærens, sæpius triloculare. Fructus fere adulti sed immaturi ovoidei, pisum crassitudine æquantes aut superantes, limbo calycino sub fauce constricto coronati. — In Antillis, ex herbario Bonplandiano. Specimina etiam pauca habemus inter se diversiformia, ex insulis Jamaica et Cuba, quæ nobis a celeberrimis Hooker et Linden communicata fuerunt.

CII. *TETRAZYGIA.*

TETRAZYGIÆ species DC., *l. c.*, 172. — Endlicher, *Gen. plant.*

Flores 4-meri amblypetali. Calyces campanulati aut oblongo-campanulati, sæpius in medio vel saltem sub limbo constricti; limbo quadrilobo aut integro, denticulis externis nunc productis nunc obsoletis instructo. Petala obovata, apice retusa aut integra, sæpius inæquilatera. Stamina 8 æqualia, antheris lineari-subulatis apice 1-porosis, omnino exappendiculatis. Ovarium maxima parte imo usque ad ipsum apicem adhærens, 4-loculare; stylo filiformi exserto; stigmate punctiformi. Fructus baccatus globosus, limbo calycino coronatus. Semina irregulariter polyhedra.

Frutices antillani ramosi, sibi invicem habitu alieni; floribus paniculatis parvis aut mediocribus, albis aut rarius dilute purpurascentibus.

Genus omnino artificiale, fortassis melius pro sectione Miconiæ habendum, floribus 4-meris et 8-andris tamen recognoscendum.

a. *Species foliis petiolatis distinctæ.*

1. TETRAZYGIA ELÆAGNOIDES DC., *l. c.*, 172. — *Melastoma elæagnoides* Swartz, *Flor. Ind. occ.*, 815. — Vahl., *Icon. plant. am.*, II, tab. 28. — Bonpl., *Mel.*, tab. 13.

T. subarborescens; ramis supremis foliorumque pagina inferiore adpresse tomentosis rufescentibus candicantibusve; foliis lan-

ceolato-ellipticis acutis vix autem acuminatis integerrimis subtriplinerviis, pagina superiore glabratis aut pube inconspicua punctulatis; paniculis terminalibus brevibus oliganthis; floribus pro genere majusculis breviter pedicellatis.

Frutex elatus, interdum subarborescens, 2-4-metralis. Folia quam *T. angustifoliæ* latiora nec vere in acumen producta, nervis lateralibus a margine remotioribus et e nervo medio pauca millimetra supra basim limbi orientibus, unde fiunt subtriplinervia, 4-6 centim. longa, 1-1 ½ lata, petiolis 4-10-millimetralibus. Paniculæ breves, pedunculatæ, paucifloræ, ramis ramulisve ut plurimum trifloris. Calyces jam sub anthesi in medio constricti, post anthesim magis ac magis basi ventricosi, limbo breviter et obtuse 4-lobo, denticulis externis brevibus tuberculiformibus, magis minusve prominulis, fortassis et aliquando nullis. Petala inæquilatera, 7-8 millim. longa, alba aut pallide purpurascentia. Antheræ lineari-subulatæ. Ovarium in fundo calycis omnino adhærens, stylo gracili exserto. Fructus maturus baccatus subquadrilobus. — In insulis Antillanis, scilicet Martinica et *Porto-Rico*, Plée; *St-Domingue*, Poiteau; *St-Thomas*, Riedlé.

Var. β *martinicensis*, foliis mollioribus obtusioribus manifestius triplinerviis, in herbario nigrescentibus; floribus quam in typo specifico minoribus.

Fortassis species distincta est. A præcedente varietate differt habitu laxiore, fortassis et debiliore; flores floribus illius conformes sunt sed minores et, quod gravioris est momenti, limbus calycinus integer est et denticuli quatuor externi manifeste producti et acuti. — In Martinica; Plée.

2. Tetrazygia laxiflora †.

T. foliis ovato-lanceolatis gradatim acuminatis basi obtusis et subacutis integerrimis, adjecto utroque nervulo submarginali 5-nerviis; pagina superiore glabratis, inferiore tomento stellato pulverulentis; paniculis laxifloris, ramis subgracilibus; floribus pedicellatis.

Rami obscure tetrahedri, in panicula sulcati et pulverulenti, vetustiores glabrati. Folia 8-12 centim. longa, 3-4 lata, petiolis sesqui-bicentimetralibus. Panicularum ramuli extremi ut plurimum 3-flori. Florum pedicelli 2-5-millimetrales. Calyx oblongo-campanulatus, limbo dilatato quadrilobo, denticulis externis brevibus acutis, tubo post anthesim ven-

tricoso. Petala obovato-rotundata, margine undulata, 7 millim. longa et lata, alba aut rosea. Stamina 8 æqualia, antheris lineari-subulatis exappendiculatis. Ovarium maxima parte adhærens, 4-loculare. Stylus gracilis exsertus, apice incurvus, stigmate punctiformi. — In insula *Cuba*, haud procul ab urbe *San Yago*; Linden; *Cat.*, n. 2094.

3. Tetrazygia angustifolia DC., *l. c.*, 172. — *Melastoma angustifolia* Swartz, *Flor. Ind. occ.*, 796. — Bonpl., *Melast.*, tab. 10. — Vahl., *Dec. am.*, III, tab. 26.

T. micrantha; ramis supremis paniculis foliorumque pagina inferiore rufescenti-tomentosis; foliis lanceolatis angustis in acumen acutissimum productis integerrimis 3-nerviis; paniculis brevibus confertifloris; floribus breviter pedicellatis.

Frutex sesqui-trimetralis, ramosissimus. Folia 5-8 centim. longa, 6-8 millim. lata, pagina superiore pube crebra stellata minuta sub lente visibili punctulata, inferiore densius tomentosa, nervis lateralibus margini proximis, petiolis centimetro brevioribus. Paniculæ foliis subæquilongæ pedunculatæ (id est non ab ipsa basi ramosæ), ramulis ultimis ut plurimum trifloris. Calyces in anthesi campanulati, post anthesim sub limbo magis ac magis constricti, dentibus subacutis interdumque subnullis. Antheræ oblongo-ovoideæ acutæ. Species generi artificiali fere aliena et Miconiæ æquo jure conveniens. — In insula Guadalupa aliisque Antillis; Blonpand, L'Herminier, Perrottet.

4. Tetrazygia discolor DC., *l. c.*, 172. — *Melastoma discolor* Linn., *Spec.*, 560. — Jacq., *Am.*, 130, tab. 84. — Bonpl., *Melast.*, tab. 34. — *M. acuminata* Vahl, *Ecl.*, 1, tab. 7. — *M. elæagnoides* Sieb., *Flor. trin.*, 61.

T. fruticosa macrophylla; ramis supremis foliorumque pagina inferiore tomentoso-pulverulentis canescentibus; foliis ovatis acuminatis basi rotundatis integerrimis 5-nerviis pagina superiore magis minusve glabratis; paniculis densifloris corymbiformibus; floribus breviter pedicellatis.

Frutex circiter bimetralis, facie Miconias referens quibus fortasse melius quam huic generi adscriberetur. Folia magnitudine variabilia, 1-2 decim. longa, 6-12 centim. lata, petiolis 2-4-centimetralibus. Paniculæ terminales pedunculatæ corymbosæ densifloræ. Calyces in anthesi campanulati, limbo dilatato obtusissime 4-lobo, denticulis externis vix

perspicuis ; post anthesim manifestius sub limbo constricti. Petala 2-3 millim. longa, spurco-alba aut dilutissime purpurascentia. Antheræ lineari-subulatæ. Ovarium omnino adhærens, stylo gracili exserto. Fructus maturi globosi violacei, circiter crassitudine pisi. Species maxime variabilis statura habitu et magnitudine foliorum. — In Antillis; Guadalupa, L'Herminier; Martinica, Steinheil; hanc etiam habemus ex herbario Bonplandiano, e locis haud indicatis oriundam.

Var. β *acutidentata*, præcedente robustior; lobis calycinis rigidis acutis, denticulis externis tuberculiformibus.

Hanc ex herbario Bonplandiano tenemus. Locus natalis non indicatur.

b. *Foliis sessilibus.*

5. Tetrazygia ? crotonifolia DC., *l. c.*, 172. — *Melastoma crotonifolia* Desr. in Lamk., *Dict.*, IV, 43.

T. fruticosa ramosissima submicrophylla oligantha fere glaberrima; foliis sessilibus ovato-oblongis basi cordatis acutis integerrimis aut margine vix conspicue serrulatis 3-5-nerviis, pagina superiore tuberculato-muricatis, inferiore canescenti-tomentosis; paniculis terminalibus depauperatis, ramis gracilibus, floribus nunc sessilibus nunc longiuscule pedicellatis.

Species nobis male cognita propter speciminis statum incompletum; fortassis ad aliud genus removenda. Folia 3-4 centim. longa, 1-1 $\frac{1}{2}$ lata, pagina superiore insigniter tuberculato-exasperata. Calyces in anthesi campanulati, limbo brevissimo 4-denticulato. Petala nec genitalia suppetebant. Ovarium adhærens 4-loculare. Species Heterotricho non affinis est, ut ait Candollæus. — In insula *St-Domingue;* Beauvois.

Species exclusa :

T. tetrandra DC., *l. c.* — Miconia tetrandra Ndn. — Species Miconiis reliquis habitu et omnibus characteribus, præter staminum numerum, conveniens.

EXTRAIT DES **ANNALES DES SCIENCES NATURELLES**, TOME XVI,
CAHIER N° 2.

MELASTOMACEARUM

QUÆ IN MUSÆO PARISIENSI CONTINENTUR

MONOGRAPHICÆ DESCRIPTIONIS

ET SECUNDUM AFFINITATES DISTRIBUTIONIS

TENTAMEN.

(SEQUENTIA.)

Auctore **CAROLO NAUDIN**.

CIII. *CALYCOGONIUM.*

CALYCOGONIUM DC., *Prod.*, III, 168. — CALYCOPTERIS Rich., *mss.* — MELASTOMATIS spec., Bonpl., *Melast.;* — Swartz, *Flor. Ind. occ.*, 806. — Endlich., *Gen.*, n° 6241.

Flos 4-merus. Calycis tubus campanulatus 4-hedrus, post anthesim basi ventricosus; dentes externi producti lateribus compressi subtriquetri, sæpius angusti lineares distantes; interni obtusi brevissimi aut nulli. Petala obovata, sæpius acuta. Stamina 8 æqualia; antheris rectis subulatis 1-porosis, connectivo non producto nec appendiculato. Ovarium usque ad apicem adhærens 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Bacca exsucca subsphærica aut obtuse 4-hedra calycis dentibus coronata 4-locularis. Semina ovoideo-angulata raphe nigra laterali percursa.

Frutices antillani, ramosissimi oliganthi; foliis in eodem jugo æqualibus aut disparibus petiolatis ovatis obovatisve integerrimis aut vix conspicue sinuato-denticulatis tri-triplinerviis subpenninerviisque; floribus solitariis axillaribus terminalibusve, rarius pauciglomeratis, sessilibus vel brevissime pedicellatis, albis aut roseis.

1. Calycogonium stellatum DC., *l. c.* — *Melastoma calycopteris* Bonpl., *l. c.*, tab. 42.

C. foliis nonnihil inæqualibus oblongo-ovatis subacutis basi cordatis remote sinuato-denticulatis subintegerrimisque 3-nerviis, pagina superiore in prima juventute pube stellata detergibili mox caduca obductis, inferiore dense tomentosis rufescentibus; floribus solitariis aut in glomerulos 3-5-floros aggregatis; dentibus calycinis subfoliaceis a lateribus complanatis.

Rami juniores ut et folia calycesque pube stellata rufescente obsiti, mox glabrati. Folia in eodem jugo nunc subæqualia nunc omnino disparia, uno alterum longitudine et latitudine fere duplo superante, pagina superiore mox glabrata in speciminibus exsiccatis nigrescente, inferiore tomentum stellatum retinente, limbo 3-7-centim. longo, 1-3 lato, petiolo brevi centimetrum raro æquante. Calycis tubus post anthesim subglobosus subquadrilobusque; dentibus in anthesi tubo æquilongis, a lateribus valde compressis ideoque triangularibus, post anthesim reflexis. Bacca subsicca polysperma. Stamina nec petala suppetebant in specimine nostro. — In insula Domingensi, loco haud indicato; Beauvois.

2. Calycogonium glabratum DC., *l. c.*

C. foliis nonnihil inæqualibus lanceolato-ovatis breviter et obtuse acuminatis basi acutis integerrimis aut vix conspicue sinuato-denticulatis planis triplinerviis; floribus solitariis terminalibus (et fortassis quoque axillaribus) longiuscule pedicellatis; dentibus calycinis subulatis 3-4-gonis.

Frutex, exceptis ramulorum summitatibus foliis junioribus calycibusque pube stellata punctulatis, glaberrimus. Folia 5-7 centim. longa, 2-2 ½ lata, petiolis 5-10-millimetralibus, nervis duobus lateralibus usque ad apicem convergentibus. Pedicelli subgraciles petiolorum longitudine aut paulo longiores. Calycis tubus oblongo-campanulatus, non manifeste tetrahedrus, limbo interiore integerrimo, dentibus externis tubo æquilongis in anthesi patentibus. Petala ovato-acuta (saltem in alabastro). Fructus ignotus. Character essentialis in pedicellis longiusculis residet. — In Jamaica, loco haud indicato. Species a clar. Hooker communicata.

3. Calycogonium Lindenianum †.

C. glaberrimum aut ad apices ramulorum pube fugaci vix perspicua afflatum; foliis coriaceis in eodem jugo sæpe inæqua-

libus elliptico-ovatis subacuminatis basi acutis integerrimis margine reflexis triplinerviis; floribus solitariis sessilibus; calycis tubo oblongo 4-gono, dentibus subulatis rigidis 3-4-gonis.

Frutex ramosissimus glaber. Folia magnitudine variabilia, in quibusdam speciminibus 8-10 centim. longa, 2-3 lata, in aliis dimidio breviora sed ovatiora, limbo omnium basi acuto, nervis duobus lateralibus tenuibus et margini proximis, unde fit ut folia quorum margines maxime sunt revoluti primo obtutu penninervia videantur, petiolis 4-10-millimetralibus. Flores axillares terminalesque solitarii, subsessiles aut sessiles. Calyx glaberrimus; limbo interno integerrimo et indistincto, dentibus externis tubo fere longioribus angustis, in anthesi patentibus. Petala 7-8 millim. longa, obovato-acuta, alba. Ovarium in fundo calycis omnino adhærens. Species *C. glabrato* proxima, sed differt floribus sessilibus nec pedicellatis et calyce glabro nec pube stellata scabroso. — In insula Cubensi prope *S. Yago de Cuba;* Linden, *Cat.* n° 2139 et 2080.

4. Calycogonium rhamnoideum †.

C. glaberrimum; foliis subæqualibus aut parum disparibus obovatis, apice obtusis rotundatisque, basi subacutis, integerrimis planis triplinerviis et fere penninerviis; floribus solitariis sessilibus axillaribus terminalibusque; calycis tubo campanulato, dentibus subulatis angustissimis.

Folia 3-4 centim. longa, $1\frac{1}{2}$ — 2 lata, petiolo 4-6-millimetrali interdumque subnullo, nervis lateralibus duobus tenuibus infra apicem limbi subevanidis et a nervulis transversis vix distinctis, adeo ut folia fere penninervia evadant. Calycis tubus in anthesi campanulatus, post anthesim infra limbum constrictus et tunc magis conspicue sed tamen obtusissime tetrahedrus; limbus internus obtuse 4-lobus aut potius 4-sinuatus; dentes externi filiformes, tubo subæquilongi aut paulo breviores. Petala obovato-acuta, 5-6 millim. longa, alba. Bacca sicca ruptilis. Semina facie variabilia, ovoideo-pyramidata et dimidiato-ovoidea. Species distinctissima est. — In insula Jamaicensi, loco ignoto. Planta a clariss. Hooker communicata. Varietatem microphyllam habemus ex insula, *Cuba,* prope *S. Yago;* Linden *Cat.* 2134.

5. Calycogonium heterophyllum †.

C. ramosissimum submicrophyllum micranthum; ramulis horno-

tinis foliorum nervis calycibusque pube stellata rufa obductis; foliis in eodem jugo inæqualiter petiolatis disparibus subdissimilibus, majoribus ovatis subacutis repando-denticulatis, minoribus latius ovatis orbicularibusve subintegris, omnibus trinerviis; floribus axillaribus terminalibusque paucis pedicellatis; calycis dentibus externis subulatis triquetris.

Species omnium fere distinctissima. Ramuli nodosi, demum glabrati. Folia majora cujusvis jugi 2-3 centim. longa, 1-1 ½ lata; minora circiter 8-15 millim. longa et lata; omnium petiolis limbo subæquilongis gracilibus. Pedicelli 2-3 millim. longi. Calycis tubus post anthesim globosus subquadrilobus infra limbum constrictus, limbus interior obtuse 4-lobus, dentes exteriores in anthesi extrorsum omnino reflexi. Petala obovata obtusa subretusaque, 2-3 millim. longa, reflexa, rosea. Antheræ breves dimidiato-ovoideæ. Bacca exsucca polysperma, seminibus angulatis. — In montibus prope urbem *S. Yago*, insulæ Cubæ; Linden, *Cat.* n° 1835.

CIV. *SVITRAMIA*. Tab. .

SVITRAMIA Chamisso, *Linnæa*, IX, 445. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6213.

Flos 5-merus. Calycis dentes simplices obtusi, tubo hemisphærico 10-costato paulo breviores, persistentes. Petala late obcordata. Stamina 10 æqualia; antheris ovoideo-oblongis rectis, poro apicali unico et antico apertis, connectivo postice ad basim parumper incrassato et cum filamento simpliciter articulato. Ovarium liberum globosum apice setulosum 5-loculare. Stylus filiformis subsigmoideus, stigmate punctiformi. Capsula calyce persistente vestita, apice 5-valvis. Semina irregulariter ovoidea, lateribus compressa, inter se dissimilia nec cochleata, hilo apicali, raphe laterali nigra hinc signata.

Suffrutex brasiliensis erectus setoso-strigillosus floribundus; foliis subsessilibus ovatis acutis integerrimis 9-11-*nerviis; paniculis terminalibus magnis corymbiformibus dichotome ramosis subaphyllis; floribus pedicellatis, ante explicationem bracteola duplici multiplicive cito caduca involucratis, roseis aut purpurascentibus.*

Svitramia genus nonnihil ambiguum est et quasi inter Lasian-

drales Miconialesque militans. Prioribus limbo calycino simplici, ovario libero et fructu capsulari fœderatum ; posterioribus, petalis obcordatis staminibus brevibus et isantheris seminibusque irregulariter ovoideis et subdimidiatis arctius consanguineum.

1. Svitramia pulchra Cham., *l. c.*

Planta ut videtur metralis, parum ramosa. Caulis ramique primarii, quum adsunt, e tetragono teretiusculi adpresse strigillosi rufescentes, ramuli juniores acutius tetragoni. Folia sericeo-strigillosa rufescentia, margine strigis robustis et fere aculeiformibus adpressis armata, limbo 6-8 centimetra longo, 5-4 lato, petiolo subnullo. Internodia foliis ut plurimum breviora. Petala ferme 1 centimetrum longa et lata, apice profunde emarginato obcordiformia. Stamina nec stylus exserta. Capsula matura circiter crassitudine seminis *Lathyri odorati.* — In Brasilia australi; Sellow. Planta e musæo Berolinensi communicata. Hanc etiam vidimus in herbario Hilariano.

Ne decipiantur botanici, nobis monendum est Walpersium ab errore parum cavisse quum de *Svitramia canescente* mentionem facit. Unica enim est species Svitramiæ quam supra descripsimus.

CV. *BUCQUETIA*. Tab.

Bucquetia DC., *Prod.*, III, 110. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6184. — Rhexiæ spec. Bonpl., *Rhex.*, tab. 17.

Flos 4-merus. Calycis tubus late campanulatus ; limbus 4-dentatus, dentibus simplicibus triangularibus acutis. Petala cuneato-obovata, apice obtusa interdum et subretusa. Stamina 8 æqualia conformia ; antheris oblongis apice poro unico minuto apertis, connectivo nec producto nec appendiculato. Ovarium globosum liberum 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula globosa apice umbilicata calyce persistente vestita quadrivalvis. Semina irregulariter pyramidata aut dimidiato-ovoidea, raphe nigra hinc excurrente notata.

Frutex novo-granatensis elatus glaberrimus, Trembleyam trifloram *primo obtutu referens ; novellis glutinosis ; ramis junioribus 4-gonis , vetustioribus teretibus excoriatis ; foliis petiolatis elliptico-ovatis utrinque acutis tenuiter serrulato-ciliatis trinerviis*

pagina superiore punctis glandulosis minutis conspersa; ramulis supremis ut plurimum 3-floris inpaniculas foliosas approximatis; floribus pedicellatis violaceis.

1. Bucquetia glutinosa DC.; *l. c.* — *Rhexia glutinosa* Bonpl., *l. c.*

Frutex 3-4-metralis, ab ipsa basi ramosissimus. Folia 2-5 centim. longa, 1-2 lata, petiolo 5-10-millimetrali. Pedicelli (seu potius ramulorum floriferorum ultimæ divisiones) sesqui-bicentimetrales graciles, paulo infra florem bracteolis caducis instructi ideoque in ea parte articulato-nodosi. Petala sesqui-centimetrum circiter longa. Planta exsiccata, præsertim in inferiore pagina foliorum, lutescit. Prope urbiculam *Purasé* Reipublicæ Novo-Granatensis; Bonpland, Goudot.

CVI. *TOCOCA*. Tab.

Tococa Aubl., *Guyane*, I, 438. — Don in *Mem. Wern. soc.*, IV, 303. — DC., *Prod.*, III, 165. — Tococæ spec. Mart., *Nov. gen.*, III, 146. — Endlicher, *Genera*, n° 6232.

Flores 5-meri. Calycis turbinati aut campanulati limbus obtuse 5-lobus, interdum subinteger, denticulis externis varie fabricatis instructus. Petala obovata sæpissime emarginata aut retusa, raro apiculata, inæquilatera. Stamina 10 æqualia aut vix non æqualia; antheris linearibus subrectis, apice 1-poroso sæpius inflexo, connectivo postice supra filamenti insertionem ut plurimum tuberculato. Ovarium magis minusve adhærens, rarissime omnino liberum, apice truncatum, sæpe setis coronatum, 3-loculare (et 5-loculare ex auctoritate Martii). Stylus crassiusculus filiformis; stigmate capitellato, subpeltato, aut saltem obtusissimo. Bacca carnosula. Semina pyramidato-angulata.

Frutices austro-americani ut plurimum hirti ramosi macrophylli sæpius anisophylli; foliis petiolatis ovatis ellipticis aut interdum subrotundatis, basi sæpissime in vesicam bilobam limbo ipsi contiguam aut petiolo insidentem inflatis; paniculis pyramidatis floribundis terminalibus; floribus albis aut roseis.

a EUTOCOCÆ, seu species quarum calycis tubus alis membranaceis caret. Ovarium 3-loculare.

1. TOCOCA GUYANENSIS Aubl., *l. c.* — DC., *l. c.* — *Melastoma physophora* Vahl, *Ecl.*, I, 45. — *M. Tococo* Desr., *Dict.*, IV, p. 39. — Ut videtur eadem species ac *T. barbata* Benth.

T. macrophylla; ramis supremis hinc et inde alternatim compressis ad angulos patentim hispidis; foliis in eodem jugo magis minusve disparibus late ellipticis ovatisque breviter acuminatis basi rotundatis tenuissime denticulatis 3-5-nerviis sparsim pilosis, vesica duplici tumida hemisphærica aut cordiformi summo petiolo insidente, limbo sæpius contigua; paniculis terminalibus magnis thyrsoideis.

Frutex circiter bimetralis. Folia maxime variant magnitudine necnon vesicarum loco volumine et forma. Quæ in quolibet jugo majora sunt 1-2 et interdum 2-½ decim. longa, 7-12 centim. lata; quæ iis sunt opposita duplo triplove breviora sunt et tunc sæpius vesiculis destituta, aut subæqualia et physophora. Vesicæ nonnunquam ovoideæ oblongæ, sæpius hemisphæricæ aut cordiformes, interdum etiam prorsus scrotiformes, a crassitudine pisi ad illam glandis querneæ aut castaneæ variantes. Axis paniculæ decussatim complanata adeo ut profunde 4-alata videatur. Flores breviter pedicellati aut sessiles. Calycis limbus membranaceus integer, denticulis externis quinque pilosis obtusis brevibus ornatus. Petala obovato-cordiformia, 6-9 millim. longa et lata, inæquilatera, albo-rosea. Antherarum apex antice inflexus. Ovarium inferne adhærens, apice libero setosum, triloculare. Baccæ crassitudine pisi, longius graciliusque quam flores pedicellatæ.

Plantæ summopere variabilis unam e varietatibus sub nomine sequente recipiendam proponimus, scilicet :

Var. β *macrophysca*, vesicis maximis oblongis et a limbo interjecta superiore parte petioli remotis. Inter typum Aubletianum et hanc varietatem omnes intermedias formas habemus. — In Guyana gallica frequens; Poiteau, Perrottet, Bonpland, Melinon.

2. TOCOCA ORCHEOPHORA †.

T. macrophylla isophylla aut vix non isophylla; ramis dense patentimque hispidissimis; foliis ovato-ellipticis brevissime acuminatis tenuiter crenulatis ciliatis pilosis 5-nerviis; petiolis

omnibus paulo infra limbum vesicula duplici scrotiformi instructis; paniculis terminalibus; limbo calycino 5-dentato.

Species primo aspectu *T. guyanensi* simillima, cum ea tamen propter characteres peculiares non consocianda. Folia longiuscule petiolata, 2 decim. et quod excedit longa, 10-12 centim. lata, petiolis 4-5-centimetralibus hispidissimis; vesicis quasi a limbo defluentibus et pendulis petiolo tamen connatis, omnino scrotiformibus, crassitiem pisi vix superantibus. Calycis dentes interni majusculi triangulares subobtusi, externi prioribus multo minores tuberculiformes. Petala obovato-cordiformia 7-8 centim. longa et lata. Antheræ lineares obtusæ, apice recto aut non manifeste antice inflexo. Cætera ut in *T. guyanensi*. — In Bolivia, loco haud indicato; d'Orbigny.

3. Tococa didymophysca †.

T. macrophylla subisophylla; ramis supremis hinc et inde alternatim compressis undique patentim hispidis; foliis breviter petiolatis late ellipticis ovatisque acutis aut apiculatis basi interdum quasi subcordatis; petiolis omnibus apice physophoris, vesicis didymis parvis.

Species *T. guyanensem* habitu iterum referens, ab ea tamen facile distinguenda petiolorum brevitate, vesicularum tenuitate et forma, demum ovarii peculiari corona. Folia sesqui-bidecimetralia, 8-10 centim. lata, petiolis centimetralibus aut paulo longioribus, setis rufis ut rami ipsi hispidissimis. Vesiculæ ad apicem petiolorum insidentes et limbo fere contiguæ, bilobæ aut potius duplices, lobis globosis vix crassitudine pisi. Paniculæ ut in *T. guyanensi*, rachi profunde 4-ptera. Calycis limbus obtuse et breviter 5-lobus, denticulis externis acutis dentes internos paulo superantibus. Antheræ lineares, apice recto aut parum incurvo. Ovarium apice disco membranaceo et denticulato coronatum, triloculare aut rarius quadriloculare. — In provincia Brasiliæ *Minas geraes*; Claussen, *Cat.* n. 603.

4. Tococa latifolia †.

T. macrophylla; ramis ad nodos et supra axillas foliorum tantummodo pilosis; foliis parum inæqualibus late ovatis breviter acuminatis basi rotundatis crenato-serratis 5-nerviis, pagina superiore glabris aut sparsim pilosis, inferiore ad nervos pube-

rulis, omnibus vesiciferis; vesicis brevibus maxime tumidis bilobis, a limbo omnino distinctis.

Species in herbario parisiensi cum *T. guyanensi* seu *Melastomate physophoro* confusa quamvis facile distinguenda sit foliorum et vesicarum forma. Folia 1 ½ - 2 ½ decim. longa, 1 - 1 ½ lata, in eodem jugo parum sed manifeste disparia, vesicis subhemisphæricis quasi sursum erectis, foliorum minorum magis rotundatis et scrotiformibus. Panicula terminalis ut in precedentibus speciebus. Calycis dentes interni breves obtusissimi, externi tuberculiformes setosi reflexi. Ovarium 3-loculare. Exsiccata nigrescit. — In Brasilia, sed loco haud indicato. Habemus ex herbario lusitanico necnon e Bonplandiano.

5. Tococa cardiophylla †.

T. macrophylla; ramis petiolisque patentim horridis; foliis nonnihil disparibus late ovatis orbicularibusque obtusis basi cordatis crenatis 5-7-nerviis, pagina utraque hirsutis, non omnibus physophoris, vesicis geminatis globosis summo petiolo insidentibus et limbo contiguis.

Species inter omnes conspicua foliis sæpe orbiculatis et basi cordatis. Rami alternatim hinc et inde compressi, setis rigidis rufis patentibus horridi. Folia cujusvis jugi magis minusve disparia, interdum subæqualia, uno tamen sæpius quam alterum triente vel dimidia parte breviore et tunc vesicularum rudimenta orcheomorpha ima basi limbi monstrante aut etiam vesiculis prorsus destituto; maxima sesquidecimetrum et quod excedit longa, fere tantumdem lata; minora 7-9 centim. longa et lata. Vesiculæ geminæ in foliis majoribus ut plurimum crassitudine pisi. Petioli 1-3-centimetrales. Calyces hispiduli, denticulis externis acutis seta terminatis dentes internos breves obtusos excedentibus. Petala inæquilatera obovato-cordiformia. Ovarium apice liberum setosum 3-loculare. Species nulli affinis et a *T. platyphylla* Benth. petiolorum brevitate facile distinguenda. — In Brasilia septentrionali prope Bahiam; Blanchet.

6. Tococa aristata Benth. in Hook., *Journ. of bot.*, II, 305. — Walp., *Rep.*, II, 141.

T. macrophylla subisophylla; ramis pro genere gracilibus patentim hispidis; foliis ellipticis breviter acuminatis basi in vesicam mutata attenuatis crenato-denticulatis ciliatis 5-nerviis, pagina utraque hispidulis, omnibus physophoris; paniculis

hispidis ; dentibus calycinis denticulo externo producto quasi aristatis.

Planta quam aliæ hujus generis gracilior et foliis mollioribus instructa, facile ab omnibus distinguetur si pauci characteres in mente habeantur. Rami supremi tetragoni, alternatim subcompressi, pennam anserinam crassitudine vix æquantes. Folia cujusque jugi sæpe æqualia aut parum inæqualia, 1-2 decim. longa, 7-9 centim. lata, limbo inferne in vesicam oblongam utrinque decurrente; petiolis infra vesicam 1-2-centimetralibus. Calyces campanulati, dentibus internis obtusis brevibus, externis subulatis hispidis priores multo excedentibus. Ovarium 3-loculare. — In Guyana anglica, loco nobis ignoto ; Schomburgk.

7. Tococa egensis †.

T. glabra aut in ramis supremis parum pulverulenta anisophylla ; foliis alternatim subdissimilibus ovato-oblongis acuminatis subintegerrimis 3-5-nerviis, majoribus basi angustata et in petiolum quasi decurrente vesiciferis, minoribus basi subrotundatis vesicula destitutis.

Frutex nobis summitate ramuli floriferi et folia nonnulla exhibentis tantummodo cognitus, ab omnibus antea descriptis ita discrepare visus est ut hunc ad speciei dignitatem extollendum esse credidimus. Folia quoad magnitudinem non adeo disparia, sed figura nonnihil dissimilia saltem ramorum supremorum ut cætera taceamus ; majora sesqui-bidecimetralia, 6-7 centim. lata, limbo inferne angustato et cum vesica duplici nucis avellanæ crassitudine æmula confluente ; minora triente aut quarta parte breviora ovato-oblonga ; omnium petiolis sesqui-bicentimetralibus. Panicula ut in aliis speciebus. Calycis limbus membranaceus breviter 5-lobus, denticulis externis acutis lobos internos subobtusos paulo excedentibus. Ovarium 3-loculare. — In Brasilia septentrionali, prope urbiculam *Ega;* Pœppig.

8. Tococa occidentalis †.

T. anisophylla ; ramis petiolisque parum hirsutis ; foliis valde inæqualibus ovato-oblongis ellipticisve acuminatis serratis ciliatis 3-5-nerviis pilosulis, majoribus in petiolo vesiciferis, minoribus vesicula destitutis.

Rami supremi ad nodos potissimum pilis mollibus hirsuti, mox glabrati. Folia physophora sesqui-bidecimetralia, basi in vesicam duplicem

petiolarem subglobosam nucis avellanæ crassitudine æmulam nonnihil confluentia, petiolo infra vesicam circiter centimetrali; folia vesicis destituta prioribus duplo triplo interdumque quadruplo breviora et angustiora, illis vero conformia. Paniculæ rachis 4-alata, pilis patulis apice glanduliferis ut ramuli ipsi et calyces hispidula. Calicis dentes externi breves subobtusi inter se confluentes, interni obsoleti in membranam vix perspicuam mutati. Ovarium 3-loculare. — In Peruvia, loco haud indicato; Mathews. Specimen nostrum e Musæo Hookeriano communicatum fuit.

9. Tococa castrata †.

T. macrophylla subisophylla subglabra; foliis ovato-ellipticis breviter et abrupte acuminatis basi subcordatis tenuissime denticulatis aut subintegris ciliatis 5-nerviis vix non glaberrimis, limbo ad basim inter nervos medios vix perspicue subinflato; paniculis thyrsoideis elongatis.

Planta, quamvis vesiculis destituta, cum sequente non confundenda; differt enim forma et magnitudine foliorum quorum limbus 2-2 ½ déc. longus est et 9-11 centim. latus, petiolus 2-3-centimetralis. Vesiculæ in foliis pluribus nullæ; in paucis, et præsertim maximis, limbi pars nferior in angulis inter nervum medium duosque laterales proximos interjectis nonnihil tumida, non adeo tamen ut in vesicam infletur. Calycis dentes interni membranacei breves subobsoleti, externi minuti acuti interioribus paulo longiores. Cæteri characteres ut in reliquis. Speciem affinem *T. subnudæ* Benth. et ab illa fortassis non separandam suspicamur. — In Guyana anglica; Schomburgk.

10. Tococa planifolia Benth. in Hook., *Journ. of bot.*, II, 305.

T. glabra isophylla; foliis ovato-oblongis in acumen gradatim attenuatis acutissimis basi cordatis subintegerrimis ciliolatis 3-5-nerviis, vesicula destitutis aut vesicularum rudimentum in angulis nervorum vix ostendentibus; paniculis confertifloris.

Species glabritie et foliorum vesicæ absentia facile dignoscenda. Rami floriferi calamum scriptorium crassitudine æquantes. Folia non semper omnino æqualia, 12-18 centim. longa (saltem in speciminibus nos-

tris quæ summitates plantæ tantum exhibent) et 4-6 lata, subtus in angulis nervorum basi coalitorum foveolas quæ vesicarum principium sunt monstrantia, petiolis circiter 3 centimetra longis. Flores in ramulis paniculæ breviter et crasse pedicellati. Calyces turbinati, limbo breviter 5-sinuato, denticulis externis apiculiformibus minutis. Petala obovata inæquilatera apiculata, 7-8 millim. longa. Antherarum apex incurvus. Ovarium 3-loculare. Planta exsiccata nigrescit. —In Brasilia et Guyana. Habemus specimina e Musæo lusitanico communicata.

11. Tococa Weddellii †. Fig.

T. fere glaberrima subisophylla; ramis supremis hinc et inde alternatim compressis; foliis coriaceis ellipticis ellipticove-ovatis utrinque obtusis margine tenuissime denticulatis et quasi integerrimis 3-nerviis vesicula destitutis; paniculis brevibus confertifloris.

Frutex metralis, superne foliosus, inferne denudatus. Folia in prima juventute ciliata, adulta sæpius glaberrima aut in marginibus setularum basim retinentia et idcirco quasi denticulata, coriacea, utraque pagina nitida, superiore colorem cinereum nonnihilque metallicum exhibentia, uni-sesquidecimetrum longa, 6-7 centim. lata; vesicarum vestigiis ad basim limbi vix perspicuis et fere nullis; petiolo crasso, setulis paucis ornato, circiter centimetrali. Calycis campanulati limbus breviter et obtusissime 5-lobus, denticulis externis punctiformibus. Petala obovata retusa inæquilatera carnosula, 1 centim. circiter longa, pallide lilacina aut purpurascentia. Ovarium omnino liberum aut basi vix adhærens, 3-loculare; stylo pro genere elongato, declinato, apice nonnihil clavato; stigmate punctiformi nec peltato. Species egregia et a reliquis facile dignoscenda. — In Brasilia centrali, inter civitates *Goyaz* et *Cujaba*; Weddell.

b. Pterophoræ, id est species calycis tubo 5-ptero donatæ. Ovarium 3-5-loculare.

12. Tococa macroptera †. Fig.

T. macrophylla anisophylla; ramis supremis patentim hispidulis; foliis late ovatis apiculatis margine denticulatis ciliatisque hispidulis, prætermisso utroque nervulo marginali, 3-nerviis, vesica magna ovoidea petiolum fere totum occupante; calycis

dentibus externis subulatis limbum internum membranaceum excedentibus, cum alis tubi alternantibus.

Species inter omnes characteribus peculiaribus egregia nec ideo a genere removenda. Rami supremi ad nodos quasi articulati, pilis patentibus in juventute ornati mox glabrati. Folia in eodem jugo manifeste disparia sed consimilia ; majorum limbus 12-14 centim. longus, 8-12 latus, petiolo 4-centimetrali, vesica magna tumida hispidula in limbum superne nonnihil confluente petiolumque fere totum tegente; minorum limbus quinta aut quarta parte brevior, petiolo brevissimo, vesiculis minutis aut subnullis. Paniculæ breves pauciflorae axillares terminalesque. Calyx turbinatus, alis quinque membranaceis expansis ornatus, limbo interno integerrimo aut vix 5-sinuato, denticulis externis productis subulatis hirtellis, alarum intervallo cuivis respondentibus. Petala adulta non suppetebant. Stamina ut in aliis speciebus. Ovarium paulo ultra medium adhærens, apice libero in lacinias setiformes styli basim cingentes dissectum, 3-loculare. Stylus crassiusculus, stigmate peltato. — In provincia *Goyas* Brasiliæ. Gardner, *Cat.* n° 3174; necnon in deserto dicto *Sertao d'Amaroleité*, Weddell, *Cat.* n° 2499.

13. Tococa stephanotricha †.

T. anisophylla ; ramis petiolis nervisque foliorum sublus patentim hispidis ; foliis ut plurimum maxime disparibus oblongo-ovatis acuminatis subtiliter denticulatis hispidulis, prætermisso nervulo utroque marginali, 3-nerviis; vesicis mediocribus ovoideo-oblongis in medio petiolo insidentibus ; alis calycinis brevibus, lobis limbi respondentibus.

Folia majora 15-18 centim. longa, 6-7 lata, petiolis bi-quadricentimetralibus, vesicis oblongis sublageniformibus apice angustato in limbum quasi confluentibus, minora prioribus triplo sextuplo interdumque fere decuplo breviora et vesiculis destituta, haud raro etiam iis subæqualia et tunc vesicis instructa. Paniculæ breves terminales axillaresque paucifloræ micranthæ hispidæ. Calycis limbus breviter 5-lobus aut 5-sinuatus, denticulis externis cum alis confluentibus, alis setoso-ciliatis. Petala ignota. Stamina ut in reliquis. Ovarium semiadhærens apice stellato-laciniatum, 5-loculare. — In Brasilia septentrionali secus flumen Amazonum, loco dicto *Maynas alto* ; Pœppig.

Species addendæ :

a. *Ovario 5-loculari, ex auctoritate Martii.*

14. T. BULLIFERA Mart., *l. c.*, tab. 277.
15. T. FORMICARIA Mart., *l. c.*, tab. 278.

b. *Ovario 3-loculari.*

16. T. SUBNUDA Benth. in Hook., *Journ. of bot.*, II, 303.
17. T. CORONATA Benth., *l. c.*
18. T. TRUNCATA Benth., *l. c.*, 304.
19. T. BARBATA Benth., *l. c.* — Fortassis eadem species ac *T. guyanensis.*
20. T. ROREIMI Benth., *l. c.*
21. T. ACUMINATA Benth., *Bot. of Beech. Sulph.*, p. 94.
22. T. PLATYPHYLLA Benth., *Plant. Hartweg.*, p. 181.
23. T.? HETEROPHYLLA Don. — *Maieta heterophylla* DC. — *Melastoma heterophylla* Desr. in Lamk., *Dict.*, IV, 34. Species floribus ignotis, sed habitu Tococis quam Maietæ similior.

Species exclusæ :

T. macrosperma Mart., *l. c.*, tab. 279. — MYRMIDONE MACROSPERMA Mart., *l. c.* in nota.

T. vesiculosa DC., *l. c.*, 166. . . . . . .

T. sanguinea Don, *l. c.*, 305. . . . . . .

CVII. *MYRMIDONE.*

MYRMIDONE Mart., *Nov gen.*, III, 149, *in nota.* — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6233.

1. MYRMIDONE MACROSPERMA Mart., *l. c.* — *Tococa macrosperma* Mart., *Ibid.*, tab. 279.

CVIII. *MAIETA.*

MAIETA Aublet, *Guyane*, I, 443. — DC., *Prod.*, III, 166. — Mart., *Nov. gen.*, III, 150. — Endlicher, *Genera plant.*, n° 6234.

Flos 5-merus, involucello 4-6-phyllo calyculatus. Calycis oblongo-campanulati dentes externi triangulari-acuti aut subulati, interni obtusi breves cum basi priorum coaliti et parum conspicui. Petala obovata aut suborbicularia interdum retusa. Stamina 10 æqualia, antheris lineari-subulatis 1-porosis, loculis undulatis, basi antice porrectis et appendicem bifurcam ludentibus. Ovarium paulo ultra medium adhærens 5-loculare apice nonnihil umbilicatum. Stylus filiformis, stigmate subpeltato. Fructus subbaccatus calyce carnosulo vestitus. Semina pyramidato-angulata.

Suffrutex austro-americanus, ramosus hirtus submacrophyllus submicranthus; ramis junioribus compressis, adultis subteretibus; foliis breviter petiolatis in quovis jugo admodum disparibus; majoribus ovato-ellipticis acuminatis quintuplinerviis, basi angustata in vesicam oblongam bilobam inflatis; minoribus ovatis acuminatis tripli-quintuplinerviis vesica ut plurimum destitutis; omnibus sinuato-denticulatis ciliatis; floribus sessilibus axillaribus solitariis-ternis; calycibus muricato-hispidis purpureis; petalis albis aut roseis.

1. MAIETA GUYANENSIS Aubl., *l. c.*, tab. 176. — DC., *l. c.* — *M. hypophysca* Mart., *l. c.*, tab. 280. — *M. dispar* Miquel., *Lin.*, XVIII, 277.

Frutex metralis di-trichome ramosus, ramis floriferis pennam columbinam crassitudine circiter æquantibus, ad nodos potissimum complanatis et dilatatis. Folia hispidula; majora adjecto acumine sæpe sesquicentimetrum longa, 6 centim. et quod excedit lata, petiolo circiter semicentimetrali, vesica oblonga nervo medio longitudinaliter divisa et quasi duplici, supra valde prominente, subtus foraminibus duobus in angulis nervorum intermediorum aperta; minora 3-4 centim. longa, 2-3 lata. Flores in axillis foliorum minorum sæpius solitarii, in axillis majorum bini aut terni. Bracteolæ calycis basim involucrantes late ovatæ

carinatæ acutæ imbricatæ. Petala 7-8 millim. longa, obovata concava nonnihil retusa, marginibus sæpe inflexis. Antheræ falcatæ. Fructus bacca oblonga purpurascens edulis — In permultis locis Brasiliæ et Guyanæ; *Cayenne*, Le Prieur; *Mana*, Leschenault. Habemus etiam specimen brasiliense e musæo lusitanico communicatum.

Species ut videtur excludenda :

M. heterophylla DC. — Tococa? heterophylla.

CIX. *CALOPHYSA.*

Calophysa DC. *Prod.*, III, 166. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6235.

Flos 4-merus. Calycis tubus oblongus post anthesim basi ventricosus suburceolatus ; limbi dentes interni obtusissimi subnulli, externi subulati setoso-ciliati. Petala obovata, subacuta? Stamina 8 æqualia ; antheris lineari-subulatis 1-porosis antice undulatis, connectivo nec producto nec appendiculato. Ovarium maxima parte adhærens 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus (ex Candollæo) baccatus.

Frutex brasiliensis macrophyllus anisophyllus micranthus hispidulus ; ramis subgracilibus subteretibusque ; foliis petiolatis late ovatis acuminatis sæpissime basi cordatis aut omnino cordiformibus argute dentato-serratis setoso-ciliatis 5-7-*nerviis, ad ipsissimam basim petioli vesica pendula et quasi stipulari donatis ; cymis paniculiformibus brevibus paucifloris ; floribus breviter pedicellatis.*

1. Calophysa Tococoidea DC., *l. c.*

Rami supremi pennam corvinam crassitie æmulantes aut paulo superantes, pilis rufescentibus patulis hirsuti. Folia in eodem jugo ut plurimum inæqualia, uno alterum sexta aut etiam quinta longitudinis parte superante, pagina utraque sparsim pilosa, sesquicentimetrum circiter longa, petiolis hispidis 3-4-centimetralibus, vesicis testiculatis nucem avellanæ crassiorem volumine æquantibus hispidulis. Calyces fructiferi urceolati et quasi lagenarii, dentibus externis reflexis. Petala 4-5-mill. longa. — In locis umbrosis Brasiliæ, loco haud indicato. Specimina nostra ex herbario Bonplandiano.

CX. *MICROPHYSA*. Tab.

Flores 4-meri. Calycis limbus 4-lobus, tubus alis membranaceis brevibus lobo calycino cuivis respondentibus et apice denticulum externum formantibus instructus. Petala cuneata apice retusa. Stamina 8 æqualia; antheris crassis oblongo-ovoideis apice poro minuto apertis, connectivo postice non manifeste tuberculato. Ovarium maxima parte adhærens 4-loculare, apice tantum libero stellatim setoso. Fructus baccatus. Semina ovoideo-angulata, sæpe dimidiata.

Frutex austro-americanus submacrophyllus; ramis patentim hispidis; foliis in eodem jugo subæqualibus, interdum disparibus, mollibus petiolatis oblongo-ovatis acutis aut breviter acuminatis, tenuiter crenulatis denticulatisve, prætermisso nervulo utroque submarginali 3-nerviis, pilosis, basi in petiolum confluente in vesicam bilobam scrotiformem inflata; floribus in cymas paucifloras axillares et fortassis etiam terminales dispositis.

1. Microphysa quadrialata †.

Rami obscure compressi demum teretes hispidissimi. Folia nonnunquam in eodem jugo æqualia, sæpius disparia, omnia physophora; majora 12-15 centim. longa, 5-6 lata, quæ iis sunt opposita circiter triente minora. Vesicæ subglobosæ aut ovoideæ hispidulæ, pisum crassitudine ut plurimum superantes, in pagina folii superiore tumidæ, in inferiore foraminibus duobus ad angulos nervorum basi coalitorum apertæ, superius constrictæ ita ut e petiolo oriri videantur. Petioli infra vesicas circiter centimetrum longi, hispidi. Cymæ paucifloræ axillares. Calyx pilis nigrescentibus (in planta viva fortassis atropurpureis) hirtus; dentibus magnis ovatis; alis superne in denticulum membranaceum a lateribus compressum expansis et cum costis totidem interjectis alternantibus. Petala 12-13 millim. longa cuneata retusa. Ovarium fere omnino adhærens 4-loculare. Fructus submaturus crassitudine pisi. — In Peruvia prope civitatem *Cuzco*; Claude Gay.

CXI. *CHALYBEA*. Tab.

Flos 6-merus. Calycis turbinato-campanulati dentes breves obtusi carnosuli, denticulo externo tuberculiformi instructi. Petala obovato-oblonga, fere linearia, apice rotundata. Stamina 12,

æqualia; antheris brevibus ovoideis 1-porosis utroque latere compressis, etiam in flore aperto nonnihil inflexis, connectivo postice ad basim minute tuberculato. Ovarium tubo calycino carnoso adhærens, summo apice vix liberum, 4-loculare. Stylus filiformis crassiusculus, stigmate obtusissimo. Fructus, ut videtur, baccatus, carnosus. Semina pyramidato-clavata.

Frutex (fortassis arbuscula) novo-granatensis macrophyllus submacranthus (saltem pro tribu ad quam relatus est); ramis supremis foliis novellis et inflorescentia tomento rubiginoso detergibili obductis; foliis petiolatis latissime ovatis et fere orbicularibus, breviter apiculatis, basi rotundatis, sinuato-denticulatis, 5-7-*nerviis, pagina superiore mature glabrata, inferiore tomentum retinente; paniculis corymbiformibus longe pedunculatis subterminalibus; floribus albis.*

1. Chalybea corymbifera †.

Rami superiores crassi, compressi, a nodo ad nodum sulcati. Folia 1 ½ - 2 decim. longa (suprema tantum nobis suppetunt), 1 - 1 ½ lata, petiolis striatis, 4-5-centimetralibus. Inflorescentia valde conspicua, e paniculis corymbiformibus longissime pedunculatis constans. Pedunculi communes ex axillis foliorum superiorum orti, calamo scriptorio paulo graciliores, profunde quadrisulci, nisi sub trichotomia terminali omnino aphylli, 2 decim. et quod excedit longi, apice demum trichotomi et tunc foliolis seu potius bracteis duabus obovatis inferne acuminatis et in petiolum decurrentibus ornati. Panicula ipsa quasi triplex, pediculis secundariis (seu ramulis inflorescentiæ) iterum atque iterum trichotomis, ultimis 3-floris. Flores pedicello proprio ferme centimetrali donati; calycibus in pedicellum gradatim confluentibus, eique subæquilongis. Petala carnosula, 8-10 millim. longa, alba, Antheræ, propter filamentorum inflexionem, cernuæ. Fructus ignoti, sed absque dubio baccati et carnosi. — In montibus excelsis provinciæ Pamplonæ prope *La Baja*, ad altitudinem 3000 metrorum; Funck et Schlim. *Cat.* n° 1312.

CXII. *MYRIASPORA*. Tab.

Myriaspora DC., *Prod.*, III, 165. — Endlicher, *Gen. plant.*, n° 6231. — Melastomatis species, Mart. in *Herb.*

Flores 5-meri. Calycis limbus simplex, ante floris explicationem in dentes divisus aut in calyptram conflatus et tunc sub anthesi in

lobos magis minusve regulares divisus. Petala obovata aut obovato-oblonga, apiculata (siccine semper?). Stamina 10 æqualia, antheris erectis crassiusculis, utroque latere compressis, apice obtuso 1-porosis, basi exappendiculatis. Ovarium liberum aut partim adhærens, 8-10-loculare. Stylus crassus robustus vix exsertus, stigmate dilatato-capitato, in lobos magis minusve conspicuos diviso. Fructus baccatus.

Frutices (nonne potius arbusculæ?) in regione æquatoriali Americæ indigeni, macrophylli submacranthi hirsuti aut villosi; ramis teretibus; foliis petiolatis ovatis aut late lanceolatis denticulatis, adjecto nervo utroque submarginali quintuplinerviis; floribus in axillis foliorum solitariis-ternis pedicellatis, albis aut roseis.

Genus subartificiale et Belluciæ proximum.

1. Myriaspora egensis DC., *l. c.* — Ut videtur etiam *M. paulensis* ejusdem auctoris.

M. ramis supremis petiolis foliis novellis calycibusque rufo-villosis; foliis ovatis oblongove-ovatis acuminatis basi rotundatis margine denticulatis quintuplinerviis; floribus in axillis foliorum solitariis-ternis; calycibus calyptratis; ovario semi-adhærente, 8-loculari.

Folia adulta setulis in pagina superiore conspersa, in nervis densius villosa, sesqui-bidecimetralia, 6-8 centim. lata, petiolis circiter centimetralibus. Flores pedicellati, basi bracteolis suffulti, floribus Belluciarum paulo minores. Calyces hirsutissimi, ante explicationem ovoidei, limbo in calyptram conicam acutam conflato, demum in lobos intus extusque villosos irregulariter lacero. Petala nobis ignota. Ovarium maxima parte adhærens, apice libero villosum, 8-loculare. Stigma capitatum subquinquelobum. — In Brasilia; Bonpland.

2. Myriaspora decipiens †.

M. hirsutissima; foliis late lanceolatis interdumque ovato-oblongis acuminatis denticulatis quintuplinerviis villosis; floribus in axillis foliorum solitariis; calycibus 5-dentatis; ovario usque ad basim libero, 10-loculari.

Species primo intuitu præcedenti simillima, ab ea autem calyce et

ovario diversa. Rami teretes, villoso-hirsutissimi, rufi aut rufescentes. Folia in juventute potissimum villosa, adulta villis conspersa, basi magis quam in altera specie coarctata, unde fiunt fere lanceolata, sesquidecimetrum et quod excedit longa, 5-7 centim. lata; nervis in pagina superiore dense villosis; petiolis sesqui-bicentimetralibus. Calycis dentes producti obtusi, intus extusque villosi. Petala obovato-oblonga, apiculata, ciliato-setosa, dorso villosa, circiter centimetralia. Ovarium ovoideum, ab ipsa basi liberum, apice membrana dilatata ciliato-setosa styli basim circumvallante coronatum, 10-loculare. Stigma capitatum obscure 5-lobum. Hanc formam *Myriasporæ egensis* varietatem esse ægre crederemus, propter differentiam calycis et ovarii, sed id nequaquam impossibile esse fatemur. — Secus flumen Amazonum, prope *Ega;* Pœppig.

CXIII. *BELLUCIA.* Tab.

Bellucia, Necker, *Elem*, n° 833. — Apatitia, Desvaux in Hamilton, *Prod. plant. Ind. occ.* — Blakea, Aubl., *Guyane*, I, 525, tab. 210. — Blakeæ, spec. DC., *Prod.*, III, et Endlicher, *Gen. plant.*, n° 6261. — Ischyranthera, Steud., *Plant. Surinam.*

Flores 5-8-meri involucro destituti. Calycis limbus simplex in lobos regulares divisus aut calyptratus et demum irregulariter lacerus, tubus late campanulatus depressus. Petala obovata ovatave carnosula. Stamina 10-16 æqualia, antheris crassis brevibus lateraliter compressis apice obtuso angustissime biporosis, connectivo non producto nec appendiculato. Ovarium totum et toto ambitu adhærens depressum 8-12-15-loculare, loculis angustis, placentis lamellosis productis undique ovuligeris. Stylus robustus teres columniformis, stigmate crasso capitato integro aut costato. Fructus baccatus cum tubo calycino accreto et carnoso coalitus. Semina ignota.

Arbusculæ aut arbores mediocris altitudinis regionum calidiorum utriusque Americæ indigenæ, macrophyllæ macranthæ, glabræ; ramis subteretibus; foliis petiolatis ovatis acutis integerrimis (siccine semper?) *tripli-quintuplinerviis aut simpliciter 5-nerviis; floribus magnis axillaribus solitariis pedicellatis albis aut roseis; fructibus edulibus. Folia exsiccata nigrescunt.*

1. Bellucia Aubletii. — *Apatitia Blakeoides* Desv., *l. c.* —

Blakea quinquenervia Aubl., *l. c.*, tab. 210. — DC., *l. c.*, 195. — *Ischyranthera lævigata* Steud., *l. c.*

B. subarborea glaberrima; foliis elliptico-ovatis apiculatis basi nonnunquam acutiusculis tripli-quintuplinerviis, pagina superiore nitentibus (nonne in planta viva viscidulis?); floribus 7-8-meris; calycis limbo membranaceo in lobos irregulares lacero; stigmate capitato 14-15-costato.

Arbuscula 4-5-metralis, trunco crus humanum crassitudine æmulante, ramis paucis lentis in ramulos nodosos fistulososque divisis. Folia 1 ½ - 2 decim. longa, 8-12 centim. lata, petiolo 2-3-centimetrali, sed occurrunt interdum majora et minora. Florum pedicelli sesquicentimetrum et quod excedit longi, interdum in eadem axilla geminati. Limbi calycini membrana in lobos plures aut pauciores inæqualesque lacera, ab auctoribus quibusdam, imprimis autem Candollæo, pro involucro desumpta et descripta est. Petala carnosula, 2 centim. circiter longa, oblongo-obovata obtusa inæquilatera, latere uno fortassis appendiculata, hinc alba illinc rosea. Stamina 14-16, antheris complanatis anguste biporosis. Ovarium 14-15-loculare, stylo crasso exserto, stigmate 14-15-costato. Baccæ luteæ succulentæ fere pyriformes pomum *Sorbi domesticæ* crassitie subæquantes, seminibus minutis in pulpa nidulantibus refertæ, grate edules. — In Guyana gallica, Mélinon, Perrottet; batavica, Kappler, Hostmann; anglica, Bonpland. Species vulgatissima videtur.

2. Bellucia Hostmannii †.

B. glaberrima; ramis supremis subteretibus lævigatis; foliis elliptico-ovatis apiculatis, prætermisso utroque nervo submarginali, triplinerviis, pagina superiore nitentibus (fortasse in planta viva viscidulis?); floribus 7-meris (nonne etiam 6-8-meris?); calycis limbo regulariter in dentes diviso.

Arbuscula? Speciem Aubletianæ speciei simillimam huc tantum propter fabricam calycis in lobos regulares divisi in medium attulimus, an vero ab illa vere distincta sit, posteris solvendum linquimus. Quoad foliorum aspectum aut magnitudinem nullam quidem differentiam cum *B. Aubletii* deprehendere possumus, ita ut quod de illa dictum est de hac pariter dicatur. Calyx late campanulatus, dentibus obtusis tubo ipso paulo brevioribus, inter se æqualibus, simplicibus. Petala carnosula obovata obtusa sesquicentimetrum longa. Ovarium 14-15-loculare, stylo crasso robusto. Deficiebat stigma integrum, sed capitatum et costatum

fuisse ut in altera specie reliquiæ satis demonstrabant. — In Guyana batavica prope *Surinam;* Hostmann, *Cat.* nº 765.

3. Bellucia superba †.

B. arborea; foliis maximis ovatis 5-nerviis; floribus 8-meris albis; fructibus edulibus.

Frustulum hujus plantæ foliis duobus ornatum sed floribus completis fructibusque destitutum nobis tantum suppetebat, unde quæstionem solvere non licuit utrum cum *Bellucia Aubletii* sit coadunanda an potius pro specie propria habenda sit. Speciminis nostri folia foliis speciei supra memoratæ quoad formam coloremque simillima iis ferme duplo majora sunt, scilicet 2 ½ et fere 3 decim. longa, 1 ½ et quod excedit lata, petiolo robusto supra canaliculato circiter 3-centimetrali. Floris unius 8-meri reliquiæ analysi subjectæ limbum calycinum irregulariter lacerum, antheras a lateribus compressas etiam post anthesim inflexas necnon ovarium 13-loculare, ut in ipsa *B. Aubletii* ostenderunt. Stigma deficiebat, sed quin costatum fuerit ut in illa specie, non dubitamus. Fructus edules a Mexicanis *Manzanillos* nuncupati. — Prope urbiculam *Teapa* Reipublicæ mexicanæ, loco dicto *El Azufre*, aliisque locis; Linden.

4. Bellucia brasiliensis †.

B. arborea macrophylla; foliis in eodem jugo nonnunquam inæqualibus ovatis breviter et acute acuminatis integerrimis ut plurimum triplinerviis, in herbario nigerrimis.

Arboris hujus Brasilianæ specimina nostra flores nonnullos ab insectis erosos retinebant in quibus infauste petala genitaliaque desiderabantur, sed de discrimine cum *Bellucia Aubletii* minime dubitamus, quamvis utrique fere eadem sit facies. Tanta est enim ambarum specierum analogia in foliis, inflorescentia, flore et fortassis fructus fabrica, ut nullivis botanico herbarium nostrum legenti acciderit inter eas differentiam quamdam deprehendere. In hac quam in illa, folia acutiora sunt, nonnihil rigidiora et læviora, manifestius triplinervia, exsiccata quoque magis nigrescunt et pagina inferiore nescimus quid glauci nigrum colorem leniens ostendunt. Maxime variant magnitudine, occurrunt enim alia 3 decim, longa et 1 ½ lata, alia longitudine sesquidecimetralia aut breviora, latitudine 6-8-centimetralia, petiolis 2-5 centim. longis. Calycis limbus in juventute floris omnino clausus, membranaceus, demum irregulariter lacerus. Ovarium 15-loculare videtur. — In Brasilia locis haud indicatis. Specimina e Musæo Lusitanico missa fuerunt.

5. BELLUCIA PENTAMERA †.

B. arborea?; foliis elliptico-ovatis acuminato-acutis integerrimis tripli-quintuplinerviis; floribus 5-meris; calycino limbo in lobos 5 breves regularesque diviso.

Planta ut aliæ ejusdem generis arborea videtur. Folia quam in præcedentibus magis oblonga et subelliptica, aliquando tamen ovata, ut plurimum triplinervia neglectis nervis marginalibus, qui, quum robustiores fiunt, ut in nonnullis accidit, folia quintuplinervia efficiunt, 1 ½-2 decim. longa, 7-10 centim. lata, petiolo ferme 2-centimetrali. Flores axillares solitarii, pro genere breviter pedicellati. Calyx late campanulatus depressus, dentibus brevissimis subacutis basi inter se confluentibus (saltem in flore unico qui suppetebat); nequaquam tamen miraremur in hac specie, ut in *B. Aubletii*, limbum calycinum in primordio membranaceum calyptratumque fuisse moxque regulariter circumscissum et caducum vestigia dentes regulares ludentia reliquisse. Posteris quæstionem solvendam proponimus. Stamina 10, iis præcedentium facie similia. Stylus stigmaque nobis ignota. Ovarium depressum, 14-loculare. Exsiccata planta parum nigrescit.—In Peruvia prope civitatem *Cuzco*; Cl. Gay.

CXIV. *CONOSTEGIA*. Tab.

CONOSTEGIA Don, *Mem. Wern. soc.*, IV, 316. — CONOSTEGIÆ species, DC., *Prod.*, III, 173. — CALYCOTOMUS et BRUGUIERA Rich., *mss.* — MELASTOMATIS spec. auctorum. — CONOSTEGIA Benth., *Bot. of Beech. Voy. of the sulph.*, 96. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6248.

Flores 5-10-meri. Calycis limbus simplex clausus calyptriformis, in anthesi basi circumscissus, nunquam irregulariter lacerus; tubus campanulatus. Petala 5-10, late obovata apice emarginata, nonnunquam omnino cordiformia, magis minusve inæquilatera, rarius integra aut apiculata. Stamina 10-25 aut etiam numerosiora et quasi subindefinita, æqualia; antheris oblongis a latere compressis apice obtuso minute 1-porosis, connectivo infra loculos nunquam producto nec appendiculato. Ovarium tubo calycino toto ambitu adhærens, apice interdum libero sterili profunde umbilicatum, 5-15-loculare, placentis lamelliformibus undique ovuligeris. Stylus ut plurimum crassus brevis, umbilico ovarii basi vaginatus, stigmate peltato aut capitato; rarius elongatus subfiliformis, stigmate obtuso aut subca-

pitellato. Fructus ignotus, fortassis bacca sicca irregulariter ruptilis. Semina ovoideo-angulata aut pyramidata.

Frutices aut potius arbusculæ in utraque America necnon Antillis vigentes, sæpe monticolæ, submacrophyllæ micranthæ et submacranthæ; foliis petiolatis ovato-ellipticis acuminatis integerrimis vel denticulatis 3-5-nerviis aut tripli-quintuplinerviis; floribus paniculatis ut plurimum albis; paniculis thyrsoideis terminalibus.

Conostegiæ genus reformatum et e solis speciebus americanis constans, invito petalorum staminum et ovarii loculorum numero variabili, naturale est nec ulla ratione a tarachopœis Botanices in fragmenta disrumpendum. Characteribus enim primariis et apud Melastomaceas maximi momenti species heteromeræ inter se quadrant, nempe calycis petalorum et staminum structura, ovario adhærente, styli stigmatisque facie, quibus etiam accedit habitus similitudo. Inter Conostegiam et Belluciam haud obscura est affinitas.

1. Conostegia subhirsuta DC., *l. c.*, 174.

C. arborea macrophylla; ramis supremis pube furfuracea rufescente obductis mox glabratis; foliis ovato-ellipticis acuminatis remote denticulatis aut integerrimis glabratis, neglecto nervo utroque marginali triplinerviis; alabastris subglobosis apice obtuso aut breviter conico; floribus 8-10-meris, ovario 15-loculari.

Species inter omnes conspicua, monticola, per immensum Americæ centralis tractum diffusa, propter locorum diversitatem nonnullas varietates exhibet. Folia in eodem jugo nunc æqualia nunc manifeste disparia, nonnunquam integerrima, sæpius tamen tenuissime denticulata nec raro setis ciliata, 10-20 centim. longa, 5-10 lata, in quibusdam speciminibus minora, petiolo 1-4-centimetrali. Flores in ramis panicularum breviter pedicellati. Alabastra pisum crassitudine æmulantia aut superantia, nonnunquam fere omnino sphærica, sæpius obovoidea, apice breviter et obtuse conica, in anthesi regulariter circumscissa. Petala obovato-cordiformia, nonnihil inæquilatera, alba, ferme centimetrum longa et lata. Stamina numero subindefinita, in variis speciminibus 22-27 reperiuntur, antheris apice subbiporosis. Stylus crassus brevis, ovarii vertice

vaginatus; stigmate peltato, costis aliquando fere ut in *Bellucia Aubletii* sed minus manifestis notato. Ovarium sæpius 15-loculare. — In Republica novo-granatensi, Goudot; Republica mexicana, Linden, Ghiesbrecht, Galeotti; in Antillis, Anderson, ex auctoritate Bonplandii.

2. Conostegia Galeottii †.

C. arborea?; foliis oblongo-ovatis subellipticisque acuminatis obsolete sinuato-denticulatis subglabratis, prætermisso utroque nervulo submarginali fere triplinerviis; paniculis alaribus terminalibusve; alabastris ovoideis longe acuminatis; floribus 7-8-meris; ovario 12-loculari.

Ramuli juniores furfure cinereo vel rufescente obducti, vetustiores glabrati, foliis delapsis nodosi. Folia cujusvis jugi (saltem in specimine nostro oligophyllo) nonnihil disparia, 10-13 centim. longa, 4-6 lata, petiolo circiter 2-centimetrali. Flores longius graciliusque pedicellati quam in præcedente specie, pedicello ad medium bibracteolato et articulato, centimetrum et quod excedit longo. Alabastra iis *C. subhirsutæ* vix minora sed oblongiora, in acumen longum abeuntia, sub anthesi regulariter in medio circumscissa. Petala 7-8 obovata, apice acuta aut obtusa non autem emarginata, inæquilatera, 12-13 millim. circiter longa, alba. Stamina 25-26 et fortassis interdum numerosiora aut pauciora, filamentis subgracilibus. Ovarium (in flore analysi subjecto) 12-loculare, vertice umbilicato styli crassi brevis basim vaginante. Stigma nonnihil dilatatum obtusissimum non autem vere peltatum. — In Republica mexicana, locis editis nemorosisque prope *Vera-Cruz*; Galeotti, *Cat.* n° 2917.

3. Conostegia procera DC., *l. c.*, 174. — Don., *l. c.*, 316. — Bonpl., *Melast.*, tab. 51.

C. arborea? glaberrima aut mature glabrata; foliis elliptico-ovatis longiuscule acuminatis basi subacutis subintegerrimis trinerviis aut subtriplinerviis; alabastris ovoideis utrinque acutis apice acuminatis; floribus 6-meris; ovario 6-9-loculari.

Folia (saltem quæ habemus) circiter decimetrum longa, 4 centim. et quod excedit lata, fortassis et multo majora, petiolo sesqui-bicentimetrali. Paniculæ pauciflora terminales aphyllæ. Alabastra sub anthesi centimetrum aut sesquicentimetrum longa, ante explicationem in pedi-

cellum gradatim attenuata ideoque quasi fusiformia, in medio demum circumscissa. Petala ut plurimum 6, late obovato-cordiformia inæquilatera, centimetrum circiter longa et lata. Stamina 18-20, antheris a latere compressis uniporosis. Ovarium 6-9-loculare, apice libero profunde umbilicato styli basim vaginante. Stigma obtusum vix capitellatum videtur. Species hæc quibusdam notis accedit ad *C. Balbisianam*, saltem si descriptioni Candollæanæ fides est adhibenda. — In Antillis, loco haud designato; Lee. Planta ex herbario Bonplandiano ad parisiense transmissa. Hanc quoque habemus e Jamaica, a clar. Will. Hooker communicatam.

4. Conostegia rufescens †.

C. subarborea?; ramis supremis foliosis floriferisque obtuse 4-gonis quadrifariam sulcatis furfuraceis, vetustioribus denudatis glabratis teretibus; foliis elliptico-ovatis brevissime acuminatis basi subacutis obtusisve minute denticulatis triplinerviis; paniculis terminalibus furfuraceo-ferrugineis; alabastris ovoideis subobtusis; floribus 6-petalis (siccine semper?); ovario 7-8-loculari.

Folia 10-12 centim. longa, 4-6 lata, petiolo 2-4-centimetrali, in eodem jugo interdum inæqualia. Rami paniculæ apicibus 3-7 flori, floribus breviter pedicellatis. Alabastra ovoidea obtusa aut subacuta minime autem in acumen producta, tomento adpresso pulveraceo ferrugineo obducta, demum in medio circumscissa aut subirregulariter lacera. Petala inæquilatera trapezoideo-obovata, fortassis centimetrum longa et lata. Stamina 15-17. Stylus crassus brevis, apice ovarii vaginatus, stigmate subpeltato. — In insula Jamaica; specimen a clar. Will. Hooker communicatum est.

5. Conostegia superba. — *Melastoma superba* Bonpl., *Inéd.* — DC.. *l. c.*, ex auctoritate Donæi.

C. arborea? macrophylla micrantha subglabra; foliis ovatis breviter et obtuse acuminatis basi rotundatis, margine sed præsertim infra apicem obsolete dentato-sinuatis, 5-nerviis, nervulis transversis subtus prominentibus; paniculis thyrsoideis floribundis; alabastris brevibus ovoideis acutis; floribus 5-6-meris; ovario 5-loculari.

Utrum arbuscula sit hæcce decora species an frutex magnus haud

certum habemus. Folia cujusque jugi nonnihil disparia, majora 15 centim. et quod excedit longa, 8-10 lata, petiolo 3-centimetrali; quæ iis opposita sunt quarta imo interdum tertia parte minora, petiolo quoque breviore. Flores breviter pedicellati, ad summitates ramorum et ramulorum paniculæ approximati et quasi umbellulati. Alabastra semine cannabino (saltem in planta exsiccata) vix crassiora, apice acuta non autem acuminata, basi rotundata, in medio demum circumscissa. Petala 5 vel 6, triangulari-obovata retusa inæquilatera, 6 millim. circiter longa et lata. Stamina 15-16 et fortassis interdum numerosiora. Stigma subcapitellatum. — In Antillis? Ipsissimum Bonplandianum specimen habemus.

6. Conostegia speciosa †.

C. fruticosa submacrophylla; ramis supremis sulcatis dense rubiginoso-hirsutis; foliis ovatis breviuscule acuminatis basi rotundatis denticulatis quintupli-septuplinerviis, pagina superiore villosis rufescentibus, inferiore tomentoso-velutinis; alabastris ovoideis acutis dense hirsutis ut plurimum cæruleis; floribus sæpius 6-meris, ovario 6-loculari.

Frutex sesqui-bimetralis, hirsutie et alabastrorum colore insignis. Rami foliosi penna anserina sæpius graciliores, obscure tetrahedri et sulcati, ut petioli et paniculæ ipsæ dense hirsuti. Folia latiora aut oblongiora, ut plurimum tamen perfecte ovata, si adjiciantur nervi submarginales septuplinervia, 12-15 centim. longa, 6-8 lata, in eodem jugo haud raro disparia, petiolis 2-3-centimetralibus. Paniculæ terminales thyrsoideæ aphyllæ, floribus ad apices ramulorum trinis-septenis sessilibus. Alabastra semine *Tritici turgidi* paulo crassiora, dense hirsuta, cærulea aut cæruleo variegata, in medio demum circumscissa. Petala late obovata subretusa, 6-7 millim. longa, rosea aut alba. Ovarium ultra medium adhærens, 5-6-loculare. Stigma dilatatum, subpeltatum. Panicula fructifera quam florifera laxior; baccis (fortasse exsuccis) globosis hirsutis, circiter crassitudine pisi. — In nemoribus umbrosis montium Novo-Granatensium, Goudot; prope *Panama*, Duchassaing. Hanc habemus etiam ex herbario Bonplandiano.

7. Conostegia montana Don, *l. c.* — DC., *l. c.* — *Melastoma montana* Swartz, *Flor. Ind. occ.*, p. 766.

C. arborea? submicrantha; novellis ramisque paniculæ pube furfuracea mox caduca obductis; foliis ovatis aut ovato-ellipticis subintegerrimis acuminatis acutis, adjecto nervo

utroque submarginali quintuplinerviis; alabastris ovoideis acutis glabris; floribus 5-meris; ovario 5-loculari.

Folia 8-10 centim. longa, 5-6 lata, basi rotundata aut subacuta, in eodem jugo nonnihil disparia, nervis manifeste tripli-quintuplinerviis, petiolo 2-3-centimetrali. Paniculæ terminales mediocres subconfertæ, floribus ad apices ramulorum cymoso-approximatis, breviter pedicellatis, ut plurimum 5-meris, rarius 6-meris. Alabastra 5-6 millim. longa, apice conico acuta, basi hemisphærica, sub anthesi in medio circumscissa. Petala obovata retusa, 5-6 millim. longa. Stamina 14-15, antheris subulato-cultriformibus. Ovarium usque ad apicem adhærens, ut plurimum 5-loculare, stylo subgracili, stigmate capitellato. Valde accedit ad sequentem cujus tamen non videtur varietas. — In Antillis, loco haud indicato; Swartz. Habemus ex herbario Bonplandiano.

8. Conostegia calyptrata DC., *l. c.* — Don, *l. c.*, 316. — Bonpl., *l. c.*, tab. 46. — Desr. in Lamk., *Dict.*, IV. 51.

C. subarborea? macrophylla macrothyrsa glabra aut mature glabrata; foliis oblongis ovato-ellipticis longiuscule acuminatis integerrimis aut vix conspicue infra apicem sinuatis, adjecto nervo utroque submarginali quinque-quintuplinerviis; paniculis magnis floribundis sublaxis; alabastris glaberrimis ovoideis conico-acuminatis; floribus 5-meris, ovario 7-8-loculari.

Quantum e summitatibus ramorum floriferorum judicare licet, planta nostra arbuscula videtur. Folia 1½-2 decim. longa, 6-9 centim. lata, in eodem jugo sæpius inæqualia, nervis tribus intermediis basi nonnihil coalitis, petiolo 3-5-centimetrali. Paniculæ quam in *C. montana* majores laxioresque, floribus inæqualiter pedicellatis. Alabastra 6-8 millim. longa, apice conico breviter acuminata, basi globosa, in medio subconstricta demumque circumscissa. Petala obovata ovataque subacuta, ferme centimetralia. Stamina 15-17, antheris cultriformibus. Ovarium omnino adhærens, 7-8-loculare, stylo filiformi subgracili, stigmate capitellato. A *C. montana* cujus habitum refert, foliis paniculisque majoribus, alabastris acutioribus, petalis acutis nec retusis, necnon ovarii loculis numerosioribus facile distinguetur. — Ad ripas fluviorum insulæ Guadalupæ; Lherminier.

9. Conostegia pulverulenta †.

C. fruticosa? submacrophylla micrantha; ramulis foliis junio-

ribus paniculisque rufescenti-furfuraceis ; foliis lanceolato-ellipticis longe acuminatis basi subrotundatis obsolete sinuato-denticulatis, prætermisso utroque nervo submarginali tripli-nerviis, pagina superiore glabrata, inferiore tomentum præsertim in nervis primariis diutius retinente ; paniculis alaribus axillaribusque floribundis ; floribus 5-6-meris ; ovario 6-loculari.

Folia in eodem jugo magnitudine sæpissime disparia, sed sibi invicem conformia ; majora a sesquidecimetro ad 2 decimetra longitudinem variant, a 5 aut 7 centimetris autem quoad latitudinem vix discedunt, quæ iis sunt opposita quinta aut quarta parte breviora evadunt. Flores nunc brevissime pedicellati aut subsessiles, nunc pedicello 4-5-millimetrali suffulti. Alabastra furfure obducta, apice acuta et subacuminata, basi rotundata, in medio demum circumscissa. Petala sæpius 6, rarius 5, obovata inæquilatera apiculata nec retusa. Stamina 25 aut plura id est subindefinita. Ovarium usque ad apicem adhærens, 6-loculare. Fructus submaturus globosus crassitudine seminis *Lathyri odorati*. Semina ovoideo-pyramidata subincurva, raphe laterali hinc excurrente nigra lineata. — In America meridionali?; loco nec collectore cognitis.

10. Conostegia xalapensis Don, *l. c.* — DC., *l. c.*, 175. — *Melastoma xalapensis* Bonpl., *Melast.*, tab. 54.

C. fruticosa micrantha ; novellis paniculisque tomentoso-furfuraceis ; ramis vetustioribus glabratis ; foliis ovato oblongis acuminatis argute denticulatis 5-nerviis reticulatis, pagina superiore mature glabratis, inferiore tomentum retinente candicantibus ; paniculis confertifloris ; alabastris ovoideis subbrevibus subacutisque ; floribus 5-meris ; ovario 5-loculari.

Arbuscula aut potius frutex bimetralis a basi ramosus. Folia cujusvis jugi ut plurimum nonnihil inæqualia, 7-10 centim. longa, 2-3 et quod excedit lata, petiolo 1-2-centimetrali. Flores in ramulis paniculæ congesti subsessiles, tomento obducti. Alabastra brevia nec acuminata, in medio circumscissa. Petala late obovata retusa inæquilatera, 3 millim. circiter longa et lata. Stamina decem, antheris pro genere breviusculis. Ovarium omnino adhærens 5-loculare, stylo subgracili, stigmate claviformi obtuso nec vere capitellato. Fructus submaturus bacca sicca crassitudine circiter seminis *Lathyri odorati*. Semina ovoideo-pyramidata, raphe late-

rali nigra hinc lineata. — In variis locis montium mexicanorum ad altitudinem circiter 1,000—1,200 metrorum ; prope *Vera-Cruz*, Galeotti ; *Tampico* et *Real-del-Monte* Berlandier ; *Teapa*, Linden ; *Oaxaca*, Liebmann.

11. CONOSTEGIA MACROPHYLLA †.

C. fruticosa (an non potius arborea ?) macrophylla micrantha glaberrima 10-stemon ; foliis oblongo-ellipticis acuminatis sinuato-denticulatis, prætermisso nervo utroque submarginali 3-nerviis ; alabastris subglobosis acutiusculis ; floribus 5-meris, ovario 5-loculari.

Folia cujusvis jugi ut in genere consuetudo prævaluit manifeste inæqualia, pagina superiore nitidula, majora interdum 2 ½ et rarius fere 3 decim. longa, 8-12 centim. lata, petiolo 4-5-centimetrali, quæ iis sunt opposita quinta aut sexta parte minora, petiolo quoque breviore. Flores in ramulis paniculæ crassiuscule pedicellati. Alabastra 4 millim. circiter longa, semen cannabinum crassitudine vix superantia, in medio circumscissa. Petala obovata retusa, 5 millim. circiter longa, alba. Ovarium summo apice liberum et umbilicatum, stigmate capitellato. Species glabritie, foliorum magnitudine et florum parvitate semper facile dignoscenda. In montibus mexicanis prope *Oaxaca* et *Chinantla* ad altitudinem ferme 700 metrorum ; Galeotti. Habemus etiam ex herbario Bonplandiano, sed loco ignoto lectam.

Species addendæ, quædam vero incertæ et fortassis sub aliis nominibus descriptæ.

12. C. EXSTINCTORIA Don, *l. c.* — DC., *l. c.* — *Melastoma exstinctoria* Bonpl., *l. c.*, tab. 57.

13. C. DISCOLOR DC., *l. c.*

14. C. BALBISIANA DC., *l. c.*

15. C.? PARVIFOLIA DC., *l, c.*

16. C. LASIOPODA Benth. in *Bot. of Belch.*, 96. — Walp., *Repert. bot. syst.*, V, 715.

17. C. POLYANDRA Benth., *l. c.*

18. C.? ARBOREA. — *Melastoma arboreum* Schlechtdl., *Linnæa*, XIII, 424.

Species exclusæ :

C. Mutisii DC. — CALYPTRARIA MUTISII.

C. acuminata Steud., *Flora*, XXVII, 722. — MICONIA ACUMINATA.

C. cornifolia DC. — MICONIA CORNIFOLIA.

C. semicrenata DC. — MICONIA SEMICRENATA.

C. tunicata DC. — MICONIA TUNICATA.

C. mexicana DC. — MICONIA MEXICANA.

C. lutescens DC. — MICONIA CANDOLLÆANA.

C. glabra DC. — ASTRONIA FORSTERII.

CXV. *MICONIA*.

MICONIA DC., *Prod.*, III, 179. — CREMANIUM, DIPLOCHITA, CHÆNOPLEURA, æque ac CONOSTEGIÆ CLIDEMIÆ OSSÆÆ et OSBECKIÆ species ejusdem auctoris. — JUCUNDA, Cham., *Linnæa*, 456. — GRAFFENRIEDA, Mart., *Nov. gen. et spec.*, III, 144. — Non DC. — DECARAPHE, Steud., *Flora*, XXVII, 722. — AUGUSTINEA, A. Saint-Hil. et Naud., *Ann. des sc. nat.*, 3e *série*, II, 145. — FOTHERGILLA, Aublet, *Guyane*, I, 441, non Linn. — HARTIGIA Miquel, *Linnæa*, XVIII, 284. — GLOSSOCENTRUM, Crüger, *Linnæa*, XX, 111. — Endlicher, *Gen. plant.*, n° 6258.

Flores sæpissime 5-meri, raro 4-6-8-meri, amblypetali. Calyces longius breviusve campanulati, interdum subhemisphærici, limbo ut plurimum brevi, nonnunquam dilatato, dentibus nunc obsoletis nunc productis rarissime acutis; denticulis externis sæpius nullis aut punctiformibus, in parvo specierum numero manifestis et acutis. Petala obovata, apice obtuso integra aut retusa, sæpe inæquilatera, interdum suborbicularia, in floribus explicatis sæpissime reflexa. Stamina petalorum numero dupla (in paucissimis speciebus numerosiora, in unica, scilicet *M. tetrandra*, ad quatuor reducta), æqualia aut subæqualia ; antheris diversiformibus, apice 1-2-4-porosis, rarius longitudinaliter 1-2-rimosis, connectivo sub loculis nullo aut breviter producto et varie appendiculato, interdum et adenophoro. Ovarium sæpissime partim adhærens, raro omnino liberum aut usque ad apicem cum calyce adnatum, ovoideum aut globosum, 2-3-4-5-loculare.

Stylus modo gracilis exsertus, modo crassus et subinclusus, rarissime nullus aut subnullus; stigmate punctiformi, capitellato aut etiam peltato. Fructus globosus baccatus (fortassis et siccus subcapsularis). Semina pyramidata aut irregulariter polyhedra.

Frutices haud raro arborei, in utraque America inter tropicos copiosissime crescentes, micranthi aut submicranthi; foliis multiformibus, magnitudine diversissimis, oppositis aut rarius verticillatis, in eodem jugo nonnunquam subdisparibus, glabris villosis aut tomentosis; inflorescentia terminali, sæpius paniculata, interdum spiciformi; floribus sessilibus aut breviter pedicellatis; petalis albis, rarius roseis rubris aut luteolis.

Perarduum genus Miconiæ ab auctoribus mala suadente consuetudine in plurima genera divisum hic in unum corpus restauravimus, rati species etsi in uno genere naturali scateant, multo facilius agnitum iri quam si sub numerosis generibus incertæ diagnosis lateant. Rejectis igitur *Diplochita*, *Chænopleura*, *Jucunda*, *Graffenrieda*, *Decaraphe*, *Augustinea*, *Hartigia*, *Cremanio* et *Glossocentro* quibus nullus certus character adscribebatur, totam molem specierum in subgenera magis naturalia et suo nomine quæque distincta distribuimus. Species in aliis generibus erraticas Miconiæ restituimus, alias quoque a melastomatographis pluries pluribusque nominibus descriptas multo labore expurgavimus; plurimæ adhuc expurgandæ remanent.

Miconia genus est naturale sed polymorphum, Svitramiæ, Staphidio, Ossææ, paucisque aliis proximum, a generibus oxypetalis distinctissimum. Hæc sunt ejus subgenera,

Adenodesma.
Diplochita.
Jucunda.
Laceraria.
Eumiconia.
Amblyarrhena.
Arrhenotoma.
Cremanium.
Hartigia.
Chænanthera.

I. ADENODESMA.

Flores pro genere majusculi, 5-meri. Calyces subcylindracei, limbo brevissimo aut subnullo. Antheræ lineares aut lineari-subulatæ elongatæ 1-porosæ, connectivo sub loculis nonnihil producto et antice glandulis pedicellatis ornato, ovarium semi-adhærens aut subliberum. Folia magna sessilia. Subgenus maxime naturale.

1. Miconia tomentosa DC., *l. c.*, 183. — *Jucunda tomentosa* Benth. in Hook., *Journ. of bot.*, II, 302. — *Melastoma tomentosa* Bonpl. *Melast.*, tab. 16. — *Decaraphe triplinervia* Steud., *Herb.*

M. fruticosa elata subarborescens macrophylla pro genere macrantha; ramis supremis obtuse tetrahedris et quadrisulcis paniculis nervisque foliorum subtus tomento rubiginoso denso obductis; foliis brevissime petiolatis subsessilibusque latissime lanceolatis utrinque acuminatis basi in petiolum decurrentibus integerrimis insigniter triplinerviis pagina superiore glabratis; paniculis terminalibus magnis elongatis pyramidatisve, ramis irregulariter floriferis; floribus subsessilibus 5-meris.

Species egregia, foliorum amplitudine et forma æque ac majestate florum ab aliis facile dignoscenda. Rami juniores tetrahedri aut compressi, tomento denso ferruginei, vetustiores magis ac magis teretes et glabrati. Folia 2-3 decim. longa, 1-1 ½ lata, pagina superiore glabrata et in herbario nigerrima, inferiore pubem stellatam adpressam retinente, nervis lateralibus e medio 3-10 centimetra supra limbi basim cuneatam ortis. Paniculæ circiter foliorum longitudine, ramis trichotomis, ramulis sæpe trifloris. Calyces campanulati tomentosi, limbo breviter 5-dentato, dentibus obtusis extus tuberculum minutum gerentibus. Petala obovato-cuneata apice retusa, 8 millim. circiter longa, in flore explicato patula aut etiam reflexa. Stamina 10 subæqualia, Lasiandrarum plurimarum stamina fabrica referentia; antheris lineari-subulatis 1-porosis, connectivo infra loculos modice producto arcuato et in insertione filamenti pube glandulifera ornato. Ovarium supra medium adhærens 3-loculare, fortassis et 4-5-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Bacca globosa, circiter crassitudine pisi. Semina irregulariter angulata. — In variis locis Brasiliæ septentrionalis; Lalande, Pœppig; Guyanæ gallicæ; Perrottet, Leprieur.

2. Miconia Plukenetii. — *Melastoma sessilifolium* Linn. *Spec.*, 558. — DC. *Prod.*, III, 200. — Pluken. *Phyt.*, tab. 246, fig. 2.

M. arborescens? macrophylla pro genere macrantha; ramis supremis compressis sulcatis aut multiangulis, paniculis foliorumque pagina inferiore tomento adpresso inconspicuo rufescentibus; foliis maximis sessilibus aut subsessilibus obovatis subspathulatisque breviter acuminatis integerrimis aut repandulis insigniter triplinervibus; paniculis terminalibus pyramidatis aut thyrsoideis; floribus ad apices ramulorum sæpius ternis aut pluribus sessilibus 5-meris.

Species habitu fortassis arboreo foliisque maximis superbiens. Rami supremi (qui nobis soli suppetunt) 3-4-sulcati, interdum compressi, demum teretes. Folia 2-4 decim. longa, 10-18 centim. lata, inferne gradatim attenuata, ima basi nunc acuta, nunc obtusa et crispula, in prima ætate pube minuta sublepidota supra conspersa, demum glabrata, subtus helvola aut rufescentia, præter nervulos marginibus proximos triplinervia; nervis duobus lateralibus non semper oppositis, 5-12 centimetra supra basim limbi a medio secedentibus; petiolis brevissimis crassis triquetris. Paniculæ elongatæ, folia ultimi jugi longitudine subæquantes. Calyces campanulato-oblongi breviter et obtuse 5-dentati, denticulis punctiformibus inconspicuis dentium dorso insidentibus. Petala oblongo-obovata apice retusa inæquilatera, 6-8 millim. longa, in flore explicato reflexa. Stamina 10 subæqualia; antheris lineari subulatis 1-porosis subfalcatis, connectivo sub loculis breviter producto crasso et pube glandulifera antice ornato. Ovarium semi-adhærens, apice libero angustatum, 3-loculare. Stylus filiformis exsertus, stigmate punctiformi. Fructus ignotus. — In Antillis, ex herbario Banksiano; Guyana anglica, Schomburgk.

3. Miconia umbrifera †.

M. fruticosa? magnifolia pro genere macrantha; ramis supremis subteretibus crassis tomento furfuraceo rufescente obductis; foliis sessilibus obovatis abrupte acuminatis subobtusisve margine sinuato-dentatis, basi auriculata crispata pendula semi-amplexicaulibus, prætermisso utroque nervulo submarginali triplinerviis, pagina superiore glabratis, inferiore pube stellata

tomentellis; paniculis terminalibus racemiformibus; floribus sessilibus, 5-meris.

Utrum frutex an arbuscula sit nescimus, sed species maxime conspicua est foliorum magnitudine et indole. Rami supremi crassitudinem digiti auricularis fere æmulantes, teretes, tomento adpresso aut pulverulento rufescentes, internodiis sæpe abbreviatis. Folia 3-4 decim. longa, 2—2 $\frac{1}{2}$ lata, in prima juventute tomento stellato utrinque conspersa, adulta in pagina superiore magis ac magis glabrata, in herbario nigricantia, inferiore tomentum retinentia, basi nonnihil attenuata (ideoque obovata fiunt); limbo ultra insertionem dextra lævaque in lobum producto ibique rugoso; nervis lateralibus 4—12 centim. supra basim limbi e medio orientibus. Panicularum rachis crassa sulcata, rami brevissimi, dichotomi aut simplices, nonnunquam quasi abortientes, unde panicula racemum aut spicam mentitur. Flores approximati aut glomerati, in prima ætate bracteolis cylindricis mox caducis intermixti. Calyces oblongi subcylindracei, limbo integro denticulis 5 minutis ornato. Petala fere 1 centim. longa, obovata retusa inæquilatera. Stamina 10 subæqualia, antheris elongatis lineari-subulatis 1-porosis, magis minusve arcuatis aut subrectis; connectivo postica basi incrassato et tuberculato, antica sub loculis pilis glanduliferis brevibus ornato. Ovarium fere omnino liberum oblongum 3-loculare. Stigma obtusum. — In Peruvia, loco nobis ignoto; Claude Gay.

II. DIPLOCHITA.

Flores pro genere majusculi, 5-6-meri, fortassis et rarius 7-meri. Calyces oblongo campanulati, sub limbo brevissimo nonnunquam constricti. Petala obovato-oblonga apice rotundata aut vix retusa. Antheræ lineares elongatæ 1-porosæ, antica basi nonnunquam subbilobæ aut adenophoræ. Ovarium magis minusve adhærens aut subliberum. Folia majuscula aut magna, petiolata. Subgenus artificiale est.

4. Miconia strangulata †.

M. fruticosa macrophylla pro genere submacrantha; foliis petiolatis oblongo-obovatis breviter acuminatis basi subacutis integerrimis, prætermisso utroque nervo submarginali triplinerviis, glabris aut glabratis; paniculis magnis terminalibus; floribus pedicellatis et sessilibus 5-meris.

Frutex fere glaberrimus aut in ultimis ramis foliisque novellis pube parca pulverulenta conspersus, mox glabratus. Folia 2 decim. et quod

excedit longa, 1 et amplius lata, nervis duobus lateralibus pauca centimetra supra basim limbi cum medio coalitis, nervulis duobus tenuibus secus margines excurrentibus ab ipsa basi ortis, petiolis circiter 3-centimetralibus. Paniculæ rachis crassa obtuse tetrahedra, ramis in ramulos iterum atque iterum divisis. Calyces oblongo-campanulati, sub limbo brevissime et obtusissime 5-lobo tuberculisque totidem externis vix conspicuis ornato in tempore antheseos nonnihil coarctati, post anthesim magis ac magis constricti et inferne ventricosi. Petala cuneato-linearia apice rotundata aut obtusissima, 6-7 millim. longa, alba. Stamina 10 æqualia; antheris linearibus linearive-subulatis 1-porosis subfalcatis, antica basi pubem paucissimam glanduliferam vix perspicuam sæpius gerentibus, connectivo exappendiculato. Ovarium globosum adhærens, apice umbilicatum seu membrana styli basim circumdante coronatum, 5-loculare. Stylus crassiusculus exsertus hirtellus, stigmate peltato-capitellato. Fructus maturi calycis limbo coronati, circiter crassitudine pisi minoris. — In sylvis tractûs dicti *Fusagasuga*, provinciæ *Bogota* Novæ Granatæ, ad altitudinem 2,000 metrorum; Linden, *Cat.*, n° 817.

5. MICONIA SERRULATA.—*Diplochita serrulata* DC., *l. c.*, 177. — Ut videtur etiam *D. leucocephala* ejusdem auctoris.—*Miconia elata* DC., *l. c.*, 182. — *Melastoma elata* Swartz, *Flor. Ind. occ.*, II, 781. — *M. Lasiopetalum* Mart., *Herb.* — *Decaraphe Hostmanni* Steudel, *Flora*, XXVII, 722. — *Tamonea lasiopetala* DC., in *Herb. Par.*

M. arborea macrophylla pro genere macrantha macrostachya; ramis supremis hinc inde compressis petiolisque ferrugineo-tomentosis; foliis ovatis oblongo-ovatis interdumque subellipticis acuminatis basi rotundata cordatis margine crenato-serrulatis 5-7-nerviis, pagina superiore mature glabrata, inferiore tomentum rufescens retinente; paniculis terminalibus pyramidatis; floribus sessilibus, ut plurimum 6-meris.

Arbor pulcherrima, 6-12-metralis, habitu, foliorum magnitudine æque ac abundantia florum oculos alliciens, prima fronte ab omnibus ejusdem sectionis discernenda. Rami supremi crassiores et debiliores, compressi, tomento rufo aut ferrugineo obducti. Folia nunc ovatiora et latiora, nunc productiora et magis ellipsoidea, brevius longiusve petiolata, marginibus creberrime crenato-serrulata et haud raro purpureo lineata, pagina superiore mature glabrata et in herbario quasi glauca, 2-3 decim. longa, 1 ½ lata, petiolis longitudine variabilibus, 2-8-centimetralibus. Pani-

culæ folia longitudine æquantes aut superantes, illis interdum et breviores, ramis ut plurimum trichotomis, floribus vix non sessilibus; bracteis obovatis mature caducis. Calyces tomentosi candicantes, in tempore antheseos oblongi, limbo parum dilatato, obsolete 5-6-lobo, post anthesim magis ac magis urceolati, tubo tunc ventricoso. Petala obovato-inæquilatera, apice retusa, extus sæpe villosula, 6-8 millim. longa, alba. Stamina 10-12 subæqualia, antheris linearibus apice subulatis 1-porosis basi exappendiculatis aut antice non raro biauriculatis, loculis undulatis. Ovarium nunc omnino liberum, nunc usque ad medium adhærens, 4-5-loculare. Baccæ nondum adultæ in speciminibus nostris, jam crassitudine pisi, globosæ, limbo subdilatato coronatæ. — Species in novo orbe late diffusa. Hanc habemus e Guyana batavica, Hostmann; Brasilia, Martius; insulis Antillanis, *Saint-Domingue*, *Saint-Thomas*, *Porto-Rico*, Poiteau, Martin; imperio Mexicano prope *Chinantla*, provinciæ Oaxacensis, Galeotti.

6. Miconia Fothergilla. — *Diplochita Fothergilla* et *D. Swartziana* DC., *l. c.*, 176. — *Melastoma Fothergilla* et *M. Swartziana* Bonpl. *Melast.*, tab, 32 et 33. — *M. compressa* Vahl. *Eclog.*, III, 23. — *Fothergilla mirabilis* Aubl, *Guyane*, I, 441, tab. 175.—*Melastoma dodecandra* Desr. in Lamk. *Dict.*, IV, 46.

M. arborea submacrophylla ut plurimum isophylla; ramis supremis petiolis nervisque foliorum tomento adpresso ferrugineis aut testaceis; foliis elliptico-ovatis acuminatis integerrimis basi sæpissime rotundatis 5-nerviis supra mature glabratis subtus tomentoso-rufescentibus; paniculis terminalibus thyrsoideis; floribus ad apices ramulorum ternis pedicellatis 5-6-meris, bracteis obovatis extus cano-tomentosis,

Arbor decora, mediocris staturæ, scilicet 5-8-metralis, trunco crus humanum crassitudine æmulans aut paulo superans, secundum loca variabilis et idcirco apud auctores polyonyma. Folia sesquidecimetrum circiter longa, breviora aut longiora, 6-8 centim lata, integerrima aut sub apice inconspicue repandula, pagina superiore (saltem quum adoleverunt) glaberrima, inferiore tomentum stellatum rufidulum aut albicans retinentia, adjectis nervis duobus margini proximis, ab ipsa basi 5-nervia, petiolis 2-4-centimetralibus. Paniculæ foliis paulo breviores, thyrsoideæ, nonnihil confertifloræ, ramis ramulisve trichotomis. Flores in apicibus ramulorum ternati, pedicello proprio 2-7-millimetrali omnes donati, nunquam ut in *M. mucronata* sessiles, bracteis geminis obovatis obtusissimis sessilibus in tempore antheseos caducis involucrati. Calyces

ad apices pedicellorum articulati nec cum iis continui, oblongo campanulati, glabri aut tomentosi, limbo in dentes 5-6 breves obtusos denticulis externis destitutos sæpius diviso, rarius in lobos irregulares lacero. Petala oblongo-obovata, apice obtuso integra aut retusa, 7-8 millim. longa, alba interdumque basi roseo tincta aut pallide lutea. Stamina 10-12 subæqualia, antheris subulato-linearibus falcatis 1-porosis, connectivo postice supra basim sæpe gibboso et calloso, antice sub loculis bilobulato. Ovarium maxima parte liberum, 3-4-5-loculare. Stylus exsertus, stigmate nonnihil dilatato. Baccæ maturæ globosæ, crassitudine pisi. — In Guyana, America æquatoriali, et Brasilia vulgatissima, Bonpland, Claussen, Vauthier, Martin, Leprieur, Schomburgk, etc.; in Antillis, Lee; in Peruvia subandina, Pœppig.

Var. β *gracilipes*, præcedenti simillima, sed petiolis longioribus et gracilioribus; floribus paulo minoribus 5-meris roseis.

Certe eadem species est ac *M. Fothergilla* vix enim differt petiolis 2-6 centimetralibus, panicula paulo quam in illa laxiore, florum pedicellis 6-8 millim. longis, petalis roseis, ovarioque 3-loculari. — In montibus mexicanis ad altitudinem circiter 1,000 metrorum; Galeotti, Liebmann.

7. Miconia mucronata. — *Diplochita mucronata* DC., *l. c.*, 177. — *Melastoma mucronata* Desr, in Lamk. *Dict.*, IV, 47. — Bonpl., *Melast.*, tab. 18. — Non differe videtur a *Diplochita bracteata* DC., *l. c.* — Mart., *Nov. gen.*, III, tab. 274.

M. fruticosa elata subarborescens macrophylla pro genere macrantha; ramis subteretibus; foliis petiolatis late elliptico-ovatis apice breviter acuminatis basi subacutis subobtusisque margine integerrimis aut subintegerrimis, adjecto nervo utroque margini proximo quinque-quintuplinerviis, pagina superiore glabratis, inferiore adpresse tomentoso-rufescentibus; paniculis terminalibus breviusculis confertifloris tomentosis, floribus sessilibus, ut plurimum 6-meris,

Frutex decorus, statura variabilis, ut videtur 3-4-metralis. Rami supremi calamum scriptorium crassitudine æquantes, magis minusve compressi, tomento lævissimo obducti, demum teretes et glabrati. Folia 1-2 decim. et quod excedit longa, 6-12 centim. lata, sub apice nonnunquam obscure repando-crenulata; nervis lateralibus intermediis nunc ex ipsa basi limbi orientibus, nunc centimetrum supra basim cum medio coalitis; petiolis

1-2-centimetralibus. Paniculæ terminales, paniculis parvis ex axilla foliorum penultimi jugi et antepenultimi ortis sæpe comitatæ, foliis multo breviores, ramis compressis erectis, ramulis ultimis tri-plurifloris. Bracteæ florales late ovatæ aut subrotundæ, concavæ, in tempore anthe-seos caducæ. Flores sæpius 6-meri quam 5-meri. Calyces oblongo-campanulati, dentibus subacutis in anthesi reflexis simplicibus, tubo oblongo non sulcato. Petala 7-8 millim. longa, oblongo-obovata aut potius irregularia, valde inæquilatera et subretusa, reflexa, alba. Stamina 12 subæqualia, antheris linearibus apice subulatis falcatis 1-porosis antica basi subbilobis, postica haud raro gibboso-incrassatis aut tuberculatis. Ovarium fere liberum aut ima basi adhærens, ovoideum, ut plurimum 4-loculare. Stylus gracilis exsertus basi pilosulus, stigmate obtusissimo punctiformi. Baccæ globosæ, fere crassitudine pisi. — In Guyana gallica, Martin, Poiteau, Leprieur, Melinon, etc.; anglica, Schomburgk; Brasilia septentrionali, Martius, Blanchet, etc.

8. Miconia Sancti Philippi †.

M. fruticosa; ramis paniculis petiolisque tomento furfuraceo leprosis demum subdetersis; foliis in eodem jugo æqualibus aut disparibus petiolatis obovatis ovatisve acuminatis basi subrotundatis sinuato-repandulis subintegerrimisque 3-nerviis glabris aut glabratis; paniculis terminalibus racemiformibus; floribus subsessilibus 5-meris.

Rami supremi subtetragoni, mox teretes; vetustiores excoriati. Folia nunc subæqualia in eodem jugo, nunc disparia, uno alterum subduplo superante, majora 10-15 centim. longa, 5-6 lata, nervis lateralibus paulo supra basim e medio ortis, petiolis 1-3-centimetralibus. Paniculæ decimetrum sesquidecimetrumve longæ, pedunculatæ, ramis inferioribus brevibus 5-7-floris, superioribus 3-floris, extremis 1-floris et in pedicellos quasi mutatis. Calyces oblongo-turbinati, tubo 10-striato, limbo subintegerrimo aut obtusissime 5-lobo, tuberculis 5 externis vix conspicuis. Petala oblongo-obovata retusa, in flore explicato reflexa, 6 millim. longa, rosea. Stamina 10, subæqualia, antheris linearibus falcatis apice subulato 1-porosis basi exappendiculatis. Ovarium supra medium adhærens, apice angustatum, 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. — In provincia *Barquisimeta* Venezuelæ, prope pagum dictum *San-Felipe*, Funck et Schlim, *Cat.* n° 680.

III. JUCUNDA.

Flores 5-6-meri. Calyces campanulati, limbo nonnihil dilatato, lobis internis obtusis brevibus aut subnullis, denticulis externis nunc punctiformibus inconspicuis nunc manifeste productis subulatis. Petala oblongo-obovata aut cuneata, apice integra aut subretusa. Antheræ lineares falcatæ 1-porosæ, loculis antice luteolis, connectivo fusco basi postica in cornu seu calcar breve obtusum aut calcaneum incrassato, rarius sub loculis mediocriter producto. Ovarium liberum aut basi adhærens. Folia majuscula, mediocria aut etiam pro genere parva. Subgenus artificiale nec semper facile distinguendum.

a. *Species inter* Diplochitam *et* Jucundam *fere media.*

9. Miconia verticilliflora Steud., *Herb.* — *Diplochita parviflora* Benth. in Hook., *Journ. of bot.*, II, 302.

M. fruticosa macrophylla nonnihil anisophylla; ramis supremis tomento pulverulento adpresso rufescentibus, vetustioribus glabratis teretibus; foliis petiolatis ovatis obovatisve acuminatis basi rotundatis margine sinuato-denticulatis et sæpe subintegerrimis, prætermisso nervo utroque marginali 3-nerviis, pagina superiore glaberrima aut saltem mature glabrata lucida, inferiore tomento adpresso inconspicuo rubiginosa; paniculis terminalibus thyrsoideis ramosissimis multifloris; floribus ad apices ramulorum congestis, brevissime pedicellatis subsessilibusque, 5-meris.

Rami annotini calamum scriptorium crassitudine æquantes, glabrati, nodosi. Folia mollia, longitudine et latitudine variabilia, in eodem jugo sæpe disparia, 1-2 decim. longa, 6-12 centim. lata, pagina superiore quasi vernicosa (et fortassis vere viscidula in planta viva), petiolis crassiusculis sulcatis sesqui-tricentimetralibus. Paniculæ ad apices ramorum solitariæ aut plures; ramis primariis 6-8 ex eodem nodo orientibus, non ideo vere verticillatis sed superposite fasciculato-oppositis. Rami secundarii sæpe etiam fasciculato-oppositi verticillos mentientes, apice dichotomi et tunc multiflori. Calyces campanulati, tomento cinereo obducti; limbo dilatato obtuse 5-lobo, lobis denticulos externos punctiformes et vix perspicuos dorso gerentibus. Petala oblongo-obovata, apice retusa et inæquilatera, 4-5 millim. longa. Stamina nonnihil inæqualia; antheris lineari-subulatis 1-porosis falcatis; connectivo basi pos-

tica in calcaneum seu cornu obtusum incrassato, antica sub loculis pube pauca glandulifera ornato. Ovarium semiadhærens, 3-loculare. Stigma punctiforme. — In Guyana gallica prope *Cayenne*, Martin; batavica prope *Surinam*, Hostmann, Kappler; anglica, Schomburgk.

b. *Jucundæ genuinæ.*

10. Miconia staminea DC., *l. c.*, 187. — *Jucunda Lhotzkyana* Cham., *Linnæa*, IX, 457. — *Melastoma staminea* Desr. in Lamk., *Dict.*, p. 54. — Ut videtur eadem ac *Graffenrieda jucunda* Mart., *Nov. gen.*, III, tab. 270; et *Osbeckia jucunda* DC., *l. c.*, 139.

M. macrophylla; foliis petiolatis ovatis aut late ellipticis breviter et acute acuminatis basi rotundatis aut rarius subacutis subintegerrimis aut obsolete repando-undulatis 5-nerviis mature glabratis; paniculis terminalibus thyrsoideis densifloris pube alphitoidea cinerescentibus; floribus subsessilibus 5-meris; antheris conspicue et pulchre luteis.

Fructex bimetralis et elatior, foliorum et florum abundantia decorus, paniculis ramisque novellis exceptis pube alphitoidea obductis, glaberrimus. Folia nonnunquam viscidula, magnitudine variabilia, 10-18 centim. longa, 6-8 lata, petiolo 1-2-centimetrali, nervis tribus intermediis paulo supra basim inter se coalitis. Flores in extremis ramulis paniculæ congesti, subsessiles, in panicula novella bracteolati mox spoliati. Calyces campanulati, dentibus membranaceis obtusis, denticulis externis obsoletis aut sub pube evanescentibus. Petala alba, oblongo-obovata, apice rotundata interdumque fortassis retusa. Stamina exserta subæqualia; antheris lineari-subulatis 1-porosis nonnihil falcatis, loculis luteis; connectivo basi postica in calcaneum obtusum incrassato. Ovarium semiadhærens, stylo filiformi, stigmate punctiformi. Fructus globosus, submaturus fere crassitudine pisi minoris. Species ut videtur non-differt a *Jucunda Martiana* Cham. seu *Osbeckia jucunda* DC. quæ ad Miconiam reducenda est, sed Martium erravisse credimus quum hujus petala subacuta delineanda curavit. — In Brasilia frequens circa *Rio de Janeiro*, Gaudichaud, Guillemin. Hanc etiam a celeberrimis Bonplandio et Martio recepimus.

11. Miconia Olfersiana. — *Jucunda Olfersiana* Cham., *l. c.*, 437.

M. foliis petiolatis lanceolato-ellipticis acuminatis basi subacutis

aut rotundatis obsolete repando-denticulatis subintegerrimisque glabratis, præter nervos marginales triplinerviis; paniculis terminalibus densifloris; antheris pulchre luteis.

Frutex habitu *M. stamineæ* simillimus, diversus autem foliis multo minoribus et angustioribus. Folia scilicet 8-10 centim. longa sunt, 3 lata, petiolis ut plurimum centimetralibus. Paniculæ tomento alphitoideo conspersæ, floribus sessilibus. Calyx campanulatus, breviter et quasi obsolete 5-lobus, lobis inter se confluentibus, dorso denticulum inconspicuum gerentibus. Petala circiter centimetralia oblongo-obovata apice rotundata (fortassis etiam apiculo brevissimo terminata). Antherarum connectivum postice in calcaneum subacutum productum. Ovarium semiliberum 3-loculare.— In Brasilia meridionali, provinciis Sancti Pauli et *Rio de Janeiro ;* Guillemin, Sellow.

12. Miconia heteromera †.

M. fruticosa oligantha ; ramis supremis obscure tetrahedris hirsutis ; foliis pro genere subparvis petiolatis ovatis obovatisque longiuscule acuminatis basi obtusis integerrimis aut subrepandulis 3-nerviis pagina utraque setulosis ; floribus ad apices ramulorum in cymas seu paniculas paucifloras dispositis breviter pedicellatis sæpius 6-meris.

Rami ramulique supremi divaricati subgraciles, hornotini patentim hirtelli, penna passerina vix crassiores, annotini pennam columbinam crassitudine æmulantes. Folia nunc æqualia in eodem jugo, nunc disparia, apice in acumen angustum longiuscule producta, 4-6 centim. longa, 2 et quod excedit lata, petiolis dense hirsutis, vix centimetralibus. Paniculæ terminales cymosæ, 3-9-floræ, fortassis et ditiores, foliis ultimi jugi breviores. Calyces campanulati, limbo dilatato, ut plurimum breviter 6-lobo, punctis callosis totidem denticulorum externorum rudimentis instructo. Petala oblongo-obovata aut subelliptica, apice integro obtusa, 4 millim. longa. Stamina 12, paulisper inæqualia, antheris lineari-subulatis 1-porosis ; 6 majorum connectivo infra loculos incrassato, postice obtuse et crasse calcarato, antice breviter bilobo ; 6 minorum postica basi tantum in calcaneum breve terminato. Ovarium maxima parte liberum, 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. — In Brasilia septentrionali, prope *Maynas alto ;* Pœppig.

13. Miconia Melinonis †.

M. pro genere submicrophylla ; ramis lignosis, junioribus subtetragonis, vetustioribus nodosis ; foliis petiolatis ovatis oblongove-ovatis acuminatis basi obtusis integerrimis trinerviis glaberrimis ; paniculis terminalibus laxis divaricatis; floribus majusculis 5-meris, antheris luteis.

Frutex ut videtur subarborescens ramosus. Folia 5-7 centim. longa, 2-2 ½ lata, petiolo circiter centimetrali, fortassis in planta viva viscidula. Paniculæ quam in speciebus præcedentibus breviores laxiores et minus floribundæ, pube minuta furfuracea afflatæ, ramulis floriferis divaricatis. Calycis limbus dilatatus expansus, lobis obtusis inter se confluentibus, denticulo acuto extus instructis. Petala cuneato-obovata inæquilatera apice retusa, circiter centimetrum longa. Antherarum 5 majorum connectivum postica basi in calcaneum subcalcariforme productum, 5 minorum vix tuberculatum. Ovarium basi adhærens, apice libero attenuato, stylo gracili sigmoideo, stigmate punctiformi. — In Guyana gallica ; Mélinon. *Cat.* 178.

14. Miconia Riedelii †.

M. pro genere submicrophylla angustifolia ; ramis supremis gracilibus pube furfuracea hirtellis subteretibus ; foliis petiolatis lanceolatis acuminato-acutis basi obtusis remote denticulatis trinerviis ; paniculis terminalibus brevibus paucifloris ; floribus pedicellatis 5-meris ; antheris excepto connectivo luteis.

Frutex arborescens. Folia adulta non semper omnino glabrata, sed secus nervos præsertim paginæ inferioris pubem furfuraceam retinentia, fere triplinervia, id est, nervis tribus paulo supra basim limbi coalitis, 5-8 centim. longa, 1-1 ½ aut paulo amplius lata, petiolo circiter centimetrali. Paniculæ breves laxiusculæ paucifloræ. Calyx campanulatus, breviter et obtuse 5-lobus, lobis denticulo dorsali minuto armatis. Petala oblongo-cuneata apice integro rodundata alba. Antherarum, saltem 5 majorum, connectivum postice calcaneo crasso obtuso terminatum. Ovarium basi tantum adhærens, stylo sigmoideo aut hamoso, stigmate obtuso. — In provincia Brasiliæ *Minas geraes ;* Claussen, Riedel.

IV. LACERARIA.

Flores 5-meri. Calycis limbus membranaceus, in juventute clausus obtusus, sub anthesi in lobos irregulares persistentes lacerus (nec in medio circumscissus et calyptriformis ut in Conostegia) : denticulis externis nullis. Antheræ lineari-subulatæ 1-porosæ, connectivo sub loculis nullo aut breviter biauriculato.

15. MICONIA SEMICRENATA.—*Conostegia semicrenata* DC., *l. c.*, 175. —*Melastoma semicrenata* Rich. in Bonpl., *Mel.*, tab. 31. — *Melastoma acuminata* Desr. in Lamk., *Dict.*, IV, 54. — *M. elongata* Vahl., *Ecl.*, III, 16.

M. glabra; ramis subteretibus lævigatis; foliis ovato-lanceolatis longe acuminatis margine sinuato-dentatis basi rotundatis aut subacutis 3-nerviis; floribus breviter pedicellatis.

Folia sesquidecimetrum longa, haud raro breviora et longiora, 4 centim. et quod excedit lata, petiolis 2-4-centimetralibus. Paniculæ terminales pyramidatæ, foliis paulo breviores. Calycis limbus in lobos 2 vel 3 inæquales irregulariter lacerus, tubus oblongo-campanulatus striatus. Petala 7-8 millim. longa, obovato-cuneata, alba. Antherarum connectivum sub loculis non omnino inconspicuum, antice et postice nonnihil tumidum. Ovarium 3-loculare. Species distincta quamvis variet foliis latioribus, brevius acuminatis et subintegerrimis. Specimina pauca habemus quæ inter hanc et sequentem fere intermedia videntur. — In insula Guadalupa aliisque Antillis. Hanc habemus ex herbario Bonplandiano.

16 MICONIA CORNIFOLIA.—*Conostegia cornifolia* DC., *l. c.*, 175. — *Melastoma cornifolia* Desr. in Lamk., *Dict.*, IV, 51. — Rich in Bonpl., *Melast.*, tab. 41. — *M. picta?* Vahl, *Ecl.*, III, 15.

M. glabra; foliis ovatis oblongove-ovatis acuminatis basi rotundatis integerrimis aut obsolete repandulis trinerviis triplinerviisque; paniculis sublaxifloris; floribus pro genere majusculis breviter pedicellatis.

Species maxime variabilis, a præcedente foliis latioribus ovatioribus nec sinuato-dentatis distincta. Rami teretes lævigati. Folia magnitudine variabilia, sæpissime centimetralia, nonnunquam multo breviora aut longiora, 4-6 centim. lata, petiolis 1-2-centimetralibus. Calyx ut in præcedente specie. Petala obovato-oblonga, apice retusa, ferme centime-

trum longa, alba et fortassis in quibusdam locis dilute rosea. Antherarum connectivum sub loculis tumidum, magis minusve conspicue antice biauriculatum, postice tuberculatum. Ovarium 3-loculare. — In insula Martinica; Plée, L'Herminier. Hanc etiam habemus ex herbario Bonplandiano.

17. Miconia tococoides †.

M. submacrophylla subglabra; ramis supremis nonnihil compressis et in sulco utroque longitudinali pulverulentis, vetustioribus teretibus et glabratis; foliis petiolatis in eodem jugo nonnunquam disparibus ovato-oblongis acuminatis a medio ad apicem remote et obsolete denticulatis subintegerrimisque tri-triplinerviis; paniculis pyramidatis majusculis; floribus breviter pedicellatis et sessilibus.

Folia 12-15 centim. longa, 5-6 lata, pagina superiore glaberrima aut saltem mature glabrata, inferiore in nervis præsertim prope basim limbi pube stellata obducta, petiolis 2-4-centimetralibus, latere superiore etiam pulverulentis. Ramuli extremi panicularum 3-7-flori aut etiam pluriflori. Calyces campanulati, in prima juventute inaperti et obtuse calyptrati, limbo subanthesi in lobos 2-5 irregulariter lacero. Petala obovata retusa inæquilatera, in flore aperto reflexa, 5 millim. longa, alba et rosea. Stamina 10 æqualia aut subæqualia, antheris lineari-subulatis 1-porosis nonnihil incurvis antice luteolis exappendiculatis. Ovarium semi-adhærens 3-loculare. Stylus gracilis exsertus, stigmate subacuto. — In imperio Mexicano, prope *Xalapa*, Galeotti; et prope *Totutla* provinciæ Oaxacanæ, Ghiesbreght.

18. Miconia conostegioides †.

M. macrophylla vix non glaberrima; ramis supremis compressis a nodo ad nodum obsolete sulcatis; foliis petiolatis late lanceolatis vix acuminatis acutis integerrimis, prætermisso nervo utroque marginali trinerviis subtriplinerviisque, paniculis terminalibus magnis laxifloris; floribus subsessilibus.

Species *M. tococoidi* affinis, sed distincta floribus multo minoribus. Folia sesquidecimetrum et quod excedit longa, 5-6 centim. lata, petiolis 1-4-centimetralibus, nervis subtus præsertim prope basim limbi puberulis. Paniculæ foliis longitudine subæquales, fortassis etiam iis paulo longiores, ramis ramulisque complanatis. Calyces campanulati, limbo sub anthesi irregulariter lacero. Petala late obovata, reflexa, apice re-

tusa, 3 millim. longa. Antheræ lineari-subulatæ, nonnihil sigmoideæ, omnino exappendiculatæ. Ovarium 3-loculare. — In imperio Mexicano prope *Oaxaca;* Liebmann.

V. EUMICONIA.

Flores sæpius 5-meri, rarius 4–6–7–meri. Calyces breviter campanulati aut subhemisphærici, dentibus internis ut plurimum brevissimis subobsoletisve obtusis, raro productis et acutis, denticulis externis nullis aut tuberculum inconspicuum vix excedentibus. Petala late obovata, sæpius apice retusa et inæquilatera, in flore explicato reflexa aut saltem patula. Antheræ lineares aut lineari-subulatæ, rarius oblongo-ovoideæ, apice vix non semper 1-porosæ, basi appendiculis ornatæ aut exappendiculatæ. Ovarium in plerisque semiadhærens, nunquam omnino liberum, 3-4-5-loculare. Stigma sæpius punctiforme, raro dilatato-peltatum. Inflorescentia sæpius panicularis pyramidata aut thyrsoidea, floribus nunc secus ramos secundarios seriatis, nunc inordinatis aut varie aggregatis, interdum spiciformis aut subracemosa.

1° *HAPLOSTACHYÆ. Flores secus rachim inflorescentiæ sessiles, spicam continuam aut verticillato-interruptam formantes.*

19. MICONIA COMPRESSA †.

M. fruticosa vix non glaberrima oligantha; ramis supremis petiolisque compressis ancipitibus, primo intuitu glaberrimis, sub lente tomento adpresso inconspicuo rufescentibus; foliis ovato-ellipticis aut late lanceolatis utrinque acutis integerrimis 3-nerviis; spicis terminalibus aut in dichotomiis ramorum alaribus paucifloris interruptis; floribus sessilibus 5-meris.

Rami insigniter compressi; angulis oppositis angulo petiolorum respondentibus. Folia in eodem jugo æqualia et disparia, apice acuta nonnunquamque subacuminata, basi subacuta, plana, glaberrima, 12-18 centim. longa, 6–8 lata; nervis duobus lateralibus nunc ex ipsa basi limbi, nunc pauca millimetra supra basim ortis; petiolis a latere compressis, corrugato-striatis, circiter sesquicentimetralibus. Flores in axi inflorescentiæ fere verticillati, in quovis verticillo pauci, sæpe opposite solitarii. Calyces oblongo-turbinati, limbo integro, denticulis quinque exterioribus minutis instructo, tubo striato. Petala obovato-oblonga et fere spathulata, apice integro obtusa, inferne gradatim attenuata et quasi linearia, 5 millim. longa, ut videtur alba. Stamina 10, æqualia,

antheris lineari-subulatis 1-porosis exappendiculatis. Ovarium fere omnino adhærens, 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. — In Brasilia septentrionali, prope Bahiam. Species nobis recens a celeberrimo Martio communicata.

20. Miconia myura †.

M. fruticosa macrophylla stenostachya ; ramis supremis obscure tetrahedris aut subteretibus petiolisque furfure squalido obductis ; foliis petiolatis elliptico-ovatis acuminatis basi rotundatis margine sinuato-denticulatis aut repandulis, præter nervulos marginales 3-nerviis, glabris aut glabratis ; paniculis terminalibus spiciformibus teretibus quam folia ultimi paris multo brevioribus ; floribus in ramulis brevissimis sessilibus, 5-meris.

Species conspicua, nobis vero male cognita propter statum incompletum speciminis quod solum suppetit in herbario nostro. Folia cujusvis jugi non semper æqualia, sesquidecimetrum duove decimetra et quod excedit longa, 8-10 centim. lata, nervis in pagina inferiore furfur pulverulentum retinentibus, petiolis robustis, 1-2-centimetralibus. Inflorescentia potius ad spicam quam paniculam referenda, ramis brevissimis imove ad apicem racheos communis subnullis aut nullis, 3-7-floris. Calyces campanulati, breviter et obtuse 5-dentati, dentibus dorso tuberculum callosum gerentibus. Petala obovata retusa alba (in alabastro tantum visa). Stamina æqualia ?, antheris linearibus aut lineari-subulatis 1-porosis exappendiculatis. Ovarium paulo supra medium adhærens, apice libero angustatum, 3-loculare. Stigma obtusum punctiforme. — In provincia Reipublicæ Venezuelensis dicta *Carabobo*, ad altitudinem 1800 metrorum ; Funck et Schlim.

21. Miconia hexaptera †.

M. fruticosa glabra submacrophylla oligantha; ramis supremis 4-gonis et breviter hexapteris, vetustioribus subteretibus ; foliis breviter petiolatis elliptico-oblongis acuminatis basi etiam acutis et in petiolum quasi confluentibus sinuato-repandulis aut subintegerrimis 3-nerviis ; spicis terminalibus simplicibus interruptis ; floribus in verticillastra dispositis 5-meris.

Rami supremi pennam anserinam crassitudine subæquantes aut paulo

tenuiores, compresso-tetragoni, breviter quadrialati et inter alas angulis quatuor continuas duarum aliarum hinc et inde rudimenta exhibentes. Folia lævia glaberrima a sesquidecimetro ad duo decimetra longa, 5-7 centim. lata, petiolis circiter centimetralibus. Spicæ erectæ, foliis ultimi jugi breviores, interruptæ, pube minuta punctulatæ. Calyces urceolato-campanulati, dentibus fere omnino obsoletis, denticulis externis inconspicuis. Petala late cordiformi-obovata, 2 millim. longa et lata. Stamina 10 æqualia, antheris lineari-subulatis 1-porosis subincurvis, connectivo postica basi mutico aut vix conspicue in tuberculum incrassato. Ovarium semiadhærens, apice libero angustatum et styli basim vaginans, 3-4-loculare. Stylus brevis subinclusus, stigmate nonnihil clavato obtusissimo. — In insula Jamaica. Specimen unicum a celeberrimo Hooker communicatum.

22. Miconia haplostachya DC. — Eadem ac *M. macrostachya* ejusdem auctoris. — *Melastoma aplostachya* Bonpl., *Melast.*, tab. 1.

M. fruticosa stenophylla dolichostachya; ramis supremis petiolis foliorumque pagina inferiore tomento adpresso rufescentibus candicantibusve; foliis breviter petiolatis lanceolato-oblongis, sæpius utraque parte acutis, apice haud raro acuminatis, integerrimis 3-nerviis pagina superiore glabratis; paniculis terminalibus, in spicam omnino contractis, densifloris, sæpe verticillato-interruptis; floribus sessilibus 4-5-meris.

Forma ab omnibus distinctissima, quamdam tamen affinitatem cum *M. Claussenii* ostendens, ut maxima pars Melastomearum variabilis, sed facile ex inflorescentia peculiari semper agnoscenda. Rami supremi compressi, vetustiores teretes. Folia 1-2 decim. longa, 1 ½-4 centim. lata, pagina superiore in prima juventute tomento tenui conspersa, mox glabrata, 3-nervia; nervis lateralibus margini proximis et idcirco primo intuitu quasi uninervia aut penninervia; petiolis centimetrum vix longis. Paniculæ sæpius terminales, interdum et axillares, ramulorum abortu omnino spiciformes, *Veronicæ spicatæ* inflorescentiam æmulantes, densifloræ et sessilifloræ, sæpe decimetrum et quod excedit longæ. Flores, secundum specimina, 4-meri et 5-meri. Calyces fere campanulati, limbo brevissime dentato aut subintegro, denticulis externis callosis instructo. Petala obovato-rotundata reflexa, 1 ½ millim. longa et lata. Stamina æqualia, antheris linearibus 1-porosis falcatis antica basi bituberculatis. Ovarium semiadhærens, 3-loculare. Stigma punctiforme Fructus maturi non suppetebant. — In variis locis Americæ æquinoctialis; in humidis

prope *Atures* et *Maypures*, Bonpland; *Fernambuco*, Gardner; in Guyana anglica, Schomburgk.

23. Miconia multispicata †.

M. fruticosa: ramis supremis tomento furfuraceo cinerescentibus, vetustioribus glabratis teretibus; foliis petiolatis ovato-ellipticis ovatisve acuminatis basi rotundatis integerrimis aut sinuato-repandulis, præter nervulos marginales 3-nerviis, subglabratis; floribus in spicas terminales cylindraceas confertifloras bracteosasque dispositis 5-meris.

Rami foliosi penna anserina graciliores, superne furfuracei et sulcati, inferne teretes et glabrati. Folia ferme sesquidecimetrum longa, in eodem jugo haud raro inæqualia, 5-7 centim. lata, pagina superiore glabrata, inferiore tomentum sparsim in nervis et inter nervos retinentia, petiolis 1-1 ½ - centimetralibus. Spicæ ad apices ramorum ramulorumque axillarium terminales, simplices, foliis ut videtur breviores, continuæ aut subinterruptæ, etiam in anthesi bracteolis ovatis intermixtæ. Calyces campanulati, dentibus obtusis dorso callosis aut gibbosis. Petala obovato-cordata reflexa, 3-4 millim. longa. Antheræ 10 æquales lineari-subulatæ 1-porosæ, antica basi bilobæ aut obtuse et breviter bicalcaratæ, postica unilobæ. Ovarium supra medium adhærens, 3-loculare, Stylus filiformis, stigmate dilatato-peltato. Fructus submaturi globosi nigri aut atropurpurei, dentibus calycinis coronati, semen *Lathyri odorati* crassitudine æquantes. — In insula Jamaica, loco haud indicato. Specimen a celeberrimo Hooker communicatum.

24. Miconia? haplobotrya †.

M. macrophylla dolichostachya; foliis petiolatis late lanceolatis utrinque acuminatis basi in petiolum decurrentibus integerrimis 3-nerviis subglabratis; spicis angustis teretibus axillaribus aut fortassis alaribus; floribus 5-meris.

Species nobis nisi incompleto specimine non cognita, sed Miconiarum faciem gerens. Rami supremi tri-tetrahedri pulverulenti aut subglabrati, a nodo ad nodum sulcati. Folia apice in acumen acutissimum producta, basi angustata, in petiolum canaliculatum decurrentia, trinervia nec, ut in foliis aliarum inferne angustatis frequentius occurrit, triplinervia, longitudine fere 3-decimetralia, 8-9 centim. lata, petiolo 2-3-centimetrali. Spicæ densifloræ interruptæ aut continuæ, in nostro specimine tantum fructiferæ, decimetrum et quod excedit longæ. Forma distinctu facilis

si vere ad Miconiam, ut suspicamur, pertinet. — In nemoribus umbrosis imperii Mexicani, prope *Teapa*; Linden.

2° *DIPLOSTACHYÆ. Inflorescentia paniculata, ramis simplicibus elongatis undique floriferis et spicas laterales continuas aut interruptas fingentibus. Folia petiolata.*

25. MICONIA SOLTMANNIANA. — *Soltmannia splendens* Herb. Berol.

M. fruticosa micrantha; ramis supremis subcompressis mox teretibus tomento adpresso denso obscuro vestitis; foliis coriaceis petiolatis ovatis subacutis basi nonnihil cordatis integerrimis, pagina superiore plana mature glabratis, inferiore tomento molli helvolo aut ferrugineo obductis, adjecto nervo utroque marginali 5-nerviis; paniculis terminalibus; ramis simplicibus undique floriferis et sessilifloris, spicas continuas aut interruptas cylindricasque formantibus; floribus 5-meris.

Species ob inflorescentiam apud Melastomeas insolitam conspicua. Folia in eodem jugo non omnino æqualia, circiter decimetrum longa, 6 centim. lata, petiolis sesqui-bicentimetralibus. Paniculæ rachis obtuse tetrahedra et quadrisulca, tomento in angulis vividius rufo, in sulcis obscuriore velutina; rami oppositi patuli, inferiores 5-6-centimetrales, superiores magis ac magis abbreviati, cum floribus arcte congestis cylindrici, formam amentorum *Coryli Avellanæ* aut *Populorum* referentes. Calyces quasi immersi, tomento ferrugineo obducti, dentibus brevissimis obtusis. Petala obovata retusa reflexa, 1 ½ millim. longa. Stamina 10 æqualia, antheris oblongis obtusis uniporosis falcatis, inferne attenuatis sterilibus et quasi in connectivum mutatis, cæterum exappendiculatis. Ovarium maxima parte adhærens, 3-loculare? — In Brasilia, loco haud indicato, Sellow. Specimen e Musæo Berolinensi communicatum.

26. MICONIA CASTANEÆFLORA †.

M. subarborea? micrantha; ramis supremis teretibus dense tomentoso-hirsutis rufis; foliis petiolatis ovatis breviter acuminatis sinuato-denticulatis, admisso utroque nervo submarginali 5-nerviis, pagina superiore glabratis, inferiore hirtellis; paniculis terminalibus aut in dichotomiis ramorum alaribus,

ramis dense floriferis amentiformibus ; floribus sessilibus 4-meris.

Folia 7-10 centim. longa, 4-5 lata, in prima juventute pube rufa stellata utrinque vestita, mox pagina superiore glabrata, inferiore pubem semper retinentia, petiolis sesqui-bicentimetralibus. Paniculæ irregulariter pyramidatæ, ramis divaricatis a basi ad apicem toto ambitu floriferis, spicas cylindricas continuas amenta *Coryli Avellanæ* crassitudine et forma æmulantes fingentibus. Calyces late campanulati, 4-dentati, dentibus subacutis extus denticulo externo iis multo breviore ad basim ornatis. Petala obovata, apice emarginata aut retusa, ferme millimetralia. Stamina 8 æqualia, antheris linearibus breviusculis rectis, apice quasi truncato subbiporosis, omnino exappendiculatis. Ovarium semiadhærens, 2-loculare (fortassis et 3-loculare). Stylus gracilis, stigmate obtusissimo. — In provincia Brasiliæ *Minas geraes* prope *Paraibara*; Claussen.

27. Miconia desmantha Benth., *Plant. Hartw.*, 181. — Walpers, *Repert.*, V, 719.

M. fruticosa submacrophylla ; ramis teretibus petiolis nervisque foliorum hirsutis ; foliis ovatis oblongove-ovatis acuminatis basi rotundatis crenato-denticulatis 5-nerviis pagina utraque setulosis ; paniculis terminalibus majusculis, ramis simplicibus elongatis a basi ad apicem floriferis spiciformibus ; floribus sessilibus 5-meris.

Rami supremi foliosi, pilis rufescentibus hirsuti, teretes, pennam anserinam crassitudine vix æquantes. Folia sesquidecimetrum et quod excedit longa, 6-7 centim. lata, prætermissis nervulis marginalibus 5-nervia, setulosa aut sparsim villosa, sæpius nonnihil disparia in eodem jugo et inæqualiter petiolata, petiolis 1-3-centimetralibus. Paniculæ in anthesi terminales, demum accreto altero e ramulis ad basim ultimi foliorum jugi axillaribus laterales, fortassis et in dichotomia alares, opposite ramosæ, pilis rufescentibus pube pulverulenta canescente intermixtis obductæ. Rami floriferi simplices, decimetrum circiter longi (saltem in specimine nostro), spicam cylindricam vix interruptam formantes. Calyces campanulati ; dentibus interioribus brevibus obtusis, exterioribus minutis subulatis apice in setam brevem abeuntibus. Petala obovata retusa 3 millim. longa, alba ? Stamina 10 subæqualia, antheris 1-porosis, connectivo postica basi nonnihil tuberculato cæterum exappendiculato. Ovarium ultra medium adhærens 3-4-loculare. Stylus filiformis,

stigmate obtuso punctiformi. — In Columbia, loco haud indicato; Hartweg.

28. Miconia spicellata Bonpl. in *Herb. mus. Par.*, *ined.*

M. fruticosa (fortassis subarborea) minutiflora; ramis supremis e compresso teretibus paniculis foliorumque pagina inferiore pube minuta stellata vix conspicua pruinosis; foliis breviter petiolatis lanceolatis utrinque acuminatis repando-denticulatis, neglecto utroque nervo submarginali triplinerviis, pagina superiore glaberrimis; paniculis terminalibus pyramidatis, ramis simplicibus productis floriferis spicas mentientibus; floribus sessilibus 5-meris.

Rami supremi foliosi (id est hornotini) jam in lignum indurati, vetustiores foliis nudati nodosi. Folia rigidula subpendula (saltem quum adoleverunt), superne in acumen producta, inferne magis minusve cuneata et in petiolum breviter decurrentia, repando-denticulata, adjectis nervis submarginalibus quintuplinervia, pagina superiore glaberrima aut saltem glabrata, inferiore pube floccosa vix conspicua rufescente creberrime punctata, 12-18 centim. longa, 4-6 lata, petiolis 1-1 $\frac{1}{2}$-centimetralibus. Panicularum rami simplices, raro iterum divisi, in prima juventute spicas teretes densifloras exhibentes, in anthesi productiores floribusque remotioribus et in verticillastra dispositis onusti. Calyces turbinati, limbo subintegro aut parum conspicue 5-sinuato. Petala obovata retusa vix 2 millim. longa. Antheræ subæquales lineari-subulatæ falcatæ, connectivo postica basi tuberculato. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stigma obtusissimum. — In Brasilia septentrionali secus flumen Amazonum; Bonpland.

29. Miconia chætodon †.

M. fruticosa macrophylla; ramis supremis teretibus paniculis petiolis nervisque foliorum hirsuto-hispidulis; foliis late ovatis breviter acuminatis basi rotundatis aut vix subcordatis crenulato-denticulatis 5-7-nerviis utraque pagina piloso-hirtellis; paniculis terminalibus pyramidatis, ramis patulis subsimplicibus fere spiciformibus; floribus sessilibus 5-meris.

Rami hornotini setulis ferrugineis patentibus densiuscule hirsuti, sub hirsutie pube adpressa tomentosa cinereaque obducti. Folia cujusvis jugi magis minusve disparia, subabrupte acuminata, 1-1 $\frac{1}{2}$ decim. et

quod excedit longa, 8-10 centim. lata, tenuissime sinuato-denticulata, nervis in pagina inferiore patentim hispidulis, petiolis 1-4-centimetralibus. Panicularum rami interdum in ramulos oppositos divisi, ut plurimum tamen simplices, undique floriferi et spiciformes. Calyces campanulati, breviter dentati; denticulis externis subulatis setulas paucas gerentibus, dentes internos obtusos superantibus. Petala obovata apice emarginata subinæquilatera, 4 millim. circiter longa. Stamina æqualia, antheris linearibus 1-porosis falcatis antice luteolis, connectivo postica basi vix conspicue in tuberculum incrassato. Ovarium maxima parte adhærens, apice libero umbilicatum, 3-loculare. Stigma subcapitellatum. — In Andibus Venezuelæ inter urbiculas *Truxillo* et *Merida;* Linden, *Cat.* n° 266.

30. Miconia Lindenii †.

M. fruticosa macrophylla; ramis subteretibus petiolisque dense hirsutis rubiginosis; foliis maximis late ovatis ovatisve breviter acuminatis acutis subobtusisque integerrimis basi rotundatis 5-nerviis utraque pagina pilosis; paniculis terminalibus pyramidatis, ramis simplicibus spiciformibus confertifloris; floribus sessilibus 5-meris.

Rami hornotini pennam anserinam crassitudine subæquantes, teretes aut parum compressi, pilis ferrugineis densis hirsuti. Folia 2-2 ½ decim. longa, 12-15 centim. lata, exceptis nervulis marginalibus 5-nervia, petiolis 2-4-centimetralibus. Paniculæ folia ultimi jugi quæ (saltem in specimine nostro) cæteris dimidio sunt minora longitudine subæquantes, pyramidatæ, ferrugineo-hirtellæ, ramis fere a basi floriferis spicas circiter semidecimetrales cylindraceas aut subconicas formantibus. Calyces campanulati, dentibus interioribus brevibus obtusis, exterioribus tuberculiformibus in setam brevem abeuntibus. Petala inæquilatere obovata, retusa, 8 millim. longa. Stamina subæqualia; antheris linearibus 1-porosis falcatis, connectivo infra loculos manifesto antice bilobulato. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. — In imperio Venezuelensi prope *Caracas;* Linden.

31. Miconia æruginosa †.

M. macrophylla micrantha; ramis supremis petiolis nervisque foliorum dense hirsutis rubiginosis; foliis ovatis apice gradatim acuminatis, basi rotundata vix subcordatis aut integris, margine inæqualiter denticulatis, 5-7-nerviis, utraque pagina villosis;

paniculis in dichotomia terminali alaribus, ramis simplicibus spicas densifloras interruptas subamentiformes æmulantibus; floribus sessilibus 5-meris.

Folia 15-20 centim. longa, 8-10 lata, sæpius 5-nervia, interdum et 7-nervia si addantur nervuli submarginales, supra villis rubiginosis cooperta, subtus pallidius hirtella, nervis in pagina inferiore patentim hirsutissimis, petiolis 2-3-centimetralibus. Paniculæ juniores in summis ramis terminales, mox accretis ramulis duobus ex axillis foliorum ultimi jugi in dichotomia alares. Panicularum rami simplices patuli, ante florum explicationem spicam teretem densifloram continuam, post anthesim interruptam æmulantes. Calyces campanulati, dentibus subobsoletis vix conspicuis, denticulis externis nullis. Petala subrotunda, millimetrum longitudine vix excedentia (saltem sub anthesi). Stamina 10 æqualia, antheris lineari-oblongis subrectis 1-porosis. Ovarium paulo supra medium adhærens, 3-loculare. Stylus breviusculus, stigmate obtuso vix subcapitellato. — In monte *Quindiu* Novæ-Granatæ; Bonpland.

3° *Impetiolares. Inflorescentia paniculata, ramis elongatis vix non simplicibus sessilifloris, spicas glomerato-interruptas aut continuas mentientibus. Folia sessilia, amplexicaulia.*

32. Miconia amplexicaulis †.

M. fruticosa? macrophylla sessilifolia nonnihil anisophylla; ramis supremis teretibus paniculisque pube stellata rufa subfloccosa obductis; foliis ovatis oblongove-ovatis acuminatis, basi profunde cordatis et ramum in quo insident amplexantibus, obsolete repando-dentatis, prætermisso utroque nervo marginali 3-nerviis, pagina superiore glabrata, inferiore secus nervos pubem retinente; paniculis terminalibus pyramidatis, ramis simplicibus s iciformibus; floribus sessilibus 5-meris.

Folia in eodem jugo, ut videtur e specimine unico nostro, disparia, uno alterum quarta parte aut etiam triente superante, 1 ½ - 3 decim. longa, 8-12 centim. lata, petiolo nullo. Panicularum rami inferiores producti simplices aut ramulis brevissimis multifloris instructi, superiores magis ac magis abbreviati, jam infra apicem paniculæ in pedicellos 1-3-floros mutati, ad ipsum apicem obsoleti. Flores sessiles, in verticillastra nonnihil dispositi. Calyx tomento stellato rufo punctulatus demum detersus, limbo subintegro. Petala cuneato-subtrigona apice retusa, circiter 3 millim. longa. Stamina vix non æqualia; antheris lineari-subu-

latis 1-porosis falcatis, connectivo fusco exappendiculato. Ovarium semi-adhærens 3-loculare, stigmate punctiformi. Species non confundenda cum *M. impetiolari* quacum nonnullam habet similitudinem quamvis ab ea plurimis notis recedat, præsertim foliis ovatioribus, basi profundius cordatis magisque amplexantibus, necnon paniculæ ramis simplicibus et multo minus floribundis. — In Peruvia subandina, loco haud indicato ; Pœppig.

33. Miconia impetiolaris DC., *l. c.*, 183. — *Melastoma impetiolaris* Bonpl., *Melast.*, p. 64, tab. 29. — *M. macrophylla* Desr. in Lamk., *Dict.*, IV, 44.

M. fruticosa elata macrophylla sessilifolia micrantha ; ramis subteretibus paniculis foliorumque pagina inferiore tomento stellato ferrugineo obductis ; foliis obovatis ellipticisque breviter acuminatis basi auriculatis et quasi amplexicaulibus crenato-dentatis interdumque fere integerrimis ut plurimum tripli-quintuplinerviis pagina superiore glabratis ; paniculis terminalibus pyramidatis, ramis densifloris spiciformibus ; floribus sessilibus 5-meris.

Species inter omnes Miconias habitus majestate eminens, characteribusque adeo genuinis donata ut neminem unquam decipiat. Folia 2-3 decim. longa, 1-1 ½ lata, basi haud raro corrugata, in prima juventute tomento stellato utrinque obducta, sed in pagina superiore mox detersa et tunc glaberrima, inferiore tomentum ferrugineum retinentia. Paniculæ foliis supremis ut plurimum breviores ; ramis inferioribus sæpius trichotome divisis, superioribus simplicibus, flores numerosos sessiles in verticillastra subglobosa dispositos gerentibus ideoque spicas magis minusve interruptas formantibus. Calyx campanulatus, brevissime dentatus. Petala obovata retusa, 2 millim. circiter longa. Ovarium semi-adhærens 3-loculare. Stigma punctiforme. Bacca matura globosa cyanea, crassitudine pisi minoris. — In Antillis frequens videtur ; in Jamaica, Purdie ; *Porto-Rico*, Plée; *St.-Thomas*, Bonpland. Crescit etiam in America continente, scilicet secus ripas Orinoci et in variis locis Reipublicæ Venezuelensis, Bonpland.

Var. β *pandurifolia :* foliis ad basim dilatatis profunde cordatis rugosis. — In America continente, prope *Guaduas*, Bonpland ; *Panama*, Duchassaing.

34. MICONIA DIPSACEA †. — *Melastoma amplexicaulis* Pavon, *Herb. ined.*

M. fruticosa macrophylla megastachya; ramis supremis subteretibus aut parum compressis foliorumque pagina inferiore tomentosis rufescentibus; foliis sessilibus basi bilobata amplexantibus ovato-oblongis acutis obtusisve margine integerrimis aut obsolete denticulatis 3-nerviis pagina superiore glabratis; paniculis magnis terminalibus pyramidatis, ramis subsimplicibus spicas interruptas fingentibus; floribus sessilibus in verticillastra approximatis 5-meris.

Rami supremi pennam anserinam crassitudine paulo superantes, teretiusculi, tomento denso molli rufescente aut albicante obducti. Folia 2 decim. et quod excedit longa, 5-7 centim. lata, sessilia aut petiolo crasso indistincto suffulta, basi cordato-auriculata et ramum quasi amplexantia, in prima juventute utrinque stellato-tomentosa, mox pagina superiore glabrata, inferiore tomentum retinentia, nervis duobus lateralibus margini proximis. Paniculæ 2-4-decimetrales, ramis elongatis simplicibus aut subsimplicibus, floribus abbreviatione ramulorum secundi aut tertii ordinis in verticillastra contractis, unde rami paniculārum floriferi spicas interruptas mentiuntur. Calyces in anthesi campanulati, post anthesim globosi, breviter et obtuse 5-dentati, denticulis externis parum conspicuis. Petala nec genitalia suppetebant. Ovarium semiadhærens 3-loculare. — In Peruvia subandina, loco haud indicato; Pœppig; hanc habemus etiam ex herbario Pavoniano.

4° GLOMERATIFLORÆ. *Flores in axi ramisque inflorescentiæ in glomerulos densos globosos subglobososve verticillato-congesti. Sectio a sequente non satis distincta. Folia petiolata.*

35. MICONIA BIGLOMERATA DC., *l. c.*, 183. — *Melastoma biglomerata* Bonpl., *Melast.*, tab. 15.

M. fruticosa elata aut subarborea, pro genere submicrophylla oligantha; ramis teretibus petiolis foliorumque pagina inferiore adpresse tomentoso-cinereis aut rufescentibus; foliis lanceolatis acutis basi rotundatis integerrimis, prætermisso utroque nervulo marginali 3-nerviis, pagina superiore tomento minuto arachnoideo cinerescente, inferiore rufescente

reticulata; floribus ad apices ramorum extremorum in glomerulos paucos digestis 5-meris.

Frutex, ex auctoritate Bonplandii, 3-4-metralis, primo adspectu ab aliis Miconiis discernendus. Folia 4-6 centim. longa, 1 aut rarius 2 lata, petiolis 5-10-millimetralibus. Axis floriferus terminalis aut, demum accretis ramis lateralibus, in dichotomia alaris, glomerulo uno globoso 10-20-floro terminatus, cui, haud infrequenter, accedit et alter inferior sed sæpius depauperatus. Calyces campanulati, dentibus brevibus obtusis tuberculos externos callosos gerentibus. Petala nobis ignota, ex Bonplandio ovata (nonne potius obovata?) alba. Reliqua pariter desiderabantur. Bacca 3-locularis. — Ad scatebras Orinoci frequens; Bonpland.

36. Miconia globulifera. — *Melastoma globuliferum* Schlecht. et Cham., *Linnæa*, V, 564.

M. fruticosa isophylla et anisophylla; ramis teretibus petiolisque tomentoso-hirtellis rufescentibus; foliis ovato-lanceolatis gradatim acuminatis basi obtusis obsolete serrulatis 5-nerviis, pagina superiore adpresse villosulis, inferiore pubescentibus; paniculis terminalibus pauciramosis; floribus in verticillastra globosa aut glomerulos terminales dense congestis 5-meris.

Folia in eodem jugo nunc æqualia nunc maxime disparia, 12-15 centim. longa, 4-5 lata, petiolis sesqui-tricentimetralibus. Florum glomeruli globosi, 10-30-flori. Calyx hirsutus rufescens 5-dentatus, dentibus acutis simplicibus, Petala obovata emarginata, 4-5 millim. longa, lutea (saltem ex auctoritate collectoris), in herbario autem fere nigerrima. Stamina æqualia, antheris lineari-subulatis 1-porosis exappendiculatis. Ovarium paulo supra medium adhærens 5-loculare. Stylus filiformis exsertus, stigmate punctiformi. — In Imperio Mexicano, locis umbrosis prope *Xalapa*, ad altitudinem 1200-1500 metrorum; Galeotti.

37. Miconia rhytidophylla. — *Clidemia desmantha* Benth. in Hook., *Journ. of bot.*, II, 309. — Walp., *Repert.*, II, 139.

M. fruticosa; ramis teretibus, hornotinis paniculisque tomento subfloccoso rufescente obductis interdumque hirsutis, annotinis glabratis; foliis petiolatis ovatis oblongis lanceolatisve acuminatis basi obtusis integerrimis 3-nerviis in prima ætate tomenta stellato tenui utrinque cinerescentibus, pagina supe-

riore demum glabratis, subtiliter reticulato-areolatis; paniculis in anthesi terminalibus pauciramosis, ramis simplicibus; floribus sessilibus in glomerulos globosos dispositis 5-meris.

Frutex ramosus ferme bimetralis, ramis supremis subvirgatis teretibus penna anserina paulo debilioribus. Folia reticulo areolato nervulorum conspicua, præter nervos marginales trinervia, 10-14 centim. longa, 4-5 centim. lata, petiolis 1 centim. et quod excedit longis. Paniculæ terminales, fortassis et post anthesim, accretis ramulis ex utriusque folii supremi axilla ortis, in dichotomia alares, pauciramosæ, sub insertione ramorum bracteis lineari-lanceolatis patulis aut pendulis demum deciduis instructæ. Rami ut plurimum subbreves, glomerulis florum pluribus aut paucioribus instructi, rachis ipsa longiuscule producta paniculam terminans, glomerulis plurimis distantibus ornata. Glomeruli globosi verticillastra fingentes, 10-50-flori, nonnunquam depauperati pauciflori. Calyces campanulati, dentibus ovatis obtusis denticulo externo munitis. Petala obovata apice rotundata, 2 millim. longa. Antheræ 10 æquales lineares 1-porosæ. Ovarium semiadhærens 5-loculare. Stigma punctiforme. Fructus globosi, in glomerulo quovis floribus pauciores, 10-costati, semen *Lathyri odorati* crassitudine æquantes. — In Brasilia septentrionali, loco nobis ignoto, Lalande; Guyana anglica, Schomburgk.

* 38. Miconia calvescens DC., *l. c.*, 185.

M. fruticosa macrophylla; ramis supremis petiolis paniculisque pube adpressa candicante detergibili obductis; foliis ovatis elliptico-ovatis obovatisve breviter acuminatis basi obtusis aut subcordatis margine dentatis subrepandis subintegerrimisque, prætermisso nervo utroque marginali 3-nerviis, glabratis; paniculis terminalibus magnis pyramidatis; floribus in extremis ramulis congesto-capitatis sessilibus 5-meris.

Frutex 4-5-metralis, ramis subteretibus aut sulcatis crassiusculis sæpius tomento albicantibus, haud raro etiam glaberrimis. Folia, secundum specimina, facie et statura variabilia, a sesquidecimetro ad 3 decim. longa, 8-15 centim. lata, petiolis subgracilibus 2-6- centimetralibus. Panicula præ reliquis partibus plantæ characterem specificum præbens, magna floribunda pyramidata, ramis multoties trichotomis, ramulis extremis florum glomerulo denso subgloboso terminatis. Flores ut plurimum 5-meri, interdum et 6-meri, rarius 4-meri. Calyces fere turbinati, limbo simplici membranaceo subintegro. Petala obovata retusa, 2-3

millim. longa. Stamina æqualia exserta ; antheris linearibus aut lineari-subulatis falcatis, connectivo antica basi breviter bilobo. Ovarium semi-adhærens triloculare. Stylus filiformis , stigmate obtusissimo. Fructus baccati globosi , semine cannabino vix crassiores. — In Brasilia meridionali , provincia *Minas geraes* , Claussen , Guillemin , Riedel ; septentrionali , Martius ; Peruvia prope Limam, Claude Gay , et prope *Cochero* Dombey.

39. Miconia proteoides ASH. et Ndn., *ined.*, 1842.

M. fruticosa ; ramis supremis tetrahedris mox teretibus pube tomentosa adpressa albicantibus aut rufescentibus ; foliis petiolatis ovato-ellipticis acuminatis basi rotundatis crenato-dentatis 3-nerviis, pagina superiore glaberrima aut saltem mature glabrata , inferiore tomentoso-candicante ; paniculis terminalibus pyramidatis ; floribus ad apices ramulorum sessilibus glomerato-capitatis 5-meris.

Folia nonnihil coriacea plana dentata aut denticulata, prætermissis nervulis submarginalibus trinervia, 8-12 centim. longa, 4-6 lata, petiolis sesqui-tricentimetralibus. Paniculæ folia longitudine subæquantes , pube minuta stellata rufescentes ; ramis ramulisque compressis subcomplanatis ; verticillastris capitulisque terminalibus 10-40-floris subglobosis. Calyces campanulati, limbo fere integerrimo, denticulis externis indistinctis. Petala obovato-subrotunda , 2 millim. circiter longa et lata. Stamina æqualia , antheris lineari-subulatis 1-porosis nonnihil falcatis , connectivo infra loculos manifesto et incrassato. Ovarium semi-adhærens , apice umbilicatum , 3-loculare. Stylus filiformis , stigmate obtusissimo subincrassato. — In provincia *Rio de Janeiro* Brasiliæ meridionalis ; Gaudichaud, Guillemin, Lalande.

40. Miconia amygdalina †.

M. fruticosa (fortassis arborea) micrantha ; ramis supremis teretibus tomento denso rufo velutinis ; foliis petiolatis late lanceolatis in acumen angustum productis basi subacutis margine repandulis et obsolete denticulatis 3-nerviis, pagina superiore magis minusve glabrata, inferiore tomentoso-rufescente ; paniculis terminalibus pyramidatis, floribus sessilibus in glomerulos irregulares congestis 4-meris.

Folia 14-18 centim. longa , 4-6 lata , acumine angusto longiusculo

terminata; juniora in utraque pagina tomento stellato rufo obducta; adulta pagina superiore magis minusve detersa et in herbario nigerrima, inferiore pubem rufam retinentia; petiolis brevibus vix centimetralibus. Paniculæ foliis ultimi jugi longitudine subæquales, ramis oppositis subsimplicibus, florum glomerulis subglobosis verticillastra mentientibus aut inter se confluentibus. Calyces campanulati 4-dentati, dentibus brevibus triangulari-acutis simplicibus, post anthesim inflexis. Petala obovata apice emarginata aut retusa, sesquimillimetralia. Ovarium semiadhærens 2-3-loculare. Stylus gracilis, stigmate punctiformi. — In vicinia urbis *Rio de Janeiro* Brasiliæ; Gaudichaud.

41. Miconia hyemalis ASH. et Ndn., *ined.*

M. fruticosa micrantha; ramis supremis subteretibus subcompressisve paniculis petiolis foliorumque pag ina inferioretomento adpresso canescentibus aut cinereis; foliis oblongo-ovatis subellipticisque acuminatis basi rotundatis sinuato-dentatis tri-triplinerviis pagina superiore glabratis; paniculis terminalibus opposite ramosis; floribus ad apices ramulorum dense glomeratis 5-meris.

Folia, in herbario, supra nigrescentia, subtus tomentum pallidum retinentia, 10-12 centim. longa, 4 et quod excedit lata, fere ab ipsa basi trinervia, petiolis uni-sesquicentimetralibus. Paniculæ e pluribus paniculis secundariis axillaribus et una terminali constantes; ramis ex axilla bractearum linearium ortis, breviusculis, glomerulo densifloro et multifloro terminatis, glomerulis interdum sessilibus et tunc verticillastra mentientibus. Calyces campanulati, dentibus brevibus obtusis denticulo externo calloso indistincto ornatis. Petala late obovata emarginata, 1 millim. aut paulo amplius longa et lata. Stamina 10 æqualia; antheris oblongis, apice truncato biporosis, connectivo exappendiculato. Ovarium semiadhærens, 5-loculare. Stigma punctiforme. Specimina repeperiuntur floribus 4-meris donata. — In provincia *Rio Grande do Sul* Brasiliæ australis; Gaudichaud.

42. Miconia stellifera †.

M. fruticosa macrophylla; ramis paniculis petiolisque dense molliterque hirsutis aut sublanatis rufescentibus; foliis brevius longiusve petiolatis ovato-lanceolatis ellipticis obovatisque acuminatis basi subcuneatis aut obtusis repando-dentatis crenatisve 3-nerviis, pagina superiore villosis, inferiore hirtellis;

paniculis terminalibus pyramidatis pauciramosis; floribus sessilibus verticillato-congestis aut glomeratis 5-meris.

Frutex fere 2-metralis, hirsutie et villositate inter Miconias insignis. Rami supremi teretes, longius breviusve patentim hirsuti. Folia haud raro subsessilia, sæpius petiolo sesquicentimetrum et quod excedit longo donata, forma variabilia nec in eodem jugo semper æqualia, pagina superiore setis simplicibus villosa, inferiore pilis apice stellato-multifidis hirtella, præter nervos submarginales 3-nervia, 1 ½ - 2 decim. longa, 5-8 centim. lata. Panicularum rami simplices aut infrequenter in ramulos divisi; flores verticillato-congesti vel in apicibus ramorum dense glomerati. Calyces campanulati, dentibus exterioribus productis subulatis, setula stellato-multifida terminatis, interioribus subobsoletis, tubo pilis apice stellatis hirsuto. Petala obovata subretusa, 3-4 millim. longa. Stamina nonnihil inæqualia, antheris linearibus biporosis parum arcuatis antica basi subbiauriculatis. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stigma obtusum punctiforme. Fructus bacciformis fortassis exsuccus globosus crassitudine pisi minoris. Semina irregulariter ovoidea aut subglobosa scrobiculata nigra, a seminibus plerarumque Miconiarum diversa. — In vicinia oppiduli dicti *Saraguru* Reipublicæ Novo-Granatensis, Bonpland; et provinciuncula *Maynas alto*, Pœppig.

5° STENOSTACHYÆ. *Paniculæ elongatæ racemiformes, ramis brevibus simplicibus aut vix non simplicibus, floribus ad apices illorum congestis et jam initium dispositionis seriatæ ostendentibus.*

43. MICONIA CLAUSSENII †.

M. fruticosa stenostachya micrantha; ramis supremis paniculis petiolis foliorumque pagina inferiore tomento adpresso candicantibus; foliis lanceolatis in acumen gradatim attenuatis basi subrotundatis integerrimis 3-nerviis pagina superiore glabris aut glabratis; paniculis terminalibus et in dichotomiis ramorum alaribus racemiformibus; ramis brevissimis apice congestifloris; floribus minutis sæpius 4-meris.

Species *M. hoplostachyæ* affinis sed ab ea facile distincta ob characterem panicularum quæ formam racemi non autem spicæ induunt. Folia etiam quam in illa basi obtusiora sunt et haud raro omnino rotundata, limbo 1-1 ½ decim longo, 1 ½-4 centim. lato, petiolo 1-1 ½-centimetrali.

Paniculæ in dichotomiis ramorum alares æque ac in extremis ramis terminales, multifloræ, decimetrum et quod excedit longæ; ramis lateralibus 2-5 millim. longis, florum glomerulo denso terminatis. Flores minuti, sessiles, sæpius 4-meri quam 5-meri. Calyx campanulatus, dentibus manifestis extus denticulo calloso instructis. Petala obovata, 1 millim. circiter longa. Stamina æqualia, antheris oblongis 1-porosis inferne attenuatis et exappendiculatis. Ovarium semiadhærens, 3-loculare. Stigma punctiforme. Fructus ignoti. Species nostra *M. pepericarpæ* DC. fortasse affinis est sed cum ea non confundetur quippe quæ bracteis setiformibus sub pedicello careat et limbo calycino 4-5-dentato instruatur. — In variis locis provinciæ *Minas geraes* Brasiliæ; Claussen, Dupré.

44. Miconia macrothyrsa Benth. in Hook., *Journ. of bot.*, II, 312. — Walp., *Repert.*, II, 146.

M. fruticosa stenostachya; ramis supremis teretibus paniculis petiolis foliorumque pagina inferiore tomento denso adpresso rufescentibus albicantibusve; foliis breviter petiolatis late ovatis subacutis obtusisque basi cordatis crenulatis ciliatis 5-7-nerviis pagina superiore demum glabratis; paniculis terminalibus racemiformibus elongatis; floribus ad apices ramorum brevium congestis 5-meris.

Folia circiter decimetrum longa, 6 centim. lata, manifeste ciliolata et prope marginem setulis rufis conspersa, in prima ætate tomento stellato niveo detergibili supra pruinosa deinque sensim glabrata, subtus tomentum uberius semper retinentia, ut plurimum 7-nervia etiam neglectis nervulis marginalibus ad basim limbi perspicuis, petiolis 1-1 ½ - centimetralibus. Paniculæ angustæ elongatæ racemum interruptum mentientes. Rami ex axilla bractearum oblongarum obtusarumque orti, semicentimetrum aut vix centimetrum longi, apice congestiflori, primo intuitu indivisi, attentius autem considerati ramulorum duorum triumve secundiflororum rudimenta monstrantes. Calyx late campanulatus, dentibus subnullis. Petala obovata, 2 millim. circiter longa. Stamina æqualia, antheris lineari-subulatis nonnihil incurvis, connectivo infra loculos vix perspicuo aut nullo. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stigma punctiforme. — In Guyana anglica prope *Roraima*; Schomburgk.

45. Miconia Weddellii †.

M. fruticosa ramosissima pro genere microphylla; ramis hornotinis paniculis petiolis foliorumque pagina inferiore tomento

adpresso candicantibus; foliis petiolatis subcoriaceis ovato-ellipticis acutis basi rotundatis integerrimis 3-nerviis pagina superiore glaberrimis aut saltem mature glabratis nitentibus; paniculis terminalibus racemiformibus, ramis brevibus pauci-floris subsecundiflorisque; floribus sessilibus 5-meris.

Frutex dumiformis ramosissimus rigidus; ramis tortuosis, hornotinis foliosis mature in lignum induratis, obscure tetrahedris, demum teretibus et glabratis. Folia compage colore et forma *Miconiæ holosericeæ* folia referentia sed multo minora, 3-4 centim. longa, 1-2 lata, pagina superiore in herbario nigerrima, inferiore tomentum candidum retinente, petiolis circiter centimetralibus. Paniculæ 6-8 centim. longæ, racemiformes, ramis infimis nonnunquam semel dichotomis, sæpius ut superiores, altero ramulo abortiente, indivisis, 4-5-floris; supremis 2-1-floris. Calyx in anthesi late campanulatus, post anthesim globosus, breviter 5-dentatus. Petala non suppetebant. Stamina æqualia, antheris subulatis crassiusculis, connectivo postica basi in calcar acutum deorsum vergens producto. Ovarium maxima parte adhærens, 3-loculare. Fructus submaturi semen cannabinum crassitudine subæquantes. — In locis petrosis et humidis Brasiliæ, inter urbes *Goyaz* et *Cujaba;* Weddell.

6° SERIATIFLORÆ. *Paniculæ pyramidatæ aut elongatæ, ramis primariis bi-trifidis, ramulis secundi tertiive ordinis secundifloris interdumque subscorpioideis.*

46. MICONIA TRISERIATA †.

M. fruticosa sarcophlœa submacrophylla dolichostachya; ramis supremis crassis irregulariter multiangulosis adpresse tomentoso-rufescentibus; foliis petiolatis coriaceis ovato-oblongis subacutis basi cordatis, margine crenatis aut crenulatis, adjecto nervo utroque submarginali 5-nerviis, utraque pagina in prima juventute tomento denso rufescente obducta, superiore mox glabrata, inferiore pubem retinente; paniculis terminalibus angustis elongatis, ramis semel trichotomis, ramulis secundifloris.

Species ut videtur *M. ferruginatæ* DC. affinis sed ab ea certe distincta si Candollæanæ descriptioni fidendum est; differt enim foliis subacutis et crenulatis nec ut in illa subobtusis et integerrimis, floribus secus ra-

mulos secundarios seriatis nec congestis demumque bractearum linearium absentia. Rami extremi foliosi digitum crassitudine subæquantes, cortice carnoso angulato-rugoso et sub insertione foliorum potissimum prominente induti. Folia adulta coriacea, supra glaberrima nitidula, sesquidecimetrum et quod excedit longa, 5 centim. lata, petiolo crasso striato 2-3-centimetrali. Panicula (in specimine nostro) fere 3 decim. longa, racemiformis, ramis crassis brevibus in ramulos tres secundifloros divisis, ramulis fructus paucos e floribus numerosioribus (6-10) retinentibus. Flores sessiles, 5-meri, calycis limbo subintegro. Petala late obovata retusa, 3 millim. longa et lata. Stamina æqualia, antheris subulatis basi postica breviter et acute calcaratis. Ovarium apice liberum, 3-loculare. Stigma punctiforme. — In provincia *Mato-Grosso* Brasiliæ australis. Planta e Musæo brasiliensi imperiali a Gaudichaudio nostro relata.

47. Miconia holosericea DC., *l. c.* — *Melastoma holosericea* Linn., *Spec.*, 556. — Bonpl., *Melast.*, tab. 23 et 24. — *Miconia heterochroa* Miq., *Linn.*, XVIII, 621.

M. fruticosa; ramis subteretibus adpresse tomentoso-cinereis; foliis breviter petiolatis ovato-ellipticis acutis basi subcordatis integerrimis adjecto nervo utroque marginali 5-nerviis, in prima juventute utrinque tomento candicante obductis, pagina superiore mox glabrata, inferiore tomentum retinente; paniculis terminalibus thyrsoideis multifloris; floribus sessilibus secundis 5-meris.

Species quanquam maxime conspicua a paucis affinibus non semper facile discernenda, per totam Americam æquatorialem erratica et idcirco variabilis, in multis regionibus frequentissima recurrit. Frutex est 2-3-metralis ramosus isophyllus, ramis supremis subcompressis, vetustioribus omnino teretibus. Folia ferme decimetrum longa, sæpe etiam majora aut minora, 4-5 centim. lata, potius 3-nervia quam 5-nervia, pagina superiore mature glabrata nitida et in herbario nigerrima, inferiore tomento molli candido aut rufescente semper obducta. Paniculæ tomentosæ candicantes aut rufescentes micranthæ densifloræ; ramis primum trichotomis dein dichotomis in dichotomia flore uno sessili ornatis, ramulo utroque duplici serie secundifloro. Alabastra ante floris explicationem sphærica, semine *Brassicæ oleraceæ* vix crassiora. Calyx apertus hemisphæricus aut late campanulatus, dentibus brevibus aut etiam subobsoletis. Petala obovata, 2 millim. longa, alba aut lutescentia. Antheræ subequales lineares 1-porosæ, connectivo infra loculos longius

breviusve biauriculato et in membranulam expanso, nonnunquam inconspicuo. Ovarium maxima parte adhærens, 3-loculare. Stylus breviusculus, stigmate clavato. Baccæ globosæ seminis *Lathyri odorati* crassitudinem æmulantes. Species variat magnitudine foliorum, paniculis majoribus et minoribus, calyce longius breviusque dentato, necnon antheris basi latius arctiusve auriculatis. — In Guyana gallica, Leprieur, Mélinon; Brasilia septentrionali et meridionali, Blanchet, Martius, Claussen; Bolivia, d'Orbigny; Republica Venezuelensi, Bonplánd; Peruvia, Claude Gay; in America centrali prope *Panama*, ex herbario Bonpland; in insula Jamaica aliisque Antillis, Lee.

48. MICONIA SERIALIS DC., *l. c.*, 182.

M. ramis supremis paniculisque tomento brevi adpresso canescentibus; foliis petiolatis elliptico-lanceolatis acuminato-acutissimis basi angustata in petiolum decurrentibus integerrimis triplinerviis, pagina superiore mature glabrata nitidis, inferiore cano-tomentosis; paniculis magnis terminalibus, ramis omnibus semel dichotomis, ramulo utroque elongato multifloro secundifloro; floribus 5-meris.

Species *M. holosericeæ* contermina et primo intuitu simillima, sed quibusdam notis distinctissima. Folia quam in illa majora (scilicet sesquidecimetrum aut bidecimetrum longa et 5-6 centim. lata) in acumen magis producuntur et, quod majoris est momenti, basi pariter acuminata in petiolum utrinque decurrunt et sic fiunt triplinervia, relictis nervis duobus submarginalibus. In herbario quoque pagina superior nigrescit, dum inferior tomentum canum aut canescens retinet. Panicula major et laxior quam in *M. holosericea* sed eumdem typum in dispositione ramorum et florum exhibens, id est, ramis semel dichotomis, florem unum in dichotomia sessilem gerentibus, ramulis duobus lateralibus ramo ipso qui pedunculi vices peragit triplo quadruplove longioribus, 10-15-floris. Calyx ut in *M. holosericea*, dentibus obtusis. Petala nec genitalia in specimine nostro suppetebant. Fructus maturi globosi, crassitudine seminis *Lathyri odorati*. — In Brasilia, loco haud indicato; Bonpland.

49. MICONIA ARGYROPHYLLA DC., *l. c.*, 181. — Mart., *Nov. gen.*, 156, III, tab. 284. — *M. holosericea* Steud., *Herb.*, n. 371, per errorem. — *M. stenostachya* DC., ex auctoritate Martii. — *M. hyphargyrea* Miq., *Linn.*, XVIII, 622.

M. fruticosa; ramis supremis subtetragonis paniculis foliorumque

pagina inferiore tomento adpresso brevissimo cinereis aut candicantibus; foliis ut plurimum breviter petiolatis ovatis ellipticisve acutis basi rotundatis interdumque subcordatis tenuissime denticulatis, prætermisso nervo utroque submarginali 3-nerviis, pagina superiore glaberrimis aut glabratis; paniculis terminalibus pyramidatis aut racemosis confertifloris, ramulis extremis secundifloris; floribus sessilibus 5-meris; antherarum loculis sulphureis.

Frutex 1-3-metralis, a *M. holosericea* difficile distinguendus quamvis speciem propriam certe constituat. Rami quam in illa magis angulosi interdumque omnino quadranguli, subcompressi et sub foliis sæpius sulcati. Folia latiora et angustiora, nonnunquam subintegerrima, frequentius tenuissime et vix perspicue denticulata, basi integra aut subcordata, pagina superiore in herbario nigrescente, inferiore candicante sed minus quam in *M. holosericea* tomentosa, decimetrum et quod excedit longa, 4-6 centim. lata, petiolo a semicentimetro ad sesquicentimetrum et amplius variante. Panicularum rami ut plurimum semel dichotomi, florem unum in dichotomia sessilem gerentes, ramulo utroque secundifloro, interdum etiam dichotome diviso et tunc panicula magis pyramidata evadit. Calyces late campanulati; dentibus brevibus, denticulo exteriore ab interiore vix distincto et punctiformi. Petala alba aut pallide rosea, fortassis et lutescentia, obovata, interdum ciliolata, 2-3 millim. longa. Antheræ lineari-subulatæ subfalcatæ non omnino æquales, loculis sulfureis, connectivo fusco infra loculos antice bilobulato, postice tuberculato. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Baccæ maturæ globosæ, crassitudine seminis *Lathyri odorati*. — Species magnum spatium Americæ meridionalis occupans et variabilis; hanc habemus e Guyana anglica, Schomburgk; batavica, Hostman; Bolivia, d'Orbigny; Republica Novo-Granatensi, Goudot; Brasilia septentrionali, Spruce; meridionali, Claussen; Peruvia, Pœppig; insula Sancti-Thomæ Antillarum, Finlay. Varietatem macrophyllam habemus in Guyana a clar. Schomburgk lectam foliis duplo latioribus et longioribus distinctam.

50. Miconia longistyla Steud., *Flora*, XXVII, 724. — *M. Schomburgkii* Benth., in Hook., *Journ. of bot.*, II, 312.

M. fruticosa macrophylla dolichostachya; ramis supremis tetragono-compressis 4-sulcatis rubiginosis; foliis petiolatis ovato-ellipticis obovatisque breviter acuminatis basi obtusis integer-

rimis aut sub apice vix conspicue denticulatis 3-nerviis, pagina superiore glaberrima nitida, inferiore tomento inconspicuo ferruginea ; paniculis terminalibus laxiusculis elongatis, ramis breviusculis semel dichotomis, floribus secundis 5-meris.

Nihil de statura plantæ novimus, sed ex analogia fruticem bimetralem esse suspicamur. *M. argyrophyllæ* et *M. holosericeæ* affinis est, ab utraque tamen propter magnitudinem foliorum et paniculæ facile distinguenda. Rami supremi hornotini compressi quadranguli et fere quadrimarginati, sub foliis sulco profundiore insculpti; annotini non suppetebant. Folia 2 decim. et quod excedit longa, 10-12 centim. lata, interdum et minora, pagina superiore in herbario nigrescente aut etiam nigerrima, petiolis 3-4-centimetralibus. Paniculæ ferrugineæ subgraciles, foliorum fere longitudine, ramis primariis circiter centimetrum longis, tunc bifurcis et flore uno in dichotomia sessili terminatis, ramulis secundifloris. Fores quam in præcedentibus paulo minores. Calyces campanulati 5 dentati; dentibus reflexis, internis externisque pariter conspicuis. Petala obovata, 2 millim longa. Antheræ lineares subæquales, parum falcatæ, quam in *M. argyrophylla* paulo breviores et minus luteæ; connectivo antica basi bilobo, postica tuberculato. Ovarium infra medium adhærens, 3-loculare, stigmate punctiformi. — In Guyana gallica, Leprieur; Batavica, Hostman.

51. Miconia detergibilis DC., *l. c.*, 181.

M. fruticosa; ramis e compresso teretibus petiolis foliis junioribus paniculaque tomento denso adpresso rufescente obductis; foliis breviter petiolatis subcoriaceis pendulis elliptico-ovatis breviter apiculatis basi rotundatis aut subcordatis integerrimis, si adjiciantur nervi submarginales 5-nerviis, pagina superiore cito glabrata et tunc nitidula, inferiore tomentum semper retinente et idcirco flavicante; paniculis terminalibus racemiformibus aut pyramidatis, ramis ut plurimum semel dichotomis, ramulis secundifloris; floribus sessilibus 5-meris.

Miconiam detergibilem a *M. herpetica* non differre suspicamur, sed id pro certo nondum habemus. A *M. holosericea* remotior est nec cum ea facile confundetur illi qui utramque speciem attente consideravit. Imo jam primo intuitu tomenti color diversus diversas species esse indicat, nam dum in *M. holosericea* oculos canitie allicit, hic contra in flavum fulvumve vertitur. Folia pendula (saltem in speciminibus nostris), in prima

juventute utrinque pube stellata obducta, pagina superiore mox detersa, apiculo brevi terminata interdumque obtusissima, fortassis et subacuminata, 8-10 centim. longa, 5 aut paulo amplius lata, petiolo crasso vix centimetrali. Panicularum rami primarii in quibusdam speciminibus semel dichotomi, in aliis trichotomi (præsertim ad basim paniculæ et tunc rami secundarii ipsi dichotome dividuntur); flores in extremis ramulis seriatim dispositi secundi, haud raro primo adspectu subcongesti. Calyces turbinati, dentibus brevissimis. Petala inæquilatere obovata retusa, 5 millim. circiter longa. Stamina subæqualia; antheris lineari-subulatis 1-porosis, connectivo ad insertionem filamenti utroque latere in membranam laciniato-denticulatam expanso. Ovarium semiadhærens, 3-loculare. Stigma obtusissimum. In provincia *Minas geraes* Brasiliæ australis, Claussen.

52. Miconia anceps †.

M. fruticosa macrophylla; ramis supremis alternatim hinc et inde compressis ancipitibus, veterioribus subteretibus; foliis breviter petiolatis elliptico-ovatis ellipticisque breviter acuminatis, basi subacuta in petiolum nonnihil decurrentibus, integerrimis triplinerviis mature glabratis; paniculis terminalibus elongatis subracemosis, ramis omnibus semel dichotomis, ramulis duplici serie secundifloris; floribus sessilibus 5-meris.

Rami extremi compressi ancipites biangulati, angulo utroque nonnunquam submarginato et in petiolum folii superioris quasi confluente. Folia subcoriacea plana lævia, in prima ætate pube tenuissima pulverulenta utrinque afflata, mox glabrata, triplinervia, nervis lateralibus margini proximis unde fit ut primo intuitu fere penninervia videantur, 1 ½ - 2 decim. et quod excedit longa, 6-8 centim. lata, petiolis 1-2-centimetralibus. Paniculæ juniores pube minuta inconspicua cinerescentes racemiformes, ramis brevibus semel dichotomis, ramulis duplici serie secundifloris; post anthesim magis divaricatæ, ramulis elongatis fructus paucos globosos e majore florum numero retinentibus et tunc articulatis. Flores aperti aut etiam alabastra submatura in speciminibus nostris deficiebant. — In America æquatoriali prope *Mariquita*, Bonpland; in Peruvia, Pœppig.

53. Miconia bracteolaris †.

M. fruticosa macrophylla; ramis supremis e compresso teretibus petiolis paniculisque furfure adpresso rubiginoso obductis;

foliis petiolatis ovatis ovatove-oblongis acuminato-acutis basi rotundatis integerrimis glabratis, neglecto utroque nervo marginali 3-nerviis, paniculis terminalibus elongatis in prima ætate racemum mentientibus, ramis inferioribus in anthesi semel trichotomis, superioribus dichotomis; ramulis secundifloris; floribus in axillis bracteolarum persistentium sessilibus 5-meris.

Species ab omnibus conterminis facile distinguenda, cum *M. bracteolata* DC. minime confundenda. Rami supremi foliosi subcompressi, veteriores teretiusculi magis minusve glabrati. Folia in herbario nigrescentia, pagina inferiore pubem in nervis primariis retinentia, cæterum glabrata, 1 ½ - 2 decim. longa et fortassis etiam majora, 8-10 centim. lata, petiolis 2-4-centimetralibus. Paniculæ etiam post anthesim racemiformes; ramis breviusculis inter se subæqualibus, sæpius semel trichotomis; ramulis 10-15-floris, fructus pauciores plerumque retinentibus. Bracteolæ duplici serie ut flores ipsi ordinatæ, ovato-lanceolatæ, intus glabræ, extus tomentosæ, 2 millim. circiter longæ, ante florum explicationem floribus applicatæ et quasi imbricatæ, post anthesim subpatulæ et ramulum floribus defunctis orbum utrinque pectinatum efficientibus. Calyx campanulatus tomentosus breviter 5-dentatus. Petala obovato-cuneata retusa reflexa, 3-4 millim. longa. Antheræ lineari-subulatæ 1-porosæ, antica basi biauriculatæ, postica tuberculatæ aut breviter calcaratæ. Ovarium basi adhærens 3-4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. — In Guyana gallica, prope *Cayenne;* Martin, Leprieur.

Var. β *cardiophora*, præcedenti habitu simillima sed paniculis magis compositis, fere pyramidatis; ramis inferioribus bis terque divisis nec ut in altera simpliciter dichotomis aut trichotomis; bracteolis inflorescentiæ non conspicuis aut obsoletis; staminibus alternatim inæqualibus, majorum connectivo ad insertionem filamenti in membranam cordiformem postice deorsum acuminatam expanso, minorum biauriculato. Foliorum limbus basi interdum nonnihil bivesiculosus ut in Tococis. Forma fortassis pro semispecie habenda. — In Guyana gallica, prope *Cayenne*. Hanc habemus ex herbario Bonplandiano.

54. Miconia tiliæfolia †.

M. fruticosa elata aut subarborea macrophylla; ramis supremis paniculis petiolis foliorumque pagina inferiore pube minuta

stellata rufa tomentellis; foliis longiuscule petiolatis subcoriaceis late cordiformibus breviter acuminatis integerrimis 7-9-nerviis pagina superiore glaberrimis aut saltem mature glabratis; paniculis terminalibus, ramis semel dichotomis, ramulis secundifloris.

Species inter omnes Miconias nobis cognitas propter foliorum formam maxime conspicua et a qualibet alia facile discernenda. Rami, quantum e suprema parte ramuli floriferi quæ pro unico specimine nobis est judicare possumus, compresso-teretes aut obscure tetrahedri. Folia omnino cordiformia, pagina superiore in herbario nigrescentia, inferiore fulva aut rufa et tomento brevi adpresso creberrime punctulata, 8-14 centim. longa et lata aut etiam latiora quam longiora, petiolis sulcatis mediam limbi longitudinem subæquantibus. Rami paniculæ primarii semel dichotomi et flore unico in dichotomia sessili terminati, ramuli secundiflori 8-10-flori. Alabastra tenerrima in specimine nostro tantum suppetebant. — In montibus Boliviæ, prope *San-Yago de Chiquitos*, d'Orbigny.

55. Miconia lacera. — *Clidemia lacera* DC., *l. c.*, 164. — *Melastoma lacera* Bonpl., *Melast.*, tab. 5.

M. fruticosa: ramis petiolis paniculisque crinito-hispidis; foliis ovatis ovatove-lanceolatis acuminatis basi obtusis margine denticulatis, neglecto utroque nervo marginali trinerviis, villosis; paniculis terminalibus aut alaribus, ramis semel dichotomis, ramulis secundifloris; floribus sessilibus 5-meris; calycis dentibus internis laciniatis.

Frutex circiter 2-metralis, in diversissimis locis Americæ intertropicæ recurrens, ubique facile dignoscendus. Rami supremi (qui soli suppetunt in herbario nostro) teretes aut compressi et sulcati, setis longis rufis patulis fere criniformibus hirsuti. Folia latiora aut angustiora, 8-12 centim. longa, 3-5 lata, petiolis 1-2-centimetralibus. Paniculæ rufo-hirsutissimæ; ramis semel dichotomis et flore uno in dichotomia sessili terminatis; ramulis a se invicem divaricatis, 4-10-floris, pauciores fructus quam flores ut plurimum servantibus et tunc quasi articulatis. Calyces campanulati, dentibus internis obtusis laciniato setosis, externis brevibus tuberculiformibus paucisetosis. Petala obovata emarginata 3-4 millim. longa, alba. Stamina æqualia, antheris oblongis nonnil falcatis 1-porosis exappendiculatis. Ovarium semiadhærens 3-loculare, rarius 4-5-loculare. Bacca submatura globosa crassitudine seminis *Lathyri*

odorati. — In Martinica Antillarum, Plée; Republica novo-granatensi, Goudot; declivitatibus montis *Quindiu* et prope *Mariquita*, Bonpland; Imperio mexicano prope *Oaxaca*, ubi flores dicuntur luteoli, ad altitudinem 1000 metrorum, Galeotti.

56. Miconia racemosa DC., *l. c.*, 179. — *Melastoma racemosa* Aubl., *Guyane*, I, 406, tab. 156. — Bonpl., *Melast.*, tab. 27. — *Miconia barbigera*, *M. pileata* et *M. ciliata* DC., *l. c.* — *Melastoma ciliata* Bonpl., *l. c.*, tab. 28. — *M. articulata* Lamk., *Dict.*, IV, 56. = *Hartigia spectabilis* et *H. oblongifolia* Miq., *Linn.*, XVIII, 285. — *Miconia verruculosa* Steud., *Herb. Surin.*, n. 1613.

M. fruticosa aut suffrutescens sæpe macrophylla subglabra polymorpha; ramis supremis quadrisulcis mox teretibus ut plurimum glabris lævibus purpurascentibus, ad nodos haud raro setularum annulo cinctis; foliis petiolatis diversiformibus sæpius ovato-ellipticis acuminatis basi obtusis margine denticulatis ciliatis, in prima juventute pube minuta stellata conspersis mox glabratis, secus margines haud infrequenter purpureis, prætermisso nervo utroque submarginali 3-nerviis; paniculis terminalibus racemosis pyramidatisve, ramis semel di-trichotomis, ramulis secundifloris; floribus sessilibus 5-meris.

Formæ polyonymæ varietates numerosissimas hic in unam speciem contrahere necesse credidimus, nullam enim alicujus momenti differentiam nobis deprehendere contigit in diversis speciminibus quæ ab auctoribus et imprimis a Candollæo sub nominibus *M. racemosæ*, *M. barbigeræ*, *M. pileatæ* et *M. ciliatæ* descripta fuerunt. Minime mirandum est stirpem per immensas Americæ regiones diffusam, in campis et in montibus, in umbrosis et uliginosis sylvarum æque ac in siccioribus et apricioribus locis crescentem, habitum et vultum adeo mutare ut ab illis vix dignoscatur quibus pauca et manca aut juniora exemplaria tantum suppetunt; collatis autem inter se numerosissimis speciminibus non modo completis et varias ætates a prima anthesi ad maturationem fructuum sed etiam variationes exhibentibus quæ e locorum diversitate nascuntur, non potuimus quin illas omnes formas pro unica specie haberemus.

M. racemosa frutex est sesquimetralis, secundum loca elatior aut depressior, in vicinia aquarum, umbrosis nemorum et terris pinguioribus potissime luxurians. Rami ut plurimum glabri aut ad nodos setulis ornati, in quibusdam varietatibus setosi aut villosi. Folia in maximo

speciminum numero ovato-elliptica, in aliis obovata imo et lanceolata, nec minus quoad magnitudinem variabilia, siquidem reperiantur formæ apud quas vix 7-8 centim. longa sunt, dum apud alias 25-30 centim. longitudine excedunt; petiolis a centimetro ad 5 centim. variantibus. Paniculæ etiam diversiformes, in varietatibus depauperatis et pro specie microphyllis racemiformes et congestifloræ, in reliquis majores et magis pyramidatæ. Rami primarii dichotomi aut trichotomi; secundarii sæpius elongati secundiflori subscorpioidei, paucos fructus e numerosioribus floribus retinentes et tunc crebre articulati aut etiam ope bracteolarum minutarum quæ supersunt quasi serrati, rarius omnino contracti et tunc primo intuitu congestiflori. Calyx glaber aut glabellus, late campanulatus, limbo brevissimo 5-sinuato reflexo. Petala obovata retusa, 2 3 millim. longa, alba rosea aut purpurea. Stamina subæqualia subbiporosa nonnihil falcata, connectivo infra loculos non conspicuo, postice nonnunquam minute tuberculato. Ovarium maxima parte adhærens, 3-4-loculare, rarius 5-loculare. Stylus breviusculus subsigmoideus, stigmate obtuso punctiformi. Baccæ maturæ purpureæ edules, piso paulo minores. — Species ubique frequens; in Guyana gallica, Perrottet, Leprieur, Melinon; batavica, Kegel, Hostman, Kappler; anglica, Schomburgk; Imperio venezuelensi et novo-granatensi, Bonpland, Funck; in montibus frigidis Peruviæ, Bonpland; Brasilia septentrionali, Pœppig, Blanchet; America septentrionali prope *Mexico*, Galeotti; in plerisque Antillarum insulis, scilicet *Saint-Domingue*, Poiteau, Beauvois; *Porto-Rico*, Plée; *la Trinité*, Lockhead; in Jamaica, Wilson, etc,

Sequentes varietates fortassis distinguere bonum erit, scilicet:

β *pileata*, prospecie microphylla; foliis ellipticis, breviter petiolatis, 6-8 centim. longis; ramis petiolis foliorumque pagina inferiore villoso-hirsutis; panicula depauperata racemiformi, floribus abbreviatione ramulorum congestis. — In Brasilia septentrionali; Blanchet.

γ *lanceolata*, foliis longiuscule petiolatis oblongo lanceolatis acutissimis; panicula pyramidata; foliorum limbo $1\frac{1}{2}$-2 decim. longo, 4-5 centim. lato; petiolo 3-8-centimetrali. — In Jamaica. Planta a celeberrimo Hooker communicata.

δ *pluriloculáris*, foliis longiuscule petiolatis lanceolato-ellipticis subtus purpureis; panicula racemiformi, floribus subcongestis albis, ovario 5-loculari. — In montibus mexicanis prope *Mexico*, ad altitudinem 600-700 metrorum; Galeotti.

ε *latifolia*, foliis late ellipticis suborbicularibusque breviter petiolatis. — In Guyana batavica; Kegel.

Multas alias varietates reperire facile esset quas, ne plus æquo in una

specie hæreamus, posteris, si materies arridet, distinguendas nominandasque relinquimus.

57. Miconia Valtherii †.

M. fruticosa macrophylla; ramis supremis obtuse angulatis petiolis paniculisque tomento furfuraceo ferrugineo obductis; foliis elliptico-lanceolatis acuminatis basi subacutis margine repando-denticulatis subintegerrimisque 3-nerviis, pagina superiore glabratis, inferiore pube stellata tomentellis; paniculis terminalibus racemiformibus, ramis omnibus brevibus, infimis trichotomis, supremis dichotomis; ramulis secundifloris, floribus sessilibus 5-meris.

Frutex elegans macrophyllus, paniculis anguste pyramidatis aut potius racemiformibus densifloris distinctus, isophyllus et anisophyllus. Rami supremi compressi et sulcati, veteriores teretiusculi et tomento rufescente magis ac magis detersi. Folia 1 $\frac{1}{2}$ - 2 decim. et quod excedit longa, 6-8 centim. lata, interdum quoque minora, ab ipsa basi limbi 3-nervia, infra apicem remote et obtuse denticulata, pagina superiore glabra aut glabrata in herbario nigrescente, petiolis crassis, 1 - 1 $\frac{1}{2}$ -centimetralibus. Panicularum rami in tempore antheseos brevissimi crassiusculi, in ramulos 2-3 aut etiam plures recurvos secundifloros divisi. Bracteolæ, si adsunt, inconspicuæ. Calyces campanulati breviter 5-dentati, denticulis externis sub tomento vix perspicuis. Petala obovato-cuneata apice retusa, 3-4 millim. longa, alba?. Antheræ lineares subrectæ 1-porosæ, connectivo infra loculos minute bituberculato aut fere exappendiculato. Ovarium semiadhærens, 3-loculare. Stylus filiformis staminibus vix longior, stigmate dilatato-peltato. Fructus in specimine deficiebant. — In provincia *Rio de Janeiro* Brasiliæ meridionalis; Vauthier.

58. Miconia Goudotii †.

M. fruticosa macrophylla; ramis supremis subcompressis paniculisque pube indistincta adpressa rufescentibus, veterioribus teretibus; foliis breviter petiolatis ovato-lanceolatis acutis basi cuneata in petiolum supra canaliculatum decurrentibus integerrimis triplinerviis, in prima juventute utrinque pulverulento-tomentellis, mox pagina superiore glabratis; paniculis termina-

libus aut potius in dichotomia alaribus, subracemosis, ramis dichotomis, ramulis secundifloris; floribus 5-meris, ovario 5-loculari.

Rami supremi foliis onusti paniculaque terminati compressi subancipites, annotini magis ac magis teretes et glabrati. Folia 1 ½ - 2 decim. longa, 6-7 centim. lata, acuta non autem in acumen vere angustata, basi ut plurimum in petiolum decurrentia, juniora et nondum explicata tomentum stellatum detergibile in pagina superiore gerentia, mox glabrata et tunc in herbario nigerrima, subtus tamen pubem stellatam adpressam rufescentem semper retinentia, nervis lateralibus margini proximis cum medio circiter centimetrum supra basim limbi coalitis, petiolis semicentimetro vix longioribus. Paniculæ in anthesi fere terminales, mox, accretis ramulis qui ex axilla utriusque folii terminalis oriuntur, in dichotomia vere alares, in racemum dispositæ; ramis (saltem in specimine nostro) semel dichotomis subgracilibus, ramulis 3-6-floris; floribus secundis sessilibus. Calyces magis minusve conspicue 10-striati campanulati, dentibus brevissimis. Petala obovata retusa 2-3 millim. longa. Antheræ æquales, basi postica tuberculatæ, apice 1-porosæ. Ovarium semiadhærens 5-loculare. Stigma capitellatum. — In Imperio novogranatensi ubi ab incolis usurpatur ad conficiendum colorem vulgo dictum *Chica*; Justin Goudot.

59. MICONIA LEPIDOTA DC., *l. c.*, 180.

M. fruticosa (fortassis subarborea) micrantha; ramis supremis hinc et inde alternatim compressis paniculis foliorumque pagina inferiore pube indistincta albicantibus aut rufescentibus; foliis petiolatis rigidulis patulis aut pendulis ovatis acuminatis integerrimis 3-nerviis pagina superiore glaberrimis; paniculis terminalibus elongatis, ramulis extremis secundifloris; floribus sessilibus 5-meris.

Species, invito nomine, lepidibus omnino carens, sed in ramis supremis pube inconspicua canescente aut rufescente afflata. Rami extremi sub ipsa panicula alternatim compressi, vetustiores teretes nodosi in lignum indurati. Folia nonnihil coriacea, ab ipsa basi limbi, si excipiantur nervuli duo submarginales, trinervia, longius breviusve acuminata, basi obtusa, 10-12 centim. longa, 6-7 lata, petiolis 1-1½-centimetralibus. Inflorescentia in prima juventute fere racemiformis, in anthesi magis paniculata, ramis inferioribus paniculas secundarias formantibus, superioribus trichotomis dichotomisve, ramulis extremis

secundifloris paucifloris. Flores sessiles, calycibus campanulatis, limbo subintegro vix 5-sinuato. Petala nec genitalia suppetebant. — In Brasilia septentrionali, prope *Santarem*; Spruce.

60. Miconia longifolia DC., *l. c.*, 184, etiam *M. fulva* ejusdem, *l. c.*, 180. — *Melastoma fulva* Bonpl., *Melast.*, 23, tab. 11. — *M. longifolia* Aublet, *Guy.*, tab. 170. — Species ut videtur distincta a varietate β *tinctoria* DC. — Mart., *Herb.*

M. fruticosa sæpe dolichophylla minutiflora; ramis supremis quadrangulis subteretibusve paniculis foliorumque pagina inferiore lepidoto-rufescentibus; foliis breviter petiolatis oppositis verticillatisque oblongo-lanceolatis apice acuminatis basi acutis repando-dentatis integerrimisque trinerviis, pagina superiore glabris; paniculis terminalibus pyramidatis, ramis inferioribus multoties trichotomis; floribus ad apices ramulorum extremorum seriatis secundis 5-meris.

Ipsissima Bonplandii specimina habemus, sed incompleta sunt, nec nobis florem integrum præbuerunt. Species cæterum distinctissima est et facile ex habitu agnoscetur. Frutex est ramosus, circiter bimetralis. Folia sæpius solito more opposita, haud raro tamen terna aut quaterna in eodem nodo, 1-2 decim. longa, 2-5 centim. lata, 3-nervia et 5-nervia, basi angusta in petiolum canaliculatum nonnihil decurrentia, pagina inferiore in ipso velamine lepidum tenuissime punctulata (sub lente) et quasi poris cribrata, petiolis ½-1-centimetralibus. Panicularum rami quadranguli et quadrisulci. Flores minuti sessiles. Calyces breviter campanulati, dentibus subobsoletis. Petala obovato-rotundata, 1-1½ millim. longa, alba. — In Guyana gallica, prope *Cayenne*, Martin; insula Trinitatis, Lockhead.

Var. β *Aubletiana* foliis quam in typo multo minoribus, integerrimis aut vix margine repandulis; ramulis panicularum conspicue secundifloris. Varietas facile sed immerito pro specie propria habenda; huic potissime convenit icon Aubletiana in opere citato. — In Guyana anglica, Schomburgk.

7° *Paniculares. Paniculæ pyramidatæ aut thyrsoideæ, rarius corymbiformes breviores aut longiores. Flores in ramulis nunc sessiles congesti, nunc pedicellati et laxiores. Sectio species numerosas diversiformes includens, in duas alias inter se nimis analogas iterum divisa.*

§ 1. *Flores 5-meri et 4-meri. Antheræ lineares apice uniporosæ, rarissime subbiporosæ; connectivo basi postica breviter sed manifeste producto aut saltem tuberculato, nonnunquam calcarato, antice breviter bilobulato aut exappendiculato.*

a. Species floribus 5-meris distinctæ.

61. Miconia lævigata DC., *l. c.*, 188. — Eadem ac *M. pyramidalis* et *M. ceanothina* ejusdem auctoris. — *Melastoma lævigata* Aubl., *Guyane*, tab. 159. — *M. lævigata* et *M. pyramidalis* Desr. in Lamk., *Dict.*, IV, p. 52 et 53.

M. fruticosa ramosa submacrophylla glabra aut glabrata; ramis teretibus lævibus; foliis petiolatis ovatis oblongove-ovatis acuminatis basi rotundatis tenuiter serrulatis integerrimisque 3-5-nerviis glabris; paniculis terminalibus multifloris; floribus 5-meris.

Species distinctissima, male ab auctoribus in duas divisa, a *M. prasina* potissimum nervis ex ipsa basi limbi foliorum ortis discrepans. Folia decimetrum sesquidecimetrumve longa, 4-6 centim. lata, petiolo centimetrali aut paulo longiore. Paniculæ ferme decimetrales, subtiliter pulverulentæ, sæpe ab ipsa basi ramosæ; ramis secundariis sæpissime dichotome in ramulos duos secundifloros divisis, flore uno in dichotomia sessili terminatis. Calyx campanulatus, breviter 5-dentatus, dentibus internis externisque manifestis. Petala obovata integra aut apice subretusa, 2-3 millim. longa, alba aut rarius pallide rosea. Stamina subæqualia; antheris linearibus subrectis biporosis aut, deficiente septo medio, uniporosis; connectivo basi postica tuberculato, antica breviter bilobo, nonnunquam vix perspicuo et subnullo. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stigma punctiforme. — In Antillis frequentissima occurrit; hanc habemus e Guadalupa, Beaupertuis; *Porto-Rico*, Martinica, Steinheil, Riedlé; *Saint-Domingue*, Poiteau; et e multis aliis locis Antillarum quæ non designantur. Crescit etiam in Guyana, Aublet; prope *Caracas*, Linden; in Republica mexicana prope *Tampico* et *Real-del-Monte*, Berlandier; *Oaxaca*, *Xalapa* et in aliis locis, Galeotti.

62. MICONIA NICOTIANÆFOLIA DC., *l. c.*, 188. — *Melastoma nicotianæfolia* Desr. in Lamk., *Dict.*, IV, 53. — Estne etiam *Melastoma acinodendron* Linn.?

M. fruticosa macrophylla fere glaberrima; ramis subteretibus lævibus; foliis petiolatis ovatis acuminatis basi rotundatis margine denticulatis, adjecto nervo utroque submarginali 5-nerviis; paniculis terminalibus majusculis pyramidatis floribundis; floribus 5-meris.

Species (fortassis subarborea) *M. lævigatæ* proxima sed habitu ampliore prima fronte distincta. Folia longiuscule petiolata, glabra aut saltem mature glabrata, 12-18 centim. longa, 7-9 lata, petiolis 3-5-centimetralibus. Paniculæ pube tenui pruinosa rufescente mox decidua obductæ, floribus ad apices ramulorum solitariis-ternis, non autem glomeratis. Calyx campanulatus; dentibus brevibus, exterioribus ab interioribus vix distinguendis. Petala obovato-inæquilatera retusa alba, 3 millim. longa. Stamina subæqualia; antheris linearibus falcatis subbiporosis, loculis albicantibus, connectivo basi antica biauriculato, postica tuberculato. Ovarium maxima parte adhærens, 3-loculare. Stigma punctiforme. — In insula *Saint-Domingue;* Poiteau, Beauvois.

63. MICONIA MICROCARPA DC., *l. c.*, 189.

M. fruticosa; ramis supremis subteretibus tomentoso-hirtellis; foliis ovatis lanceolatove-ovatis longiuscule acuminatis basi subacutis aut cuneatis repando-dentatis trinerviis, pagina superiore glabris aut glabratis, inferiore pube inconspicua punctulatis; paniculis terminalibus pyramidatis; floribus ad apices ramulorum subcongestis 5-meris.

Forma, quanquam *M. lævigatæ* proxima sit, ab ea haud difficile discernenda foliis basi subacutis nec rotundatis, repando-dentatis nec tenuiter denticulatis; differt etiam paniculis quarum flores in extremis ramulis arctius et uberius congesti videntur. Folia, exceptis nervis marginalibus, 3-nervia, fere sesquidecimetrum longa, 6-7 centim. lata, petiolis 1-3-centimetralibus. Calyces campanulati, dentibus brevibus acutis denticulo externo instructis. Petala late obovata, apice rotundata, 3 millim. circiter longa. Antheræ non omnino æquales lineares 1-porosæ falcatæ; connectivo antica basi parum incrassato, postica in calcar breve membranaceo-applanatum producto. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stylus staminibus longitudine subæqualis, stigmate nonnihil dilatato

obtusissimo. — In Brasilia, loco haud designato ; Sellow. Planta nobis e Musæo regio Berolinensi communicata est.

64. MICONIA ALBO-RUFESCENS †.

M. fruticosa aut fortassis arborescens; ramis teretibus tomento rufescente aut rufo-cinereo obductis ; foliis coriaceis petiolatis ovatis apiculatis basi cordatis margine integerrimo subrevolutis 5-nerviis, pagina superiore glabrata, inferiore tomentoso-candicante; paniculis terminalibus pyramidatis; floribus sessilibus 5-meris.

Rami supremi obscure tetrahedri aut compressi, mox teretes; annotini etiam tomentum retinentes. Folia 6-8 centim. longa, 4-5 lata, coriacea, rigida, non vere acuminata, sed potius obtuse apiculata, adjectis nervis submarginalibus 5-nervia ; pagina superiore in prima ætate tomento denso floccoso obducta, mox detersa et glabrata, in herbario nigricante; inferiore tomentum retinente. Paniculæ circiter longitudine foliorum, ramis crassis, ramulis ultimis brevibus apice congestifloris. Calyces late campanulati, breviter 5-dentati, denticulis externis nullis aut saltem indistinctis. Petala obovata retusa inæquilatera, 2 millim. circiter longa. Stamina 10 æqualia ; antheris linearibus subrectis aut parum incurvis apice subbiporosis, connectivo postica basi in calcar breve producto. Ovarium semiadhærens 3-4-loculare. Stylus gracilis, stigmate punctiformi. Baccæ maturæ globosæ, oligospermæ, fere magnitudine seminis *Lathyri odorati*. — In provincia *Minas geraes* Brasiliæ, locis dictis *Cachoeiras* ; Claussen, *Cat.*, n° 154.

65. MICONIA PLANINERVIA †.

M. fruticosa megaphylla ; ramis supremis obscure tetrahedris mox omnino teretibus pulverulentis; foliis pro magnitudine breviter petiolatis ellipticis ellipticove-obovatis apice breviter acuminatis basi obtusis, margine repandulis aut integerrimis, præter nervum utrumque submarginalem 3-nerviis, fere glaberrimis; paniculis magnis terminalibus ; floribus ad apices ramulorum extremorum irregulariter confertis subsessilibus 5-meris.

Rami hornotini pennam anserinam crassitudine subæquantes, teretes aut sub panicula obsolete sulcati. Folia 2-2 ½ decim. longa, 11-12 centim. lata, supra glaberrima aut saltem mature glabrata, ad basim limbi

in angulis nervorum inter se coalitorum nonnihil vesicato-inflata ut in Tococis apud quas vesicarum rudimenta tantum suppetunt, subtus pube inconspicua conspersa et in angulis nervorum profunde foveolata, nervis primariis a latere compressis quasi complanatis et idcirco valde prominentibus. Paniculæ folia longitudine subæquantes, ramis subpatulis solitarie oppositis. Calyces oblongo-campanulati, limbo breviter 5-dentato, denticulis externis subinconspicuis. Petala obovata, apice truncata aut retusa, in flore aperto reflexa, 2 ½ millim longa, 1 ½ lata, alba. Stamina 10 æqualia exserta; antheris linearibus subfalcatis 1-porosis, connectivo infra loculos breviter producto et ad insertionem filamenti fere in membranulam dilatato; filamentis filiformibus tenuissimis. Ovarium maxima parte adhærens 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate nonnihil dilatato obtusissimo. — In provincia Reipublicæ venezuelensis dicta *Carabobo ;* Funck et Schlim; *Cat.*, n° 514.

66. Miconia pteropoda Benth. in Hook., *Journ. of bot.*, II, 314. — Walp., *Repert.*, II, 146.

M. fruticosa macrophylla vix non glaberrima; ramis supremis compressis, veterioribus subteretibus; foliis breviter petiolatis ovatis acuminatis basi rotundata in petiolum decurrentibus integerrimis, neglecto utroque nervulo marginali, triplinerviis; paniculis terminalibus majusculis pyramidatis multifloris; floribus brevissime pedicellatis 5-meris.

Quamvis ad *Miconiam pteropodam* Benth. specimina Musæi parisiensis retulimus, aliquid dubii, propter Benthamii nimis imparem descriptionem, in mente tamen superest. Rami supremi in prima juventute pube pulverulenta vix perspicua ut folia novella et paniculæ afflati, mox glabrati, alternatim hinc et inde compressi, non autem ancipites. Folia adulta glaberrima aut sparsim pube stellata inconspicua punctulata, in nervis paginæ inferioris diutius pulverulenta, basi rotundata et haud raro quasi cordata sed in medio abrupte angustata et fere usque ad basim petioli decurrentia, 1-1 ½ decim. longa, 7-9 centim. lata, in herbario nigrescentia aut virorem quemdam obscurum (in pagina inferiore præsertim) servantia; petiolis circiter centimetralibus. Paniculæ in anthesi terminales, demum, accretis ramulis lateralibus, in dichotomia alares. Flores in ramulis glomerato-approximati non autem congesti, sessiles aut breviter pedicellati. Calyces campanulati aut suburceolati, haud raro 10-costati, dentibus brevibus denticulum externum tuberculiformem gerentibus. Petala obovata subretusa, 3 millim. longa, alba? Antheræ subæquales subulatæ, connectivo infra loculos antice vix conspicue

bituberculato, postice in calcar breve lamellosum producto. Ovarium semiadhærens 3-4-loculare. Stigma punctiforme. — In Guyana gallica prope *Cayenne*, Martin, Leprieur.

67. MICONIA KAPPLERII †.

M. fruticosa macrophylla floribunda micrantha vix non glaberrima; ramis supremis alternatim hinc et inde compressis fere complanatis; foliis petiolatis oblongo-ovatis acuminatis basi angustata in petiolum nonnihil decurrentibus integerrimis trinerviis; paniculis magnis thyrsoideis aut pyramidatis; floribus ad apices ramulorum approximatis corymbos interdumque umbellas mentientibus, ut plurimum breviter pedicellatis 5-meris.

Frutex primo intuitu quamdam affinitatem cum *M. pyrifolia* sibi vindicans, multis characteribus autem ab illa distinctus. Rami hornotini (qui soli nobis suppetunt) compressi et fere ancipites. Folia in herbario nigrescentia mature glabrata, haud raro tamen quamvis adulta pubem lepidotam sub lente conspicuam in pagina superiore retinentia, in pagina inferiore glaberrima, a basi limbi 3-nervia relictis nervulis duobus margini proximis, sesquidecimetrum circiter longa, 7-8 centim. lata, petiolis 1-2-centimetralibus. Paniculæ late pyramidatæ, ubertate florum conspicuæ et in tempore antheseos staminibus quasi horridæ, rachi ramisque primariis sulcatis glabratis aut pube adpressa rufescente sparsim pruinosis. Calyces minuti campanulati, dentibus brevissimis fere inconspicuis. Petala obovata reflexa, 1 millim. vix excedentia, alba ?. Antheræ rectæ albicantes, connectivo basi postica in calcaneum breve producto, antica exappendiculato. Ovarium basi adhærens 3-loculare. Stylus filiformis stigmate clavato obtuso terminatus. — In Guyana batavica, secus flumen *Karouany*; Kappler. Hanc sub nomine *M. lepidotæ* a celeberrimo Steudelio per errorem inscriptam e sylloge Hohenackeriana recepimus.

68. MICONIA MELANODENDRON. — Nonne eadem ac *M. myriantha* Benth.?

M. arborescens? glabra aut subglabra micrantha; ramis subteretibus; foliis petiolatis ovato-oblongis acuminatis basi subobtusis subacutisque margine sinuatis aut integerrimis 3-nerviis;

paniculis terminalibus pyramidatis latis floribundis ; floribus brevissime pedicellatis 5-meris.

Species polymorpha, e multis locis oriunda, pluribus speciebus Candollæanis in primis autem *Cremanio pusillifloro* conveniens, nec fortasse a *M. myriantha* diversa, nobis tamen dubitantibus melius sub incerto nomine *M. melanodendri* describenda. Rami ultimi obtuse tetrahedri, mox subteretes, in prima juventute pube ferruginea in sulcis aut ad nodos tomentosi, demum glabri et ut videtur fuscescentes. Folia in herbario nigra aut nigrescentia, ut plurimum integerrima, glabra, in acumen longiusculum producta, 8-12 centim. longa, 2-3 lata; petiolis circiter centimetralibus. Panicularum rami subpatuli, flores in extremis ramulis conferti. Calyces in speciminibus exsiccatis nigerrimi, late campanulati, 5-dentati, dentibus simplicibus haud infrequenter obsoletis. Petala ovata, apice attenuato obtusa sed integra, reflexa, sesquimillimetrum longa. Stamina 10 æqualia, antheris linearibus rectis aut parum incurvis, antice luteolis, apice subbiporosis, connectivo postica basi in calcar breve producto. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stigma subclavatum. — In Brasilia septentrionali, Martius, Salzman; meridionali, Claussen; Peruvia subandina, Pœppig.

69. Miconia cuspidata †.

M. fruticosa, fortassis subarborescens, fere glaberrima; ramis supremis gracilibus teretibus; foliis breviter petiolatis oblongo-ovatis ovatisve, apice in acumen longum angustum acutissimum productis, basi rotundatis, integerrimis 3-nerviis; paniculis terminalibus laxiusculis; floribus ut plurimum pedicellatis 5-meris.

Rami hornotini vix crassitie pennæ columbinæ, superius pulverulenti, inferius glabrati. Folia longitudine acuminis insignia, 7-10 centim. longa, 2-3 lata, in herbario nigrescentia, acumine latitudinem limbi ipsius longitudine æquante aut etiam superante, petiolo 5-6-millimetrali, superne canaliculato. Florum pedicelli 2-4-millimetrales. Calyces campanulati, dentibus triangulari-acutis vix non simplicibus. Petala obovato-elliptica, 4-millim. longa. Stamina 10 manifeste inæqualia; antheris linearibus subrectis aut vix incurvis apice biporosis, connectivo sub loculis antice biauriculato (præsertim in staminibus 5 majoribus), postice in calcar breviusculum producto. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stigma punctiforme. Affinis est *M. melanodendro* et fortassis *M. myrianthæ* Benth. a quibus differt floribus paulo majoribus et pani-

cula depauperata. — In insula fluminis Amazonum dicta *Colares;* Pœppig.

70. Miconia pyrifolia †.

M. fruticosa (fortassis subarborea) vix non glaberrima ; ramis supremis obtuse tetragonis, veterioribus teretibus nodosis ; foliis petiolatis subcoriaceis elliptico-ovatis acuminatis basi etiam subacutis integerrimis triplinerviis ; paniculis pyramidatis , ramulis extremis tri-multifloris ; floribus ut plurimum breviter pedicellatis 5-meris.

Species cum *M. Martiusiana* DC. nonnullam similitudinem præbens , quantum e celeberrimi auctoris descriptione judicare possumus. Folia rigidula subcoriacea glaberrima breviuscule acuminata , basi magis minusve acuta in petiolum haud raro breviter decurrente unde fiunt triplinervia si negligantur nervuli duo marginales, 7-10 centim. longa, 4-5 lata, petiolis circiter sesquicentimetralibus. Paniculæ in prima ætate pube stellata rara pruinosæ mox glabratæ, floribus ad apices ramulorum magis minusve approximatis , numerosioribus aut paucioribus, nonnunquam umbellulas mentientibus, breviter sed manifeste pedicellatis, rarius omnino sessilibus. Calyces campanulati, in herbario nigrescentes, dentibus brevissimis obtusis et fere inconspicuis. Petala obovata reflexa alba, vix 2 millim. longa. Stamina subæqualia aut æqualia; antheris linearibus subrectis apice attenuato 1-porosis; connectivo antica basi bituberculato, postica breviter calcarato. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stigma subclavatum. — In Brasilia septentrionali prope Bahiam ; Blanchet.

71. Miconia centrodesma †.

M. fruticosa macrophylla micrantha vix non glaberrima ; ramis supremis subteretibus lævigatis ; foliis mollibus petiolatis late elliptico-ovatis acuminatis basi subacutis margine undulato-sinuatis aut potius integerrimis vix conspicue ciliolatis cæterum glabris, adjecto utroque nervulo submarginali quintuplinerviis ; paniculis laxifloris in dichotomia ramorum alaribus, fortassis et terminalibus, ramis patulis ; floribus subsessilibus 5-meris.

Species specimine unico et manco nobis tantum cognita , *Miconiæ trichotomæ* primo adspectu affinis , sed foliis majoribus et mollioribus

instructa et ex America continente oriunda. Folia 2 - 2½ decim. longa, 12-14 centim. lata, petiolis 4-5-centimetralibus subgracilibus. Paniculæ foliis duplo triplove breviores, rachi ramisque gracilibus pube pulverulenta rara mox decidua conspersis. Calyces campanulati, limbo fere integerrimo denticulos externos vix conspicuos gerente. Petala obovata, apice integra et obtusa, in flore aperto reflexa, vix 2 millim longa. Stamina 10 subæqualia, antheris minutis linearibus falcatis uniporosis, connectivo postica basi in calcar longiusculum deorsum vergens producto. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. — In Brasilia, loco haud indicato; Martius, *Herb.* n° 498.

72. Miconia rubiginosa DC., *l. c.*, 183. — *Melastoma rubiginosa* Bonpl., *Melast.*, tab. 47.

M. fruticosa; ramis teretibus petiolis nervisque foliorum tomento denso rubiginosis; foliis subcoriaceis ovatis breviter acuminatis aut apiculatis basi rotundatis integerrimis præter nervos submarginales 3-nerviis; paniculis terminalibus pyramidatis thyrsoideisve confertifloris; floribus ad apices ramulorum aggregatis subsessilibus 5-meris.

Species decora conspicua, fere omnibus partibus tomentoso-ferruginea aut rubiginosa; ramis hornotinis calamum scriptorium crassitudine æmulantibus, pube adpressa densa stellata obductis. Folia brevius longiusve ovata rigidula, marginibus haud infrequenter revoluta, basi integra aut subcordata, in prima ætate undique tomentoso-rubiginosa, pagina superiore demum magis ac magis glabrata sed pubem nonnullam stellatam etiam quum adoleverunt retinentia, inferiore semper tomentoso-rufescentia, decimetrum circiter longa, 5-6 centim. lata, petiolis ferme centimetralibus. Paniculæ foliis paulo longiores, tomentoso-ferrugineæ; ramis pluribus sæpe in eodem nodo oppositis; floribus secus ramulos extremos et ad illorum apices aggregatis non autem congesto-capitatis. Calyces campanulati, limbo subintegro id est edentato aut brevissime et obtusissime 5 lobo, denticulis externis obsoletis aut nullis. Petala obovata apice rotundata nec manifeste retusa, 2 millim. circiter longa, alba. Stamina 10 æqualia, antheris angustis linearibus 1-porosis, connectivo basi postica in calcar breviusculum acutum deorsum vergens producto. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stigma subclavatum. — In multis locis Americæ meridionalis; Columbia, Funck; Nova-Granata, Goudot; Brasilia septentrionali prope Bahiam, Blanchet, et prope *Santarem*, Spruce; meri dionali, Claussen; prope *Panama*, Duchassaing.

Var. β. *platyura*, foliis quam in var. α oblongioribus; calyce 5-dentato, petalis retusis; connectivi calcare postico dilatato subcordiformi. Habitu a præcedente nonnihil discrepat sed illi affinior visa est quam ut pro specie genuina haberetur. — In regione Caracasana prope *Cumana*; Funck.

73. Miconia dolichorrhyncha †.

M. fruticosa; ramis e compresso teretibus paniculis pètiolis foliorumque pagina inferiore tomento adpresso rufescentibus aut rubiginosis; foliis ovato-ellipticis apice in acumen angustissimum longe productis basi rotundatis integerrimis 3-nerviis; paniculis terminalibus subdivaricatim ramosis; floribus secus ramulos et in apicibus illorum digestis breviter pedicellatis 5-meris.

Species primo intuitu *M. rubiginosæ* affinis, ab ea propter acumen longum angustum sublineare folia terminans facile distinguenda. Rami hornotini penna anatina vix crassiores, superius subcompressi, inferius subteretes. Foliorum limbus absque acumine 10-12 centim. longus, adjecto acumine sesquidecimetrum sæpe excedens, 4-6 centim. latus, pagina superiore tomentum stellatum cito exuens; petiolo crasso furfuraceo circiter centimetrali. Calyces campanulati, limbo brevissime 5-lobo aut subintegro, denticulis externis fere obsoletis. Petala obovata subintegra, 2 millim. longa. Antheræ 10 æquales lineares, apice poris duobus fere in rimas productis dehiscentes, connectivo postica basi breviter et obtuse calcarato. Ovarium paulo supra medium adhærens 3-loculare. Stigma obtusum. — In Peruvia; Mathews. Specimen a clarissimo Hooker communicatum.

74. Miconia cecidophora †.

M. fruticosa? primo intuitu glabra submacrophylla; ramis teretiusculis parum conspicue pulverulentis; foliis petiolatis late lanceolatis acuminatis basi subacutis margine repandulis, prætermisso utroque nervo submarginali trinerviis, vix non glaberrimis; paniculis terminalibus (fortassis et alaribus) brevibus confertifloris; floribus breviter pedicellatis 5-meris.

Utrum frutex an arbuscula sit nescimus. Rami supremi hornotini pulvere cinerescente adpresso sub lente visibili obducti, subteretes. Folia pube inconspicua rara passim punctulata cæterum glabra, sesquideci-

metrum aut duo decimetra longa, 5-6 centim. lata, petiolis uni-sesqui-centimetralibus. Paniculæ magis minusve divaricatæ, interdum subglobosæ, foliis multo breviores. Calyces omnino campanulati membranacei 5-dentati, dentibus latis acutis quasi simplicibus aut extus sub apice vix callosis. Petala oblongo-obovata sublinearia apice integra reflexa, 4 millim. longa. Stamina 10 subæqualia, antheris linearibus 1-porosis, connectivo antica basi breviter biauriculato, postica in calcar breve producto. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stylus gracilis, stigmate obtuso punctiformi. — In campis Peruviæ dictis *Pampa del Sacramento*, Castelnau.

75. MICONIA STICTOPHYLLA †.

M. fruticosa submacrophylla; ramis supremis compressis, vetustioribus teretibus; foliis breviter petiolatis late lanceolatis utrinque acuminatis basi in petiolum decurrentibus sinuato-repandulis, adjecto nervo utroque margini proximo quintuplinerviis, pagina superiore glabris aut glabratis, inferiore tomento stellato adpresso crebro subtiliter punctulatis; paniculis terminalibus pyramidatis floribundis; floribus sessilibus 5-meris.

Rami supremi juniores compressi tomento inconspicuo stellato obducti. Folia sesquidecimetrum et quod excedit longa, 5 centim. lata, petiolis cum limbo confluentibus ideoque brevissimis. Rami panicularum fere spiciformes floribus undique sed irregulariter onusti. Calyces campanulati, limbo fere integerrimo aut obscure 5-sinuato, denticulis externis ad tuberculum indistinctum reductis. Petala late obovata retusa inæquilatera, sesquimillimetrum et quod excedit longa et lata, alba. Stamina 10 æqualia, antheris linearibus angustis falcatis 1-porosis, connectivo ad insertionem filamenti in membranulam fere cordiformem expanso, filamentis tenuissimis capillaribus. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stylus gracilis, stigmate nonnihil dilatato. Primo intuitu *Miconiæ Goudotii* similitudinem refert, sed ab ea discrepat inflorescentia, calycis staminumque fabrica necnon ovarii loculorum numero. — In provincia *Mariquita* Novæ-Granatæ, ad altitudinem 600 metrorum; Linden, *Cat.*, n° 1154.

76. MICONIA LIGUSTROIDES. — *Cremanium ligustroides* DC., *l. c.*, 194.

M. arborescens aut fruticosa elata glaberrima pro genere submicrophylla; ramis supremis obscure 4-gonis mox teretibus;

foliis brevissime petiolatis ovatis subacuminatis acutis basi rotundatis margine subrepandulis aut integerrimis præter nervulos marginales obsoletos 3-nerviis; paniculis terminalibus pyramidatis floribundis; floribus brevissime pedicellatis 5-meris.

Arbuscula 5-7-metralis. Folia 4-6 centim. longa, 2-3 lata, ut plurimum ovata vel oblongo-ovata in herbario nigrescentia aut virorem quemdam retinentia, petiolis 2-3-millimetralibus nec raro subnullis. Calyces turbinato-campanulati, dentibus brevissimis dorso callosis. Petala late obovata, sesquimillimetrum longa et lata, alba. Stamina 10 æqualia, antheris linearibus rectis 1-porosis (poro nonnunquam in duos quasi diviso), connectivo postica basi in calcar breve acutum producto. Ovarium semiadhærens minutum 3-4-loculare. Stylus apice clavatus, stigmate obtusissimo. Baccæ maturæ globosæ circiter crassitudine seminis cannabini. — In locis subhumidis Brasiliæ tum meridionalis quum septentrionalis haud rara; hanc habemus e provincia *Minas geraes*, Riedel, Claussen; e vicinia urbium Sancti-Pauli, Gaudichaud; *Rio de Janeiro*, Dupré; *Bahia*, Blanchet.

77. MICONIA CINNAMOMIFOLIA. — *Cremanium cinnamomifolium* DC., *l. c.*, 194.

M. arborescens? ramosa vix non glaberrima micrantha; ramis supremis obscure tetrahedris mox teretibus; foliis petiolatis elliptico-ovatis breviter acuminatis basi etiam subacutis integerrimis 3-nerviis; paniculis terminalibus thyrsoideis contractis; floribus brevissime pedicellatis 5-meris.

Rami hornotini pube pulverulenta parca sæpe conspersi mox glabrati, annotini nodosi. Folia (pro genere subparva) 3-4 centim. longa, 1 ½-2 lata, nonnihil coriacea et rigidula, utraque pagina lævia, petiolis ut plurimum semicentimetralibus. Paniculæ confertifloræ foliis subæquilongæ. Calyces late campanulati breviter 5-dentati, denticulis externis nullis aut subnullis. Petala obovata, apice rotundata et integra, in flore explicato reflexa, ferme sesquimillimetrum longa. Stamina 10 æqualia; antheris lineari-oblongis rectis aut subrectis uniporosis, connectivo basi postica in calcar brevissimum producto. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stylus staminibus æquilongus sursum subclavatus, stigmate obtusissimo sed non dilatato. Species habitu *Miconiam ligustroidem* proxime refert. — In provincia Sancti-Pauli Brasiliæ meridionalis; Gaudichaud, Guillemin.

78. Miconia rubens. — *Cremanium rubens* DC., *l. c.*, 191. — *Melastoma polygama* Bonpl., *Herb. ined.*

M. fruticosa (fortassis arborea) glaberrima minutiflora ; ramis obtuse et obscure 4-hedris, annotinis nodosis ; foliis petiolatis ovato-ellipticis aut late lanceolatis acuminatis basi etiam acutis subtiliter denticulatis 3-nerviis; paniculis terminalibus pyramidatis, floribus brevissime pedicellatis 5-meris (fortassis et 4-meris).

Folia 6-8 centim. longa, 2-3 lata, prætermissis nervis marginalibus trinervia, sinuato-denticulata, petiolis 1-1 ½-centimetralibus. Calyces sub anthesi fere globosi, omnium minimi, semine *Brassicæ oleraceæ* multo minores, in anthesi late campanulati, dentibus brevibus subacutis, denticulis externis inconspicuis aut nullis. Petala obovata, apice integra, reflexa, circiter millimetrum longa. Stamina 10 æqualia ; antheris lineari-oblongis rectis 1-porosis, connectivo postica basi breviter calcarato. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stylus gracilis staminibus æquilongus, stigmate nonnihil dilatato. Fructus nobis ignoti. Candollæum erravisse opinamur quum hanc speciem flore 4-mero esse donatam monuit. — In Antillis, fortassis Jamaica, sed locus certus non adscribitur in herbario parisiensi. Specimina nostra ex herbario Bonplandiano recepta fuerunt.

79. Miconia tristis Spring, *Flora*, XX, 76, ex auctoritate Martii, *Herb. Flor. Bras.*, 19. — Walp., *Repert.*, II, 147.

M. subarborea glaberrima submicrantha ; ramis vetustioribus lignosis nodosis ; foliis rigidulis petiolatis elliptico-lanceolatis utrinque acuminatis integerrimis aut parum conspicue repandulis 3-nerviis ; paniculis terminalibus subterminalibusque confertifloris ; floribus breviter pedicellatis 5-meris.

Rami supremi subgraciles subtortuosi, obscure tetrahedri, mox teretiusculi. Folia 7-9 centim. longa, 2 ½ - 3 lata, in acumen acutum apice producta, basi angustata et in petiolum 5-10-millimetralem supra canaliculatum confluentia, nervulis transversis crebris subparallelis. Paniculæ numerosæ, foliis paulo breviores, terminales necnon in axillis foliorum superiorum axillares, multifloræ. Flores pedicellis propriis 1-3-millimetralibus suffulti. Calyces late campanulati, limbo subintegro, denticulorum externorum rudimentis ut plurimum destituto. Petala obovata apice rotundata reflexa, sesquimillimetrum longa, ut

videtur alba. Stamina 10 æqualia, apice poris duobus in unum confluentibus aperta; antheris lineari-oblongis nonnihil recurvis, connectivo sub loculis manifesto, antice autem exappendiculato, postice in membranulam brevem calcariformem vix conspicuam desinente. Ovarium globosum semiadhærens 3-4-loculare. Stigma punctiforme. Baccæ submaturæ globosæ circiter crassitudine seminis cannabini. — In Brasilia australi, locis variis provinciarum *Minas geraes* et *Rio de Janeiro*; Martius, Gaudichaud, Guillemin, Claussen.

b. Species floribus 4-meris insignes.

80. Miconia Rivœriæ †.

M. fruticosa submacrophylla minutiflora subglabrata; foliis petiolatis ovatis acuminatis basi sæpius obtusis et rotundatis integerrimis prætermisso utroque nervo marginali subtriplinerviis mature glabratis; paniculis terminalibus confertifloris, ramulis extremis 3-7-floris; floribus sessilibus 4-meris.

Rami supremi paniculæ et petioli pulverulento-rufescentes, demum glabrati. Folia magnitudine et forma variabilia, nunc late ovata aut elliptica, nunc ovato-oblonga, brevius longiusve acuminata, 10-15 centim. longa, 5-9 lata, nervis lateralibus e medio paulo supra basim orientibus ideoque fere triplinervia, petiolis 1-3-centimetralibus. Flores minuti, ad apices ramulorum densius laxiusve congesti, 4-meri (fortassis et aliquando 5-meri). Calyces campanulati, dentibus brevissimis callosis. Petala $1-1\frac{1}{2}$ millim. longa et lata retusa reflexa alba aut rosea. Stamina 8 subæqualia, antheris oblongis apice obtuso 1-porosis, connectivo basi postica brevissime calcarato aut tuberculato. Fructus nobis ignoti. In insula Martinica legit celeberrima virago Rivoire; in Guadalupa, Lherminier.

81. Miconia plebeia †.

M. fruticosa, fortassis arborescens; ramis supremis subteretibus tomentoso-rufis, vetustioribus glabratis; foliis petiolatis oblongo-ovatis acuminatis basi rotundatis integerrimis 3-nerviis, in prima ætate utrinque pube stellata obductis, mox supra glabratis; paniculis terminalibus pyramidatis floribundis; floribus subsessilibus aggregatis 4-meris.

Species floris partium numero quaternario conspicua, fortassis et 5-mera. Folia 6-8 centim. longa, 2-3 lata, pagina superiore in herbario nigricantia. inferiore pubem stellatam furfuraceam obscure rufescentem

retinentia, marginibus nonnihil revoluta, petiolis 3-6-millimetralibus. Calyces campanulati 4-dentati, dentibus erectis simplicibus. Petala obovata retusa inæquilatera, in flore aperto reflexa, sesquimillimetrum longa, ut videtur alba. Stamina 8 æqualia, antheris linearibus rectis 1-porosis, connectivo antica basi minute bituberculato, postica brevissime et obtusissime calcarato. Ovarium maxima parte adhærens 3-loculare. Stylus gracilis exsertus, stigmate subclavato obtuso. — In Guyana anglica loco dicto *Roraima;* Schomburgk, *Cat.* n° 934.

82. Miconia fragilis †.

M. fere glaberrima submicrantha; ramis superioribus obtuse tetrahedris tomento adpresso inconspicuo rufescentibus; foliis petiolatis oblongo-ovatis in acumen angustum productis basi subrotundatis interdumque subacutis, margine repandulis subintegerrimisve, triplinerviis, pagina superiore glaberrima nitentibus; paniculis terminalibus pyramidatis floribundis; floribus brevissime pedicellatis 4-meris.

Species fortassis arborescens. Folia 7-10 centim. longa, $2\frac{1}{2}$-3 lata, pagina superiore glaberrima aut saltem mature glabrata quasi vernicosa et lucida, in herbario nigerrima et fragilia, inferiore pube minuta inconspicua conspersa, virorem obscurum aut cinerescentem retinentia, nervis lateralibus vix supra basim limbi cum medio coalitis; petiolis gracilibus sesquicentimetralibus. Panicula e pluribus secundariis constans quarum una terminalis est reliquæ autem axillares. Flores subsessiles. Calyces late campanulati 4-dentati, dentibus latis subacutis denticulo externo minuto instructis. Petala oblongo obovata, 2 millim. et quod excedit longa, apice integra, ut videtur alba. Stamina 8 æqualia; antheris linearibus subrectis subbiporosisque, connectivo postica basi breviter et obtuse calcarato. Ovarium semiadhærens 2-3-loculare. Baccæ maturæ globosæ semine cannabino paulo crassiores. — In Guyana gallica prope *Cayenne;* Martin.

83. Miconia pusilliflora. — *Cremanium pusilliflorum* DC., *l. c.*, 194. — *C. pusillum* Cham., *Herb. reg. Berol.*

M. subglabra micrantha; ramis subteretibus gracilibus, supremis furfure pulverulento parco punctulatis mox glabratis et lævibus; foliis petiolatis elliptico-lanceolatis apice in acumen longum angustum productis basi acutis margine vix conspicue

repandulis aut potius integerrimis præter nervulos marginales subtriplinerviis glabris ; paniculis terminalibus, floribus pedicellatis 5-meris.

Species nobis speciminibus non omnino completis tantum cognita, pluribus aliis affinis, denticulorum externorum calycis longitudine tamen a plerisque discrepans. Rami supremi graciles teretes aut parum compressi. Folia, adjecto acumine, 10-12 centim. longa, 3 et quod excedit lata, sæpe etiam multo minora, nervis lateralibus cum medio pauca millimetra supra basim limbi acutam coalitis et idcirco subtriplinervia, petiolis circiter centimetralibus. Paniculas integras non vidimus. Calyces campanulati, denticulis exterioribus subulatis acutis, dentes interiores obtusos manifeste superantibus. Petala oblongo-obovata, apice rotundata et integra, 3 millim. longa. Stamina 10 æqualia, antheris linearibus apice 1-porosis rectis aut vix recurvis, postica basi tuberculatis aut brevissime calcaratis. Ovarium usque ad apicem adhærens 3-loculare. Stylus gracilis, stigmate punctiformi. — In Brasilia, loco non designato ; Sellow. Specimina nobis e Musæo regio Berolinensi communicata fuere.

§ 2. *Flores ut plurimum 5-meri, rarius 4-6-meri. Antheræ nunc lineares nunc ovoideo-oblongæ uniporosæ connectivo postica basi mutico aut vix conspicue incrassato, antica bilobo biauriculatove aut omnino exappendiculato.*

84. Miconia prasina DC. *l. c.*, 188. — Eadem ac *M. attenuata*, *M. affinis* et *M. sepiaria* DC. — *Melastoma prasina* Swartz, *Flor. Ind. occ.*, II, 777. — *M. parviflora* Aubl., *Guyane*, tab. 171. — Desr. in Lamk., *Dict.*, IV, 52. — *Miconia crispula* Spruce, *Herb.* — *M. macrophylla* Steud., *Flora*, XXVII, 723.

M. fruticosa elata submacrophylla glabra aut glabrata ; ramis obtuse tetrahedris subteretibusque ; foliis petiolatis ellipticis apice acutis basi acuminatis et in petiolum decurrentibus repando-dentatis aut subintegerrimis, tripli-quintuplinerviis ; paniculis terminalibus magnis pyramidatis floribundis ; floribus 5-meris.

Frutex magnus subarboreus 3-5-metralis, immensum spatium Americæ meridionalis et Antillas occupans, ubique frequens et propter

locorum diversitatem nonnihil variabilis, a reliquis speciebus tamen characteribus certis semper dignoscendus. Rami supremi (quales suppetunt in herbariis) pennam anserinam crassitie ut plurimum æmulantes, nunc graciliores, nunc etiam crassiores, lævigati Folia 1-2 decim. longa, 5-8 centim. lata, glaberrima (saltem quum adoleverunt), etiam in herbario virentia, rarius nigrescentia, basi gradatim attenuata et in petiolum decurrentia unde fit ut nervi laterales e medio paulo supra basim limbi nascantur, quo charactere species hæc a *M. lævigata* potissime discrepat. Paniculæ floribundæ subtiliter pulverulentæ; ramis patulis trichotomis, ramulis multifloris; floribus nunc in glomerulos approximatis, nunc subsecundis. Calyces campanulati, dentibus brevibus subobsoletis. Petala obovata retusa, alba aut pallide rosea, 2 millim. longa. Stamina subæqualia; antheris linearibus 1-porosis falcatis, connectivo infra loculos antice bicalcarato aut saltem bituberculato. Ovarium semiadhærens 3-4-loculare. Stylus filiformis, stigmate obtuso aut etiam subclavato. — In Brasilia meridionali, Gaudichaud, Claussen, Vauthier, Martius; septentrionali, Blanchet, Salzmann; Guyana gallica, Mélinon, Leprieur; Batavica, Hostman, Leschenault; insulis Antillanis, *Saint-Thomas* et *Saint-Domingue*, Poiteau, Riedlé; *Porto-Rico*, Plée, etc. Multa etiam alia specimina habemus ex herbario Bonplandiano quorum locus natalis non designatur.

85. MICONIA ALATA DC., *l. c.*, 184. — *M. pterophora* Miquel, *Linn.*, XVIII, 622. — Walp., *Repert.*, V, 719. — *Melastoma alata* Aubl., *Guyane*, I, 410, tab. 158.

M. fruticosa macrophylla; ramis 4-gonis quadrialatis tomentellis; foliis subsessilibus sessilibusve ovato-ellipticis utrinque acuminatis integerrimis tripli-quintuplinerviis, pagina superiore puberula aut subglabrata, inferiore mollius densiusque tomentosa; paniculis terminalibus majusculis pyramidatis floribundis; floribus sessilibus 5-meris.

Frutex circiter bimetralis, e peculiari ramorum tetrapterorum charactere facile semper dignoscendus. Folia 1 ½-2 decim. longa, 6-9 centim. lata, limbo ad basim in petiolum decurrente unde fiunt subsessilia et quintuplinervia si adjiciantur nervi submarginales. Panicularum rami brachiati 4-pteri multoties trichotomi, ramulis extremis nonnihil secundifloris. Calyces campanulati breviter 5-dentati, dentibus exterioribus tuberculiformibus interiorum dorso applicatis. Petala obovata retusa, 3 millim. circiter longa, fortassis inter se inæqualia, ut monet Aubletius. Stamina subæqualia, antheris linearibus subincurvis, con-

nectivo antica basi subbituberculato. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Bacca globosa purpurea fere crassitudine pisi. — In Guyana gallica, Poiteau, Leprieur, Mélinon; batavica, Kappler, Hostman.

86. MICONIA RUFESCENS DC., *l. c.*, 180. — *Melastoma rufescens* Aubl., *Guyane*, tab. 157.

M. fruticosa elata macrophylla; ramis paniculisque villoso-hirsutissimis; foliis subsessilibus ovatis acutis basi cordatis obsolete crenulatis 5-nerviis reticulato-corrugatis bullatisve tomento stellato rufo obductis, pagina superiore demum detersis; paniculis terminalibus elongatis coarctatis; floribus dense glomeratis 5-meris.

Planta decora 2-3-metralis, in America æquinoctiali ab oceano Atlantico ad mare Pacificum diffusa, in omnibus locis characteres proprios retinens et haud ægre dignoscenda. Rami obscure 4-goni villis mollibus rufis longis hirsuti, demum fortasse glabrati. Folia brevissime petiolata aut subsessilia, decimetrum sesquidecimetrumve et quod excedit longa, 7-10 centim. lata, 5 aut rarius 7-nervia, in juventute tomento stellato obducta, adulta magis minusve in pagina superiore glabrata et in herbario nigrescentia, petiolis vix semicentimetrum longis aut subnullis. Paniculæ confertifloræ 1-2-decimetrales; ramulis ut plurimum brevibus; floribus dense congestis bracteolisque ovatis exterius villosis interius glabris intermixtis. Calyx oblongo-campanulatus villosus, dentibus exterioribus brevibus triangularibus, interioribus vix perspicuis. Petala inæquilatera retusa, 4 millim. circiter longa, alba. Antheræ lineares 1-porosæ falcatæ loculis basi sterilibus (aut potius connectivo ipso) antice productis et antheram bicalcaratam efficientibus. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stylus crassiusculus, stigmate obtuso subclavato. — Specimina habemus e permultis locis Americæ; Guyana gallica, Mélinon, Leprieur; Republica Venezuelensi in vicinia urbium *Cumana*, *Maracaïbo*, *Truxillo* et *Mérida*, Bonpland, Plée, Linden; prope *Caracas*, Funck; in Bolivia, Pentland; Republica Novo-Granatensi, Goudot; Peruvia, prope *Cuzco*, Claude Gay.

87. MICONIA BERBICEANA. — *Clidemia berbiceana* DC., III, 160. — *Miconia clidemioides* Steud., *Flora*, XXVII, 724. — Walp., *Repert.*, V, 719. — *M. eriopoda* Benth. in Hook., *Journ. of bot.*, II, 311.

M. fruticosa; ramis teretibus lævibus mature glabratis; foliis

breviter petiolatis ovatis acuminatis basi nonnihil cordatis argute et tenuiter denticulatis 5-nerviis glabellis; paniculis terminalibus pyramidatis hirsutis ferrugineis; floribus 5-meris.

Species *M. auriculatæ* affinis sed facile distincta foliis latioribus glabrioribus brevius petiolatis ramisque hirsutiem mature exuentibus. Rami foliosi pennam anserinam crassitudine vix æquantes. Folia in prima juventute setulis raris conspersa, adulta glabrata, 10-14 centim. longa, 5-7 lata, petiolo centimetrum vix longo, sæpe breviore et furfur ferrugineum diutius retinente. Panicularum rami trichotomi bracteolis lanceolatis linearibusve ornati, ramuli extremi ut plurimum 3-flori. Calyx campanulatus; dentibus brevissimis, interioribus ab exterioribus vix distinctis. Petala obovata retusa alba aut lutescentia, fortassis etiam pallide rosea, 4 millim. longa. Stamina subæqualia; antheris linearibus falcatis, connectivo antica basi biauriculato, postica tuberculato. Ovarium apice liberum 3-loculare. Stigma punctiforme. —In Guyana batavica prope *Surinam*, Leschenault, Hostman, Kappler, Kegel; gallica, Leprieur; in Antillis, scilicet Martinica, Plée; insula Sancti-Thomæ, Finlay.

88. Miconia auriculata DC., *l. c.*, 185. —*Clidemia glabrata* Steud., *Flora*, XXVII, 721.

M. fruticosa multiformis; ramis hornotinis teretibus aut quadrisulcis hirsutis; foliis subbreviter petiolatis ovatis oblongove-ovatis acuminatis basi rotundatis aut rarius subcuneatis serratis tripli-quintuplinerviis, pagina superiore pilosis aut glabratis corrugatis, inferiore hirtellis; paniculis terminalibus pyramidatis hirsutis, ramis subpatulis apice congestifloris; floribus 5-meris.

Species, ut plures aliæ in maxima Americæ tropicæ parte indigenæ, secundum soli natalis naturam et temperiem vultum et habitum mutans, floris vero characteres fere immutabiles retinens. Folia magnitudine vix variabilia, decimetrum circiter longa, 3-5 centim. lata, haud raro tamen paulo majora aut minora, secus nervulos in plerisque speciminibus transversim corrugata, nervis lateralibus duobus aut quatuor e medio pauca millimetra supra basim limbi orientibus, nervulis transversis in pagina inferiore valde prominentibus, petiolo semicentimetrum centimetrumve longo. Panicularum rami magis minusve elongati, in apicibus congestiflori, glomerulis 5-15-floris, floribus sessilibus. Calyx campanulatus; dentibus interioribus obtusis brevibus, exterioribus brevissimis subulatis aut tuberculiformibus. Petala obovata apice rotundata aut retusa, 3 mil-

lim. circiter longa, alba aut lutescentia, interdum et rosea. Stamina vix non æqualia ; antheris linearibus subfalcatis, loculis albentibus, connectivo basi antica bilobo aut biauriculato, postica sæpe tuberculato, rarius utraque parte exappendiculato. Ovarium maxima parte adhærens 3-loculare. Stylus filiformis exsertus, superne gradatim dilatatus, stigmate obtusissimo subinfundibuliformi. Baccæ circiter crassitudine pisi. — In Guyana batavica, Hostman, Kappler, Kegel ; Brasilia septentrionali, Martius, Claussen, Vauthier, Gaudichaud ; Peruvia, Pœppig ; Nova-Granata, Goudot ; Imperio Mexicano ubi variat floribus lutescentibus et roseis staminibusque biauriculatis et exappendiculatis, Galeotti. Unica nobis varietas distinguenda est, scilicet :

β *quintuplinervia*, foliis ellipticis planis setulosis subquintuplinerviis sesquidecimetrum fere longis. — In Brasilia septentrionali, prope *Ceara* ; Gardner.

89. Miconia lonchophylla †.

M. fruticosa primo intuitu glabra, sub lente lepidibus stellatis minutis punctulata ; ramis obscure tetrahedris aut compressis a nodo ad nodum sulcatis demum teretibus ; foliis petiolatis rigidulis late lanceolatis acuminatis basi etiam acutis integerrimis, præter nervulos marginales 3-nerviis aut triplinerviis ; paniculis terminalibus pyramidatis ; floribus sessilibus 5-6-meris.

Folia nonnihil coriacea, in juventute densius quam in adulta ætate pube stellata obducta, decimetrum sesquidecimetrumve longa, 4-5 centim. lata, petiolis sesquicentimetralibus, nervis lateralibus ut plurimum cum medio pauca millimetra supra basim limbi coalitis. Flores in extremis ramulis aggregati, sessiles aut vix non sessiles, 5-meri et 6-meri. Calyx campanulatus, dentibus brevissimis tuberculiformibus aut subobsoletis. Petala in anthesi reflexa obovata retusa alba, 2 millim. circiter longa. Stamina 10 æqualia, antheris breviusculis apice nonnihil subulatis 1-porosis rectis, connectivo antice sub loculis bilobulato, postica basi tuberculato. Ovarium supra medium adhærens 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. — In provincia *Caracas* Reipublicæ Venezuelensis ; Funck et Schlim, *Cat.* n° 94.

90. Miconia Matthæi †.

M. fruticosa ; ramis supremis petiolis paniculisque rufescenti-hirsutis ; foliis elliptico-lanceolatis apice in acumen angustatis

basi obtusis integerrimis 3-nerviis, pagina superiore mature glabratis, inferiore pilosis; paniculis terminalibus pyramidatis, floribus ad apices ramulorum congestis 5-meris.

Species *M. auriculatæ* primo intuitu affinis sed foliis integerrimis nec denticulatis et quam in illa majoribus donata. Rami supremi villis rufis aut rubiginosis mollibus hirsuti, subteretes, demum glabrati. Folia in prima juventute undique rufo-villosa, mox in pagina superiore glabrata et tunc in herbario nigrescentia, pagina inferiore hirsutiem ferrugineam secus nervos imprimis uberem servantia, sesquidecimetrum circiter longa, 5-6 centim. lata, petiolis 1-2-centimetralibus. Paniculæ confertifloræ pyramidatæ breves (saltem in specimine nostro) hirsutæ sessilifloræ. Calyces turbinati breviter 5-dentati, denticulis exterioribus interiorum dorso insidentibus conspicuis. Petala obovata apice retusa, 8 millim. longa, alba?. Stamina subæqualia, antheris linearibus uniporosis falcatis antica basi bilobulatis. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stylus filiformis staminibus longior, stigmate dilatato subpeltato. Fructus non suppetebant. — In Peruvia, loco non designato, Mathews. Planta a celeberrimo Hookerio communicata.

91. Miconia cristulata †.

M. fruticosa (fortassis arborescens) fere glaberrima brachystachya; ramis supremis subteretibus pube albicante parca caduca punctulatis; foliis petiolatis lanceolato-ellipticis integerrimis aut repandulis basi obtusis aut subacutis in petiolum tamen decurrentibus triplinerviis; paniculis terminalibus brevibus pyramidatis pauciramosis, ramis ut plurimum patulis, floribus subsessilibus sessilibusve 5-meris.

Folia ut plurimum decimetralia, 3-3 ½ centim. lata, petiolis circiter centimetralibus, facie superiore ala duplici brevi crispula cum limbo continua ornatis, nervis duobus lateralibus 2-4 millimetra supra basim limbi e medio orientibus. Paniculæ foliis dimidio breviores, floribus sæpe ad apices ramorum ramulorumve glomeratis. Calyces campanulati brevissime et obtusissime 5-lobi, denticulis externis subobsoletis. Petala obovata retusa inæquilatera 4-5 millim. longa. Stamina 10 æqualia, antheris lineari-subulatis 1-porosis, connectivo sub loculis antica basi bilobo. Ovarium basi adhærens 3-loculare. Stylus gracilis exsertus, stigmate nonnihil dilatato. — In *Guyana anglica*; Schomburgk, *Cat.* n° 363.

92. Miconia nemoralis †.

M. fruticosa (fortassis arborescens) macrophylla subglabra; ramis teretibus aut parum compressis, supremis pube exigua caduca albentibus; foliis ovato-ellipticis oblongove-obovatis breviter acuminatis basi rotundatis et in petiolum decurrentibus margine repandulis, adjecto nervo utroque submarginali quintuplinerviis; paniculis terminalibus pyramidatis; floribus ad apices ramulorum sessilibus 5-meris.

Species *M. pteropodæ* multis characteribus affinis, sed diversa foliis oblongis et quam in illa angustioribus necnon staminibus calcare postico nudatis. Rami vix in apicibus compressi, mature teretes et glabrati. Folia 1 ½-2 decim. longa, 6-8 centim. lata, inferne subrotundata et subabrupte in petiolum utrinque decurrentia, glabra, nervis intermediis fere centimetrum supra basim limbi e medio disjunctis, petiolis pterophoris circiter centimetralibus. Calyces campanulati obsolete 5-dentati, denticulis externis punctiformibus vix conspicuis. Petala inæquilatere obovata, apice quasi truncata, integra aut retusa, 3-4 millim. longa. Stamina 10 subæqualia, antheris lineari-subulatis, antica basi biauriculatis, postica inermibus. Ovarium paulo supra medium adhærens 3-loculare. Stylus gracilis staminibus longior, stigmate nonnihil dilatato. — In Guyana gallica; Mélinon.

93. Miconia bifrons †.

M. fruticosa submacrophylla nonnihil anisophylla; ramis supremis paniculis foliorumque pagina inferiore tomento inconspicuo adpresso rubiginosis; foliis petiolatis late ellipticis breviter et abrupte acuminatis basi obtusis integerrimis 3-nerviis supra glabratis; paniculis terminalibus pyramidatis, ramis inferioribus ut plurimum paniculas minores opposite ramosas formantibus, superioribus semel trichotomis dichotomisve, omnium ramulis extremis secundifloris; floribus sessilibus 5-meris.

Frutex elatus 3-4-metralis, inflorescentia inter species pyramidatas et seriatifloras ambigens, *Miconiæ lepidotæ* et *M. longistylæ* habitu vicina. A priore differt foliis magis ellipticis nec pendulis, a posteriore panicula pyramidata nec racemiformi, ab utraque multis aliis characteribus. Rami supremi subcompressi demum teretes. Folia 12-15 centim. longa, 5-8 lata, pagina superiore mature glabrata lævi subnitida in herbario nigrescente, petiolis 2-3-centimetralibus. Paniculæ sæpius pyramidatæ,

nonnunquam a medio ad apicem racemiformes, ramulis extremis duplici serie secundifloris. Calyces campanulati, limbo vix non integerrimo. Petala obovata 2-3 millim. longa. Stamina æqualia, antheris linearibus apice biporosis, connectivo antica basi tuberculato. Ovarium maxima parte adhærens 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate dilatato-clavato. — In Brasilia septentrionali prope urbem *Para* et secus flumen *Rio negro*. Ex herbario Bonplandiano.

94. Miconia axilliflora †.

M. fruticosa (fortassis et subarborea) submacrophylla brachythyrsa; ramis supremis compressis paniculis petiolis foliorumque pagina inferiore tomento inconspicuo candicantibus; foliis ovato-ellipticis, apice in acumen angustum productis, basi subacutis, integerrimis 3-5-nerviis, pagina superiore glaberrimis; paniculis parvis paucifloris pedunculatis axillaribus aut rarius terminalibus; floribus sessilibus aut breviter pedicellatis 5-meris et 6-meris; calycis limbo profunde dentato, post anthesim deciduo.

Rami annotini magis ac magis teretes et glabrati nodosi. Folia discolora, adjectis nervis submarginalibus 5-nervia aut nervorum pari inferiore cum nervo medio paulo supra basim coalito subquintuplinervia, decimetrum sesquidecimetrumve et quod excedit longa, 4-7 centim. lata, petiolo 1-3-centimetrali. Paniculæ ut plurimum ex axillis foliorum ortæ oppositæ pedunculatæ, haud raro in eadem axilla geminatæ, rarius omnino terminales, foliis duplo triplove breviores; ramulis brevibus tri-plurifloris. Calyces oblongo-campanulati, dentibus pro genere majusculis triangulari-acutissimis fere simplicibus aut apice denticulo externo inconspicuo donatis post anthesim deciduis. Petala obovata apice rotundata aut retusa 4-5 millim. longa. Stamina subæqualia, antheris lineari-subulatis 1-porosis, basi antica subbiauriculatis. Ovarium semiadhærens 3-loculare (4-loculare in floribus 6-meris qui haud infrequenter occurrunt). Fructus globosus baccam *Ribis rubri* crassitudine æquans, fortassis exsuccus. — In Guyana gallica prope *Cayenne;* Leprieur, Martin, Mélinon.

95. Miconia Chamissois. — *Oxymeris calyptrata* Cham. in *Herb. reg. Berol.*

M. fruticosa macrophylla vix non glaberrima; ramis supremis compressis, veterioribus teretibus; foliis ut plurimum breviter

petiolatis late ovatis acutis aut breviter acuminatis integerrimis basi nunc rotundatis nunc acutis et in petiolum breviter decurrentibus, prætermisso nervo utroque submarginali triplinerviis; paniculis magnis pyramidatis trichotome ramosis; floribus sessilibus aut breviter pedicellatis 5-meris.

Sub eodem nomine hic fortasse diversas species includimus, nam specimina nostra sibi invicem non omnino conveniunt, sed quum insidiosam faciem Melastomearum jamdudum experti simus satius visum est formas saltem inter se affines consociare quam confusionem in genere omnium maxime arduo immodica species dividendi et multiplicandi cupiditate augere, ut nimis adhuc apud botanicos consuetudo prævalet. Imo, si in universum consideratur ista *Miconia Chamissois*, qualem huc afferimus, ejus analogia cum *M. pteropoda* in promptu erit, nec impossibile credimus ambas species olim a posteris in unam coadunandas esse.

M. Chamissois frutex est circiter bimetralis ramosus, ramis supremis paniculisque pube inconspicua pulverulentis moxque glabratis. Folia glaberrima aut saltem mature glabrata sesquidecimetrum longa, 7-9 centim. lata, basi interdum rotundata et obtusissima, sæpe etiam acuta, rarius in petiolum decurrentia, in herbario pagina superiore nigrescentia, inferiore virorem quemdam retinentia; petiolis modo subnullis modo bicentimetralibus. Calyces campanulati, limbo vix manifeste sinuato. Petala obovata 3 millim. longa. Stamina æqualia aut subæqualia, antheris linearibus 1-porosis, connectivo infra loculos nullo aut vix perspicue bituberculato. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stigma punctiforme. — In provincia vulgo *Chiquitos* Boliviæ, d'Orbigny; Brasilia meridionali, Claussen, Sellow. Specimen unum e Musæo regio Berolinensi sub nomine *Oxymeridis calyptratæ* recepimus.

96. Miconia Pavoniana †.

M. fruticosa submacrophylla; ramis supremis paniculis petiolis foliorumque pagina inferiore tomento tenui adpresso rufescentibus; foliis petiolatis elliptico-ovatis breviter acuminatis basi rotundatis repando-crenatis 3-5-nerviis pagina superiore glabris aut glabratis; paniculis terminalibus pyramidatis; floribus ad apices ramulorum extremorum glomeratis subsessilibus 5-meris.

Rami hornotini subteretes, calamum scriptorium crassitie subæquantes, cortice carnosulo et exsiccatione rugoso induti. Folia 12-18 centim. longa, 5-7 lata, adjectis nervis duobus submarginalibus 5-nervia, haud

inconspicue reticulata. Calyces turbinati aut turbinato-campanulati, limbo quinque-sinuato, lobis obtusissimis tuberculo externo minuto instructis. Petala cordato-obovata subinæquilatera reflexa 2 millim. longa et lata. Stamina 10 æqualia ; antheris linearibus rectis truncatis biporosis, connectivo antica basi sub loculis bilobulato. Ovarium omnino adhærens 3-loculare. Stigma punctiforme. — In Peruvia, loco nobis incognito. Planta a celeberrimo Pavon lecta et a doctissimo Boissierio nobis communicata.

97. MICONIA PULVERULENTA DC , *l. c.*, 190.

M. fruticosa polystemon ; ramis supremis paniculis foliisque novellis pube tomentosa adpressa rufescentibus ; foliis petiolatis ellipticis subacutis basi obtusis sinuato-denticulatis 3-nerviis, pagina superiore mature glabrata, inferiore tomentum retinente ; paniculis thyrsoideis pyramidatisve confertifloris terminalibus aut alaribus ; floribus ad apices ramorum ramulorumque congestis 5-meris, fortassis et 6-8-meris.

Rami obtuse tetrahedri, demum subteretes, hornotini tomento denso adpresso stellato obducti, veteriores glabrati. Folia 7-8 centim. longa, 4-5 lata, petiolis ferme centimetralibus. Paniculæ terminales, sæpius accreto ramo utroque laterali alares aut subalares, breviusculæ confertifloræ, ramis modo simplicibus modo in ramulos divisis, floribus terminalibus sessilibus in glomerulos 3-9-floros congestis. Calyces turbinato-campanulati brevissime 5-dentati, dentibus denticulos externos minutos gerentibus. Petala obovata retusa 3 millim. longa. Stamina in flore quovis 15-20 æqualia, antheris lineari-oblongis apice obtusis 1-porosis, connectivo infra loculos vix manifesto. Ovarium maxima parte adhærens 5-loculare. Stigma punctiforme. — In sylvis udis Peruviæ ; Dombey.

98. MICONIA SESSILIFOLIA †.

M. fruticosa sessilifolia submacrophylla ; ramis obscure tetrahedris subteretibusque tomentoso-pulverulentis demum glabratis ; foliis ovato-oblongis gradatim attenuatis basi profunde cordata quasi amplexicaulibus tenuissime sinuato-denticulatis, prætermisso nervulo utroque submarginali 5-nerviis, pagina superiore mature glabrata, inferiore tomentum retinente ; paniculis terminalibus magnis pyramidatis ; ramulis extremis ut plurimum 3-floris ; floribus sessilibus 5-meris.

Species conspicua, distinctissima, quoad magnitudinem foliorum te-

mentique colorem candicantis aut rufescentis variabilis. Folia subcoriacea sesquidecimetrum et quod excedit longa, 4-7 centim. lata, pagina superiore in prima ætate tomento stellato detergibili obducta mox glabrata, inferiore semper candicante aut rufescente. Calyces campanulati, post anthesim sub fauce constricti et urceolati, limbo fere integerrimo tuberculis 5 denticulorum externorum rudimentis instructo. Petala oblongo-obovata retusa inæquilatera 3-4 millim. longa. Stamina 10 subæqualia ; antheris subulatis falcatis 1-porosis , connectivo nigrescente non producto, loculis luteolis. Ovarium paulo supra medium adhærens 5-loculare. Stylus exsertus sigmoideus, stigmate punctiformi. Baccæ fortassis exsuccæ semen *Lathyri odorati* crassitudine subæquantes. Semina ovoidea. — In vicinia urbis *Coroïco* Boliviæ ; Pentland.

99. Miconia Pentlandii †.

M. fruticosa pendulifolia ; ramis supremis compressiusculis mox teretibus paniculis petiolis foliorumque pagina inferiore tomentosis rufescentibus ; foliis oblongis acuminatis basi cordatis integerrimis 3-nerviis, pagina superiore tomento candido in prima juventute obducta mox glabrata ; paniculis terminalibus pyramidatis, ramis simplicibus congestifloris spicas interruptas obtusas simulantibus ; floribus sessilibus 5-meris.

Rami supremi circiter crassitudine pennæ anserinæ inter nodos parum compressi, mox teretes, tomento cinereo aut rufescente obducti. Folia magis minusve pendula, 10-15 centim. longa, 3-4 et quod excedit lata, gradatim acuminata et acuta, basi cordata, prætermissis nervulis marginalibus 3-nervia, petiolis circiter centimetralibus. Flores in ramis paniculæ congesti verticillastra subglobosa densiflora formantes. Calyx campanulatus tomentosus 5-sinuatus. Petala obovato-quadrilatera apice retusa reflexa 2 millim. circiter longa. Stamina vix non æqualia ; antheris lineari-subulatis nonnihil incurvis 1-porosis , connectivo infra loculos tumido et antice subbilobo. Ovarium basi adhærens superius liberum 3-loculare. Stigma punctiforme. — Prope *Coroïco* provinciæ *Yungas* in Bolivia ; Pentland.

100. Miconia adenophora †.

M. fruticosa glabra ; ramis teretibus ; foliis petiolatis obovato-ellipticis oblongisve acuminatis basi subacutis integerrimis aut vix conspicue repandulis triplinerviis ; paniculis termina-

libus pyramidatis; floribus ut plurimum pedicellatis 4-5-meris; antheris antica basi glanduliferis.

Folia majuscula scilicet sesquidecimetrum et quod excedit longa, sæpe etiam breviora, 6 centim. lata, nervis lateralibus fere centimetrum supra basim limbi cum medio coalitis, petiolis 1 ½-2-centimetralibus. Flores ad apices ramulorum extremorum terni aut abortu solitarii, intermedio haud raro sessili, lateralibus duobus pedicellatis. Calyces campanulati pulchre purpurascentes 4-5-dentati, dentibus latis subacutis denticulo externo minuto instructis. Petala oblongo-obovata obtusa 6 millim. longa, alba aut dilute rosea. Stamina 10 subæqualia, antheris linearibus aut lineari-subulatis 1-porosis subfalcatis, connectivo sub loculis incrassato pube glandulifera antica facie ornato. Ovarium semiadhærens 3-4-loculare. Stylus filiformis exsertus, stigmate nonnihil incrassato obtuso. — In Peruvia prope *Maynas;* Pœppig, *Cat.* nº 2319.

101. Miconia pauciglandulosa †.

M. fruticosa glabra macrophylla; ramis supremis compressis; foliis petiolatis ovatis acuminatis basi rotundatis aut interdum inæquilateris et rarius in petiolum abrupte et breviter decurrentibus integerrimis quinque-quintuplinerviis; paniculis terminalibus pyramidatis paucifloris quam folia ultimi jugi paulo brevioribus; floribus breviter pedicellatis aut sessilibus 5-meris.

Folia sesquidecimetrum et quod excedit longa, 7-8 centim. lata, irregulariter quintuplinervia, petiolis 1-1 ½-centimetralibus. Calyces campanulati 5-dentati, dentibus subacutis denticulo externo minuto instructis. Petala obovata retusa subinæquilatera 2-3 millim. longa. Stamina 10 subæqualia; antheris apice 1-2-porosis subrectis, connectivo sub loculis manifesto sed brevissimo, antice et postice glandulis pedicellatis paucis ornato. Ovarium paulo supra medium adhærens 3-4-loculare. Stigma subclavatum. Descriptio ex unico nec satis completo specimine. — In Peruvia subandina prope *Maynas;* Pœppig.

102. Miconia obovalis †.

M. fruticosa macrophylla; ramis supremis subteretibus paniculisque pube tenui rufescente tomentellis; foliis breviter petiolatis oblongo-obovatis ellipticisve apice breviter acuminatis basi acuta in petiolum decurrentibus ideoque, relicto utroque

nervulo submarginali, fere triplinerviis margine obsolete repando-dentatis glabris aut glabratis; paniculis terminalibus pyramidatis multifloris; floribus brevissime pedicellatis 5-meris.

Frutex paucis speciminibus inter se nonnihil heteromorphis et e regionibus diversis oriundis nobis tantum cognitus, pluribus affinis, nulli bene coadunandus. Folia multiformia, formam tamen oblongo-obovatam sæpius exhibentia, submollia, læte viridia, in herbario parum nigrescentia, exceptis nervis petioloque pube stellulata conspersis glaberrima, 2-3 decim. longa, 10-12 centim. lata, petiolis sesquicentimetralibus. Paniculæ foliis multo breviores, opposite ramosæ, ramis iterum opposite divisis et paniculas secundarias formantibus, ramulis extremis apice 3-5-floris. Calyces campanulati 5-dentati, dentibus denticulum externum vix perspicuum gerentibus. Petala obovata subretusa 2-3 millim. longa. Stamina subæqualia æqualiave, antheris lineari-subulatis falcatis antica basi bilobulatis. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stigma dilatatum depressum aut subpeltatum. — In insula Jamaica, Wilson?; Brasilia, locis ignotis, Bonpland.

103. Miconia caudata DC., *l. c.*, 187. — *Melastoma caudata* Bonpl., *Mélast.*, tab. 7.

M. fruticosa elata macrophylla subglabrata; ramis supremis obtuse tetrahedris paniculisque pube minuta pulverulentis; foliis petiolatis ovatis acuminatis basi integra rotundatis integerrimis 5-nerviis pagina superiore glabratis; paniculis pyramidatis; floribus ad apices ramulorum extremorum sessilibus ternis 5-meris.

Haud secus ac Melastomæarum maxima pars species hæc variabilis est et illi qui pluris æquo perleves differentiales notas faceret in duas facile divideretur. Præcipuum deprehenditur discrimen in magnitudine et facie foliorum quorum acumen longius aut brevius producitur et pagina inferior intensiorem aut pallidiorem colorem induit. Folia in eodem jugo æqualia aut manifeste disparia et inæqualiter petiolata, nunc in acumen longum caudiforme attenuata, nunc apiculo brevi donata, in prima juventute tomento denso rufescente undique obducta, mox pagina superiore detersa et glaberrima, inferiore pubem rufidulam sæpe retinentia, sæpe etiam exuentia, in speciminibus pro specie parvifoliis 1 decim. longa 5-6 centim. lata, in macrophyllis 2-3 decimetra longitudine 1-1 ½ latitudine metientia; petiolis 3-7-centimetralibus. Panicularum rami oppositi paniculas minores ipsi formantes, ramulis inferioribus tri-

fidis 9-floris, superioribus indivisis et tantum 3-floris. Calyx campanulatus, dentibus subobsoletis. Petala late obovata subretusa 4-5 millim. longa, extus rosea aut sanguineo notata (saltem in speciminibus exsiccatis). Stamina subæqualia; antheris lineari-subulatis 1-porosis falcatis postice nonnunquam adenophoris, connectivo sub loculis tumido subbilobo, filamentis etiam pilorum glanduliferorum serie postica sæpe instructis. Ovarium liberum vel basi adhærens apice dissectum aut saltem lobatum umbilicatum 3-loculare. Stylus pilosulus, fortassis etiam glaber, stigmate subcapitellato. — In Peruvia prope *Cochero*, Dombey, Pœppig; Imperio Novo-Granatensi inter *Santa Anna* et *Mariquita;* Bonpland, Goudot.

104. Miconia molybdea †.

M. fruticosa macrophylla platyphylla; ramis supremis subcompressis petiolis paniculis foliorumque pagina inferiore tomentoso-canescentibus; foliis coriaceis in eodem jugo subæqualibus et disparibus ovatis interdumque quasi oblongo-orbicularibus breviter acuminatis basi obtusis non autem vere rotundatis obsolete sinuato-crenulatis integerrimisve 3-nerviis pagina superiore mature glabratis; paniculis terminalibus thyrsoideis; floribus sessilibus ad apices ramulorum densius laxiusve congestis 5-meris; antheris basi adenophoris.

Frutex (fortassis arbuscula) habitus decore et florum ubertate insignis. Rami supremi calamum scriptorium crassitudine æquantes, subcompressi, pube tomentosa adpressa cinerescentes aut rufescentes. Folia subcoriacea rigidula plana, exceptis nervulis marginalibus 3-nervia, in prima juventute tomento rufescente undique obducta, mox supra glabrata, 1-2 decim. longa, 8-12 centim. lata, petiolis 1 $\frac{1}{2}$-5-centimetralibus. Paniculæ terminales thyrsoideæ tomentosæ, ramis erectis aut subpatulis in ramulos iterum atque iterum divisis, ramulis extremis ut plurimum 3-floris aut 7-floris, flore uno alari. Calyces campanulati, dentibus interioribus rotundatis aut subobtusis, exterioribus ad tuberculum reductis. Petala obovata subretusa 3-4 millim. longa extus tomentosa alba. Stamina subæqualia, antheris lineari-subulatis 1-porosis subsigmoideis violaceis, connectivo infra loculos glandulis pedicellatis antice ornato. Ovarium semiadhærens 4-loculare (fortassis etiam 3-5-loculare). Stigma subdilatatum obtusissimum. — In montosis provinciarum Boliviæ *Valle Grande*, d'Orbigny; et *Santa Cruz*, De Castelnau.

105. Miconia smaragdina †.

M. fruticosa (fortassis arborescens) macrophylla glabra; ramis supremis gracilibus teretibus lævigatis; foliis petiolatis elliptícis breviter acuminatis basi obtusis aut subacutis integerrimis præter nervulos submarginales 3-nerviis; paniculis terminalibus, ramis ramulisque fasciculatim oppositis; floribus brevissime pedicellatis 5-meris.

Folia in specimine unico nostro ternata nec simpliciter opposita, virorem lætum retinentia, 2 decim. et quod excedit longa, 8-9 centim. lata, petiolo centimetrum vix excedente. Paniculæ foliis multo breviores, sublaxifloræ, ramis ramulisque nonnunquam subverticillatis (in specimine nostro), sæpius fasciculatim oppositis, fasciculo quovis e duobus aut tribus sibi superpositis constante. Ramuli extremi sæpius 3-flori aut dichotomi et tunc 7-flori. Calyces campanulati breviter 5 dentati, dentibus denticulo externo haud inconspicuo munitis. Petala obovata 2 millim. longa alba. Stamina 10 æqualia, antheris lineari-subulatis 1-porosis exappendiculatis. Ovarium paulo supra medium adherens 3-loculare. Stylus filiformis longe exsertus, stigmate nonnihil dilatato. — In vicinia urbis *Ibague* Novæ-Granatæ; Goudot.

106. Miconia hyperprasina †.

M. macrophylla malacophylla vix non glaberrima; ramis supremis subteretibus sulcatis ad nodos inconspicue pulverulentis; foliis pro magnitudine breviter petiolatis elliptico-lanceolatis acuminatis basi subacutis subobtusisque margine repando-crenatis 3-nerviis; paniculis terminalibus irregulariter pyramidatis, floribus ad apices ramulorum aggregatis sessilibus aut brevissime pedicellatis 5-meris.

Rami subgraciles, lenti, compressi aut sulco notati, pulvere parco afflati. Folia in herbario adhuc virentia, 2-3 decim. longa, 8-10 centim. lata, ab ipsa basi 3-nervia, petiolis centimetrum et quod excedit longis. Paniculæ terminales laxiusculæ, ramis patulis, floribus ad apices ramulorum aggregatis. Calyces oblongo-campanulati pulverulenti, dentibus brevibus obtusis, denticulis externis inconspicuis. Petala late obovata retusa, ut videtur 3-millimetralia. Stamina 10 æqualia, antheris linearibus 1-porosis exappendiculatis, fortasse arcuatis. Ovarium supra medium adhærens 3-4-loculare. Stigma subcapitellatum. — In imperio Mexicano, Linden.

107. MICONIA SPENNEROSTACHYA †.

M. macrophylla anisophylla glabra; foliis late ellipticis apice breviter acuminatis basi abrupte angustata acutis et in petiolum decurrentibus margine integerrimis aut vix repandulis quinque-quintuplinerviis; paniculis terminalibus pyramidatis; floribus sessilibus 5-meris.

Rami supremi compressi sulcati, ut videtur mox teretes, glabri aut pulvere inconspicuo parcissimo afflati. Folia, in unico specimine quod nobis suppetit, longiuscule petiolata, mollia, in eodem jugo disparia (uno alterum duplo superante), insigniter elliptica, breviter acuminata aut saltem apiculata, basi rotundata sed in petiolum abrupte confluentia et decurrentia, 1-2 decim. et quod excedit longa, 6-12 centim. lata, nervis basi inter se irregulariter coalitis, petiolis 2-4-centimetralibus. Paniculæ sesqui-bidecimetrales pyramidatæ laxiusculæ, paniculas plurimarum Spennerarum dispositione in memoriam revocantes; ramis primariis trichotomis, secundariis sæpius dichotomis, ramulis extremis subsecundifloris. Calyces campanulati 5-dentati, dentibus subacutis, denticulis externis punctiformibus inconspicuis. Petala non vidimus. Stamina 10 æqualia, antheris linearibus apice subulato 1-porosis exappendiculatis. Ovarium maxima parte adhærens 5-loculare. Stigma subclavatum. — In Peruvia; Mathews. Specimen nobis ab Hookerio communicatum est.

108. MICONIA PAULENSIS †.

M. fruticosa aut fortassis subarborea; ramis subteretibus paniculis petiolis foliorumque pagina inferiore tomentosis rufescentibus aut candicantibus; foliis oblongis lanceolatis acutis interdumque subacuminatis basi obtusis sinuato-denticulatis 3-nerviis, adultis pagina superiore glaberrimis; paniculis terminalibus pyramidatis confertifloris; floribus sessilibus 5-meris.

Folia, ex unico specimine herbarii parisiensis, decimetrum circiter longa, 2-2 ½ centim. lata, in prima ætate crenato-denticulata et tomento candicante aut subrufescente undique velata, mox pagina superiore detersa nitida et in herbario nigerrima, inferiore tomentum retinentia, præter nervulos marginales parum conspicuos trinervia, petiolis sesquibicentimetralibus. Flores ad apices ramulorum paniculæ congesti, sessiles. Calyces campanulati breviter 5-dentati, denticulis externis obso-

letis aut saltem sub tomento inconspicuis. Petala late cordiformia inæquilatera emarginata reflexa, 3 millim. longa et lata. Stamina 10 æqualia exserta, antheris linearibus rectis uniporosis exappendiculatis. Ovarium semiadhærens 3-4-loculare. Stylus gracilis, stigmate punctiformi. — In provincia Sancti Pauli Brasiliæ; Gaudichaud. Specimen etiam habemus e Museo imperiali Brasiliensi communicatum.

109. MICONIA SPONDYLANTHA DC., *l. c.*, 184.— Estne *M. iodopila* Steud., *Flora*, XXVII, 723? — Walp., *Repert.*, V, 720. — *M. Fockeana* Miq., *Comment. phytogr.*, II. — *Clidemia violacea* et *C. coccinea* DC., III, 162.

M. fruticosa submacrophylla; ramis teretibus petiolis nervis foliorum paniculisque adpresse setulosis; foliis petiolatis ovatis ovatove-oblongis acuminatis basi rotundatis aut cuneatis denticulatis quintuplinerviis imo, si adjiciantur nervi marginales, septuplinerviis, pagina superiore setulis brevibus conspersa, inferiore in nervis potissimum setulosa; paniculis terminalibus angustis paucifloris aut abbreviatione ramorum omnino racemiformibus; floribus sessilibus 5-meris.

Species distinctissima sed variabilis ideoque facile quamvis immerito in species secundarias dividenda. Rami supremi teretes graciles, pennam anserinam crassitie vix æquantes, setulis cinereis rufis aut etiam purpurascentibus induti. Folia in eodem jugo haud raro inæqualia et inæqualiter petiolata, nunc omnino ovata nunc basi cuneata et in petiolum decurrentia, semper quintuplinervia, 12-15 centim. longa, 6-7 lata, petiolis modo brevissimis modo 4-5-centimetralibus. Paniculæ parum productæ, sæpe racemiformes interruptæ, floribus quasi in verticillastra dispositis, sæpius breviter ramosæ, ramis simplicibus apice 3-5-floris. Calyces campanulati, limbo integro aut vix sinuato. Petala oblongo-obovata aut sublinearia apice rotundata 4-5 millim. longa, intense violacea? Antheræ-lineari subulatæ 1-porosæ falcatæ, connectivo exappendiculato. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stigma punctiforme. — In Guyana gallica, Mélinon, Perrottet; anglica, Schomburgk; Brasilia septentrionali, Martius, Pœppig; Peruvia, De Castelnau. E numerosis hujus plantæ varietatibus una saltem sub nomine proprio distinguenda est quæ melius cognita fortassis ad dignitatem speciei olim extolletur, ea est:

β *Leschenaultiana*, foliis omnino ovatis basi rotundatis, nervis lateralibus e medio vix supra basim limbi orientibus ideoque fere 7-nerviis. — In Guyana gallica prope *La Mana*; Leschenault.

110. Miconia versicolor †.

M. fruticosa polystemon; ramis supremis paniculis petiolis foliorumque pagina inferiore tomentoso-canescentibus; foliis petiolatis ovato-ellipticis acutis et breviter apiculatis basi obtusis denticulatis, adjecto nervo utroque submarginali 5-nerviis, pagina superiore glabratis; paniculis terminalibus confertifloris; floribus sessilibus 5-6-meris; petalis extus tomentosis.

Species habitu paniculæ et florum compage *M. molybdeæ* affinis, reliquis characteribus ab illa distinctissima. Rami supremi subcompressi, demum teretes, vetustiores magis ac magis tomento nudati. Folia nonnihil coriacea, 7-8 centim. longa, 2-4 lata, nervis tribus intermediis subtus prominentibus, duobus submarginalibus tenuibus, petiolis sesquidecimetrum longis. Paniculæ thyrsoideæ, floribus ad apices ramulorum congestis. Calyces campanulati tomentosi breviter campanulati, lobis non manifeste duplicatis. Petala obovata retusa inæquilatera, extus tomento albicante aut cinereo obducta, fortassis purpurea, 5-6 millim. longa. Stamina 20-25 subæqualia 1-porosa; antheris linearibus exappendiculatis. Ovarium semiadhærens 5-6-loculare. Stigma obtusissimum. — In America æquinoctiali secus ripas Orinoci, Bonpland; in Republica Novo-Granatensi; Goudot.

111. Miconia lauriformis †.

M. fruticosa aut subarborescens glaberrima; ramis supremis sulcatis, vetustioribus teretibus; foliis petiolatis ovato-ellipticis acuminatis basi subrotundatis aut interdum subacutis integerrimis triplinerviis; paniculis terminalibus pyramidatis; floribus brevissime pedicellatis pro genere majusculis 5-meris.

Species quamdam similitudinem cum *M. tinctoria* præ se ferens, exsiccata lutorem virescentem induens. Folia 7-10 centim. longa, 3 et quod excedit lata, nervis lateralibus e medio pauca millimetra supra basim orientibus, petiolis 1-2-centimetralibus. Calyces campanulati, limbo 5-lobo, lobis brevibus latis rotundatis denticulo externo minuto appendiculatis. Petala obovata subinæquilatera, 5-6 millim. longa, rosea aut alba. Stamina 10 æqualia, antheris lineari-subulatis 1-porosis exappendiculatis. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stylus gracilis exsertus, stigmate punctiformi. — In pinetis Imperii Mexicani, inter *San Bartolo* et *Pueblo-Nuevo;* Linden.

112. Miconia lutescens DC., *l. c.*, 189. — *Melastoma lutescens* Bonpl., *Mélast.*, tab. 17.

M. fruticosa; ramis subteretibus glabellis; foliis petiolatis ovato-ellipticis lanceolatisque acutis serratis basi obtusis tripli-quintuplinerviis, pagina superiore glaberrimis aut saltem mature glabratis, inferiore pube adpressa lepidota tenuissima candicantibus, nervis pulchre luteis; paniculis terminalibus pyramidatis thyrsoideisve confertifloris; floribus pedicellatis 5-meris.

Frutex andicola elegantissimus polymorphus. Rami juniores petioli foliorumque nervi jam in planta viva lutei aut sulfurei. Folia 5-8 centim. longa, rarius decimetralia, 3 centim. et quod excedit lata, nonnihil coriacea, ut plurimum triplinervia, pagina superiore in herbario nigricante, nervis colorem luteum retinentibus, petiolis modo centimetralibus modo subnullis aut omnino nullis. Paniculæ magis minusve pyramidatæ candicanti-tomentosæ aut subglabræ, ramis multoties trichotomis. Calyces campanulati breviter 5-dentati, dentibus subacutis extus denticulum callosum gerentibus. Petala late obovata inæquilatera retusa 3 millim. longa alba. Stamina æqualia, antheris linearibus obtusis 1-porosis exappendiculatis. Ovarium semiadhærens aut subliberum 3-loculare. Bacca globosa pisiformis viridis (ex auctoritate Bonplandii). — In montibus excelsis Peruviæ, haud procul ab urbibus *Popayan*, *Loxa*, *Guamani* nonnullisque aliis; Bonpland.

113. Miconia favosa. — *Melastoma favosum* DC., *l. c.*, 199. — *Melastoma favosa* Lamk., *Dict.*, IV, 47, non aliorum.

M. fruticosa submacrophylla fere glaberrima; ramis supremis compressis lævibus; foliis petiolatis ovatis acuminatis basi cordatis vix conspicue denticulatis et quasi integerrimis 5-nerviis, pagina superiore inter nervos seriatim bullatis, inferiore foveolatis; paniculis terminalibus corymbiformibus; floribus ad apices ramulorum extremorum ut plurimum ternis sessilibus 5-meris.

Species foliorum compage æque ac inflorescentia inter cæteras Miconias insignis. Rami supremi calamum scriptorium crassitudine æquantes, a nodo ad nodum subcompressi non autem angulosi nec sulcati. Folia longiuscule petiolata, pagina superiore bullis quadrato pyramidatis sub-

acutis inter nervulos transversos seriatim dispositis asperata, inferiore foveolis cuivis bullæ respondentibus insculpta, in prima juventute tomento rubiginoso subtus obducta, mox glabrata, 12-14 centim. longa (in nostro unico specimine), 7-8 lata, petiolis 3-4-centimetralibus tomentum paucum retinentibus. Paniculæ corymbum pedunculatum fingentes, opposite ramosæ (idest trichotomæ). Calyces late campanulati, dentibus 5 interioribus brevibus latissimis membranaceis, exterioribus tuberculiformibus in dorso priorum vix perspicuis. Petala late obovata, 4-5 millim. longa. Stamina 10 æqualia, antheris lineari-subulatis 1-porosis exappendiculatis. Ovarium semiadhærens apice obtuso umbilicatum 5-loculare. Stigma nonnihil incrassatum obtusissimum. — In America æquinoctiali sed loco incerto; Bonpland.

114. MICONIA VERNICOSA †.

M. fruticosa aut arborescens vix non glaberrima pro genere macrantha; ramis teretibus, hornotinis jam basi lignosis; foliis coriaceis petiolatis ovatis acutis aut breviter acuminatis basi rotundatis, margine integerrimo aut subtiliter et remote denticulato revolutis, tripli-quintuplinerviis, pagina superiore lucida et quasi vernicosa; paniculis ad apices ramorum terminalibus subcorymbosis aut laxe pyramidatis, oliganthis?; floribus pedicellatis 5-meris.

Folia rigida, plana aut sæpius inter nervos bullata, glaberrima, basi nonnunquam subcordata, 7-9 centim. longa, 4-6 lata; nervis duobus intermediis e medio pauca millimetra supra basim orientibus sibi invicem alternis sæpius quam oppositis; nervis lateralibus margini proximis; petiolis fere centimetralibus. Flores pedicello suffulti nunc brevissimo nunc fere centimetrali. Calyces campanulati, dentibus brevibus latis subacutis, denticulis externis minutis vix conspicuis. Petala obovata apice subretusa 6 millim. et quod excedit longa. Stamina 10 æqualia, antheris lineari-subulatis uniporosis exappendiculatis. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stylus crassiusculus, stigmate subacuto punctiformi. — In insula *Porto-Rico* Antillarum; Plée.

115. MICONIA HISPIDISSIMA. — *Cremanium hispidissimum* DC., *l. c.*, 192.

M. fruticosa macrophylla isophylla et anisophylla; ramis paniculis petiolisque patentim hispidissimis; foliis ovatis oblongisve acuminatis basi rotundatis integerrimis aut vix conspicue

sinuato-crenulatis quinque-quintuplinerviis utraque pagina hirtellis; paniculis terminalibus aut alaribus magnis floribundis; floribus ad apices ramulorum ut plurimum ternis pedicellatis 5-meris.

Rami superiores obtuse tetrahedri et quadrisulcati, pennam anserinam crassitudine subæquantes, setis patentibus rufescentibus dense hispidi. Folia 1 $\frac{1}{2}$-2 decim. longa, 7-10 centim. lata, supra pilosa, subtus in nervis hispidula, petiolis 3-5-centimetralibus. Paniculæ terminales aut in dichotomia terminali alares, in prima juventute bracteis ovato-lanceolatis et circiter centimetralibus intermixtæ, in anthesi omnino ebracteatæ, ramis ramulisque hispidis. Flores pro genere majusculi, pedicellis 2-7-millimetralibus suffulti, petalis reflexis, genitalibus exsertis. Calyces campanulati hispiduli, dentibus brevibus obtusis, denticulis externis tuberculiformibus. Petala ovata vel obovata, apice subretusa aut integra, circiter 4 millim. longa, ut videtur purpurea aut fortasse luteola. Stamina 10 æqualia, antheris breviusculis falcatis uniporosis exappendiculatis, filamentis undique pube glandulifera hirtellis. Ovarium semiadhærens 5-loculare, apice pilis glanduliferis ut et ipsius styli pars inferior ornatum. Stigma crassum peltatum. Species non carens affinitate quadam cum *M. floribunda* DC. — In Peruvia; Dombey, Poeppig.

116. Miconia Ruizii †.

M. fruticosa; ramis supremis petiolis paniculisque dense ferrugineo-hirsutis; foliis ovatis breviter acuminatis basi rotundatis margine denticulatis 5-nerviis, pagina superiore rufo-villosa aut setosa subtiliter bullato-tuberculata, inferiore sub hirsutie punctis impressis seu foveolis minutis conspersa; paniculis terminalibus, ramis divaricatis; floribus in ramis ramulisque glomeratis sessilibus 5-meris.

Frutex Clidemias plurimas habitu et hirsutie in memoriam revocans. Rami supremi subteretes, a nodo ad nodum opposite sulcati, hirsutissimi. Folia 7-8 centim. longa, 4 lata, petiolis 1-1 $\frac{1}{2}$-centimetralibus. Flores ad apices ramorum ramulorumque paniculæ glomerati, omnino sessiles. Calyces campanulati 5-dentati, dentibus obtusis, denticulis externis sub hirsutie inconspicuis. Petala late cordiformia, profunde retusa, nonnihil inæquilatera, reflexa, sesquimillimetrum et quod excedit longa, 2 et amplius lata. Stamina 10 æqualia, antheris breviusculis subincurvis obtusis 1-porosis exappendiculatis. Ovarium depressum, fere omnino adhærens 5-loculare. Stylus crassiusculus, stigmate subclavato. — In

Peruvia prope Limam; Ruiz et Pavon. Specimen a celeberrimo Hooker communicatum.

117. Miconia hematostemon †.

M. fruticosa; ramis supremis pube densa ferruginea aut purpurascente hirsutis; foliis breviter petiolatis ovatis acuminatis basi rotundatis subtiliter denticulatis 5-nerviis, pagina superiore glabra aut setulis raris conspersa, inferiore hirtella; paniculis terminalibus pyramidatis opposite ramosis; ramulis extremis 1-3-floris; floribus pro genere majusculis pedicellatis 5-meris.

Folia ferme decimetralia, 5-6 centim. lata, marginibus ciliolata et argute denticulata, petiolis 5-10-millimetralibus. Rami paniculæ nonnihil patuli, in ramulos oppositos divisi, hirtelli. Flores pedicellis 2-5-millimetralibus suffulti. Calyces late campanulati, dentibus interioribus brevibus sed acutis et cum exterioribus fere coalitis. Petala late obovata, subretusa, subinæquilatera, in flore aperto reflexa, 4 millim. longa, albo-rosea, fortassis et purpurea. Stamina 10 æqualia, antheris oblongis 1-porosis exappendiculatis rubris aut purpureis. Ovarium apice liberum umbilicatum 5-loculare. Stigma punctiforme obtusissimum. — In locis humidis Novæ-Granatæ inter *Los Gallegos* et *Tochesita*, ad altitudinem 2000 metrorum; Linden, *Cat.* nº 1062.

118. Miconia phæotricha †.

M. fruticosa macrophylla subanisophylla; ramis supremis paniculis petiolis nervisque foliorum patentim hispidissimis; foliis longiuscule petiolatis late ovatis acuminatis denticulatis basi integris aut fortasse subcordatis 5-nerviis pagina utraque setoso-hispidulis; paniculis terminalibus pyramidatis opposite ramosis, ramulis extremis 2-5-floris; floribus ut plurimum pedicellatis 5-meris.

Species ut videtur *Melastomati laxifloro* Schlechtendalii (*Linnæa*, XIII, 426) affinis, tota setis purpurascentibus hispida, ramis supremis quadrisulcis. Folia (duo tantum suppetunt in specimine nostro) sesquidecimetrum circiter longa, decimetrum aut paulo minus lata, prætermisso nervulo utroque prope basim marginali superius autem evanido 5-nervia, margine irregulariter dentata aut denticulata et ciliata, petiolis 4-5-centimetralibus. Paniculæ floriferæ terminales aut potius jam in dichotomia terminali

alares, ramis subgracilibus trichotome divisis. Flores pedicello proprio 1-4-millimetrali donati brachypetali. Calyces late campanulati, dentibus exterioribus brevissimis apice setosis, interioribus subnullis. Petala fere latiora quam longiora retusa pilis glanduliferis ciliata, 1 ½ millim. longa, rosea. Stamina 10 inæqualia; antheris 1-porosis falcatis, loculis luteolis, connectivo atropurpureo. Ovarium globosum semi adhærens apice setis coronatum 3-loculare. Fructus globosi paulo ante maturitatem semen *Lathyri odorati* crassitudine jam æquantes. — In montibus mexicanis prope *Oaxaca*, ad altitudinem 1600 metrorum; Galeotti.

119. Miconia crinita †.

M. fruticosa macrophylla nonnihil anisophylla; ramis supremis petiolisque patentim setoso-hispidissimis præter setas adpresse furfuraceis; foliis longe petiolatis omnino cordiformibus acuminatis denticulatis 7-9-nerviis, pagina superiore subtiliter pustulatis, inferiore foveolatis, utraque pubescentibus; paniculis terminalibus pyramidatis opposite ramosis; floribus in extremis ramulis subcongestis sessilibus 5-meris.

Species maxime conspicua, prima fronte ad Heterotrichum referenda sed rectius inter Miconias numeranda, quamvis Heterotrichorum habitum præbeat. Rami supremi subteretes, tomento adpresso obscuro obducti setisque longis patulis rigidis quasi criniti. Folia basi profunde cordata aut potius omnino cordiformia, 1 ½-2 decim. longa et lata, petiolis decimetralibus nervisque primariis sub limbo hispidissimis. Panicularum rami et ramuli hispiduli. Calyces campanulati, dentibus brevissimis denticulo externo parum conspicuo notatis. Petala late obovata subretusa fere rotundata subrosea, 2 millim. et quod excedit longa et lata. Stamina æqualia, antheris oblongis obtusis 1-porosis exappendiculatis. Ovarium apice liberum 5-loculare. Stigma punctiforme. — In monte *Quindiu* Novæ-Granatæ, ad altitudinem 2500 metrorum; Linden, *Cat.* n° 1067.

120. Miconia stipularis †.

M. fruticosa; ramis supremis tetrahedris pube crispula rufescente hirsutis, ad nodos membrana stipulacea manicatis; foliis petiolatis ovatis obovatisve acuminatis basi rotundatis aut subacutis subtilissime et remote serrulatis 3-nerviis glabratis; paniculis majusculis in dichotomia alaribus subterminalibusve laxifloris; floribus 5-meris breviter pedicellatis sessilibus.

Frutex inter omnes Miconias propter expansionem foliaceam stipuli-

formem e nodis ramorum ortam cum angulis confluentem et insertionem petiolorum vestientem insignis. Folia 6-10 centim. longa, 3-6 lata, in prima juventute tomentosa mox glabrata, petiolis quasi in axilla membranæ stipulaceæ insertis, 2-3-centimetralibus. Rami panicularum oppositi subgraciles nonnihil divaricati. Flores in apicibus ramulorum extremorum magis minusve approximato-congesti, brevissime pedicellati. Calyces campanulati, dentibus interioribus membranaceis obtusis, denticulis exterioribus brevissimis acutis rigidulis. Petala late obovata aut subrotundata retusa, 2 millim. vel paulo amplius longa et lata, alba aut violacea. Stamina 10 æqualia, antheris oblongo-ovoideis 1-porosis exappendiculatis. Ovarium maxima parte adhærens 3-loculare. Stigma punctiforme. In monte *Quindiu* aliisque locis umbrosis Novæ-Granatæ, Bonpland; Linden, *Cat.* n° 819.

Var. β *annulata*, foliis quam in var. α longioribus subintegerrimis aut omnino integerrimis, membrana stipulacea fere obsoleta ad annulum reducta. In sylvis prope *Fusagasuga* provinciæ Bogotensis, ad altitudinem 2000 metrorum; Linden.

121. MICONIA MICROBOTRYA †. — *Melastoma polygama* Bonpl., *Mss. ined.*

M. fruticosa (fortassis arborescens) glabra minutiflora; ramis supremis tetrahedris mox teretibus; foliis petiolatis ovato-lanceolatis acuminatis sinuato-denticulatis triplinerviis; paniculis pyramidatis ab ipsa basi ramosis; floribus ad apices ramulorum approximatis brevissime pedicellatis 5-meris.

Planta *Miconiæ rubentis* et *M. cinnamomifoliæ* habitum referens. Folia 5-7 centim. longa, 2-3 lata, basi sæpe subacuta, nervis lateralibus 2-4 millimetra supra basim limbi e medio orientibus, petiolis 1-1 ½-centimetralibus. Paniculæ foliorum circiter longitudine, ramis duobus ex ipsa foliorum supremorum axilla ortis, ramulis multifloris. Calyces late campanulati breviter 5-dentati, denticulis exterioribus callosis dentium interiorum dorso insidentibus vix perspicuis. Petala obovata apice subretusa vix millimetralia. Stamina 10 æqualia, antheris lineari-oblongis rectis uniporosis exappendiculatis. Ovarium semiadhærens, ut videtur 3-loculare. Stylus gracilis staminum circiter longitudine, stigmate peltato-capitellato. Fructus submaturi globosi circiter crassitudine seminis *Sinapios albæ*. — In Jamaica, loco nobis ignoto. Specimen a clarissimo Hooker communicatum.

122. MICONIA SPINULOSA †.

M. fruticosa submacrophylla glaberrima; ramis supremis obscure

tetrahedris mox teretibus fuscescentibus; foliis petiolatis ovato-lanceolatis acuminatis basi sæpius acutis et in petiolum decurrentibus margine argute serrulatis insigniter quintuplinerviis reticulato-rugosis; paniculis terminalibus pyramidatis breviusculis, ramis subracemosis patulis aut etiam refractis; floribus sessilibus aut brevissime pedicellatis 4-meris.

Folia in eodem jugo nonnunquam æqualia, sæpius manifeste disparia 12-18 centim. longa, 5-6 lata, rigidula, marginibus serrulatis asperata et fere subspinulosa, nervis duobus interioribus unum aut alterum centimetrum supra basim limbi e medio ortis, petiolis circiter centimetralibus. Calyces campanulati, limbo 4-lobo, lobis obtusis denticulo externo instructis. Petala late obovata subretusa aut integra, 2 millim. circiter longa, alba. Stamina 8-æqualia, antheris oblongis subulatis 1-porosis exappendiculatis. Ovarium semiadhærens 4-loculare. — In provincia *Caracas* Venezuelæ prope *Galipan;* Funck et Schlim, *Cat.* n° 96.

123. Miconia Terera †.

M. fruticosa? glabra macrophylla; ramis obtuse tetrahedris a nodo ad nodum sulcatis; foliis breviter petiolatis subcoriaceis late lanceolatis breviter acuminatis basi etiam acutis aut subacutis integerrimis tripli-quintuplinerviis pagina superiore lucidis; paniculis terminalibus; floribus breviter pedicellatis 5-meris.

Specimen nostrum mancius est quam ut certa et completa evadat descriptio. Folia ferme 2 decim. longa, 7-8 centim. lata, si omittantur nervi extimi marginibus proximi et fere ab ipsa basi limbi orientes triplinervia, petiolis circiter centimetralibus. Paniculæ ut videtur pyramidatæ et foliis multo breviores. Calyces companulati breviter 5-dentati, dentibus obtusis, denticulis externis callosis parum conspicuis. Petala late obovata retusa aut potius cordiformia inæquilatera 3-4 millim. longa et lata. Stamina 10 æqualia, antheris crassiusculis ovoideo-oblongis apice obtuso 1-porosis, connectivo postice subgibboso sed minime appendiculato. Ovarium maxima parte adhærens liberum 5-loculare. Stylus gracilis, stigmate nonnihil dilatato. Planta in herbario parisiensi sub nomine *Tereræ triplinerviæ* indicabatur. — In Peruvia; Dombey.

124. Miconia lucida †.

M. fruticosa (fortassis arborescens) glabra; ramis supremis obscure tetrahedris mox teretibus; foliis subcoriaceis petiolatis

oblongo-ellipticis aut late lanceolatis breviter acuminatis basi acutis aut subacutis integerrimis, si prætermittantur nervuli duo submarginales triplinerviis, pagina superiore lucidis; paniculis terminalibus, ramis apice multifloris; floribus sessilibus 5-meris.

Folia 10-15 centim. longa, 4-5 lata, petiolis 1-1 $\frac{1}{2}$-centimetralibus. Paniculæ circiter longitudine foliorum, in herbario nigrescentes, ramis ramulisque apice potissime floriferis, floribus sessilibus aut brevissime et crasse pedicellatis. Calyces campanulati breviter et obtuse 5-dentati, denticulis externis ad tuberculum reductis vix conspicuis. Petala obovata apice subretusa 5-6 millim. longa, ut videtur alba. Stamina 10 æqualia, antheris ovoideo-oblongis subulatis 1-porosis exappendiculatis. Ovarium apice liberum 3-loculare. Stylus stamina subæquans, stigmate obtusissimo. — In Andibus Venezuelæ et provinciæ *Caracas*, ad altitudinem 2000-3000 metrorum; Linden.

125. Miconia quadrangularis. — *Cremanium quadrangulare* DC., *l. c.*, 192.

M. fruticosa fortassis subarborescens fere glaberrima; ramis quadrangularibus; foliis coriaceis petiolatis oblongis lanceolatisque acuminatis integerrimis margine nonnihil revolutis 3-nerviis; paniculis terminalibus pyramidatis thyrsoideisve; floribus sessilibus ad apices ramulorum congestis 5-meris.

Ramuli supremi præsertim panicularum pube lepidota parum conspicua obducti. Folia ovato-oblonga aut lanceolata, basi magis minusve rotundata, in herbario lutescentia, ferme decimetrum longa, 2-3 centim. lata, nervis primariis subtus prominentibus. Panicularum rami erecti aut divergentes, ramuli extremi sæpe 3-flori. Calyces campanulati, dentibus rigidis obtusis denticulo externo tuberculiformi instructis. Petala obtusa retusa ferme 3 millim. longa. Stamina 10 æqualia, antheris oblongo-ovoideis apice 1-porosis, connectivo exappendiculato aut postica basi vix tuberculato. Ovarium fere omnino adhærens 3-loculare. Stylus breviusculus, stigmate nonnihil clavato. — In montibus Jamaicæ; Purdie. Specimina nostra a celeberrimo Hookerio communicata fuerunt.

126. Miconia igniaria Bonpl., *ined.*

M. ramis supremis paniculis foliorumque pagina inferiore dense tomentosis canescentibus aut rufescentibus; foliis petiolatis

oblongo-lanceolatis acutis basi obtusis a medio ad apicem remote sinuato-denticulatis, prætermisso nervulo utroque submarginali triplinerviis, pagina superiore cito glabrata; paniculis terminalibus thyrsoideis confertifloris bractearum copia intermixtis; floribus sessilibus 5-meris.

Rami supremi subteretes aut obscure tetrahedri, tomento denso obducti, vetustiores magis ac magis teretes et spoliati. Folia 7-10 centim. longa, 1 ½-2 aut paulo amplius lata, excepta pagina inferiore quæ tomentum copiosum retinet in herbario nigra, nervis tribus subtus prominulis, petiolis circiter centimetralibus. Bracteæ floribus intermixtæ tomento obsitæ, teretes, subulatæ, ferme centimetrum longæ. Calyces pariter tomentosi breviter et obtuse 5-dentati, denticulis externis sub tomento conspicuis. Petala suborbicularia apice subretusa 3 millim. longa et lata alba aut luteola. Stamina 10 æqualia, antheris ovoideo-oblongis 1-porosis exappendiculatis. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stigma punctiforme. — In America æquinoctiali prope *Guamani;* Bonpland.

127. Miconia myrtillifolia †.

M. fruticosa (fortassis arborescens) glaberrima pro genere microphylla; ramis quadrangulis; foliis breviter petiolatis ovatis obovatisve aut ellipticis acutis serrulatis 3-nerviis; paniculis terminalibus subterminalibusque parvis fere in corymbos dispositis bracteosis: floribus ad apices ramulorum brevissime pedicellatis 5-meris.

Planta a plerisque Miconiis habitu recedens, Bucquetiam in mentem revocans, bracteis inflorescentiæ conspicua. Rami hornotini et annotini tetragoni, vetustiores magis ac magis teretes, omnes glaberrimi. Folia late elliptica aut obovata, basi sæpius subacuta quam omnino rotundata, marginibus argute serrulata, 2-3 centim. longa, 1-1 ½ lata. Rami floriferi terminales et ex axillis foliorum supremorum orti in paniculam fere corymbiformem approximati, apice 3-7-flori rarius pluriflori. Florum glomeruli bracteis lanceolatis quasi involucrati bracteolisque linearibus fere centimetralibus et flores multo superantibus intermixti. Calyces campanulati 5-dentati, dentibus obtusis denticulo externo breviore armatis. Petala obovata, apice integro rotundata, 5 millim. longa, alba. Stamina 10 æqualia, antheris oblongo-ovoideis aut ellipticis 1-porosis exappendiculatis. Ovarium paulo supra medium adhærens 3-loculare (fortassis et 5-loculare). Stylus gracilis, stigmate punctiformi. Baccæ

maturæ globosæ, dentibus calycinis coronatæ, crassitudine pisi. — In montibus Venezuelæ, prope *Truxillo* et *Merida*, ad altitudinem 2000-3000 metrorum; Linden, Funck et Schlim.

128. MICONIA THOMASIANA DC., *l. c.*, 189. — *Melastoma coriacea* Juss. in *Herb. Mus. Par.*

M. fruticosa (fortassis subarborea?) submacrophylla fere glaberrima; ramis robustis lignosis; foliis coriaceis petiolatis ovatis apice subobtusis basi ut plurimum rotundatis aut saltem non acutis margine integerrimis et sæpe revolutis tripli-quintuplinerviis; paniculis terminalibus lateralibusque parvis oliganthis, ramis gracilibus divaricatis, floribus nunc subsessilibus nunc longiuscule pedicellatis 5-meris.

Species inter Miconiam et Staphidium intermedia, utrique fere æquo jure adscribenda. Folia magnitudine variabilia, 8-15 centim. longa, 3-6 lata, ovata, ovato-oblonga aut etiam elliptica, basi haud raro inæquilatera, glaberrima, rigidula, marginibus sæpissime revolutis, nervis subtus prominentibus, duobus lateralibus e medio circiter centimetrum supra basim limbi ortis frequentissime inter se alternis. Paniculæ ad apices ramorum ramulorumque axillarium in anthesi terminales, ut videtur demum laterales, ab ipsa basi trichotomæ et idcirco quasi triplices, foliis breviores, fortassis subpendulæ, ramis gracilibus haud raro divaricatis paucifloris. Calyces campanulati, dentibus interioribus brevibus obtusis, denticulis exterioribus subulatis acutissimis fere setiformibus attamen parum conspicuis in specimine exsiccato. Petala late obovata apice retusa fere 5 millim. longa. Stamina 10 æqualia, antheris lineari-subulatis 1-porosis exappendiculatis. Ovarium semiadhærens apice umbilicatum 3-loculare. Stylus gracilis, stigmate punctiformi. — In Antillis? Locus natalis non designatur in herbario sed insulam Sancti-Thomæ suspicatur Candollæus.

§ 3. *Miconiæ hujus sectionis quarum flores in herbario nostro non suppetebant et idcirco loci incerti.*

129. MICONIA WILLDENOWII Klotzsch, in *Herb. Berol.*

M. fruticosa macrophylla macrothyrsa; ramis supremis acute et producte quadrangulis paniculis foliorumque pagina inferiore pube ferruginea adpressa obductis; foliis breviter petiolatis lanceolato-ellipticis utrinque acuminatis basi in petiolum de-

currentibus integerrimis trinerviis pagina superiore glabratis ; paniculis terminalibus opposite ramosis, ramulis interrupte floriferis fere spicatis ; floribus sessilibus 5-meris.

Speciei hujus eximiæ quam nullibi descriptam reperimus specimen unum fructiferum sed floribus carens e Musæo regio Berolinensi sub nomine *M. Willdenovii* recepimus. Inter omnes Miconias eminet angulis ramorum superiorum acutis productis nec tamen vere pterophoris ut in *M. alata* petiolisque crassis rigidis acute trigonis et cum angulis ramorum continuis. Folia rigidula erecta apice in acumen gradatim attenuata, inferne abruptius acuminata et ferme usque ad basim petioli decurrentia , triplinervia (nervis lateralibus margini proximis) , pagina inferiore tomento stellato in ipsis nervis ferrugineo, inter nervos pallidiore obducta, 1 ½ - 2 decim. longa , 5-8 centim. lata, petiolis 2-3-centimetralibus. Inflorescentia ut in *M. brunnea*, ramis angulosis, ramulis extremis productis floriferis spicas interruptas formantibus, floribus sessilibus fere verticillatis. Fructus floribus pauciores globosi circiter crassitie seminis *Lathyri odorati*. — In Brasilia , loco haud indicato; Sellow.

130. Miconia brunnea DC., *l. c.*, 184.

M. fruticosa macrophylla megastachya; ramis supremis compressis et subtetrahedris paniculisque pube furfuracea rufescentibus ; foliis maximis petiolatis ovatis acutis basi angustata in petiolum longe decurrentibus integerrimis aut obsolete repando-sinuatis , excepto utroque nervulo marginali triplinerviis , pagina superiore glabratis, inferiore pube minuta stellata adpressa rufescentibus ; panicula terminali maxima opposite ramosa multiflora ; floribus secus ramulos congestis sessilibus 5-meris.

Specimen nostrum e Musæo Berolinensi sub nomine *M. brunneæ* DC. communicatum cum descriptione Candollæana non omnino quadrat, sed quum istud ei nomen sagacissimus Chamissoes imposuit cui Melastomaceas herbarii Berolinensis cum Martiano conferre licebat, minime nobis dubitandum est quin speciem Candollæanam habeamus sed variabilem nec iisdem notis semper dignoscendam. Huic sequentes characteres ex specimine unico et incompleto adscribemus : rami supremi crassiusculi alternatim hinc et inde compressi quadrisulci obtuse tetrahedri, veteriores teretes. Folia 3-4 decim. et quod excedit longa, 1 ½ - 2 lata, petiolis calamum scriptorium crassitudine æmulantibus striatis (saltem

in herbario), 4-7 centim. longis. Paniculæ circiter magnitudine foliorum, opposite ramosæ; ramulis (seu ramis secundarii ordinis) pariter oppositis, fere verticillatim floriferis et ideo spicas interruptas formantibus. Flores ipsi nobis ignoti; fructus pauci persistentes globosi pisum crassitudine subæquantes. — In Brasilia, loco haud indicato; Sellow.

131. Miconia bracteolata DC., *l. c.*, 182. — *Melastoma bracteolata* Bonpl., *Mélast.*, p. 46, tab. 20.

M. fruticosa (aut fortassis subarborea); ramis supremis obscure 4-hedris petiolis paniculisque ferrugineo-tomentosis; foliis petiolatis elliptico-lanceolatis acutis subacuminatisque basi obtusis aut subacutis integerrimis 3-nerviis; paniculis terminalibus subbrevibus pyramidatis confertifloris bractearum linearium filiformiumve copia intermixtis.

Hujus conspicuæ speciei flores explicatos non vidimus, nam in nostro specimine alabastrorum rudimenta tantum suppetunt. Folia centimetrum et quod excedit longa, 3 circiter lata, in prima juventute tomento rufo stellato utrinque obducta, mox pagina superiore glabrata, inferiore autem tomentum retinentia, nervis lateralibus ex ipsa basi limbi ortis, petiolis bicentimetralibus. Paniculæ rami densiflori bracteolis 5-10-millimetralibus cylindricis tomentoso-rufis undique hirsuti et characterem specificum facile deprehendendum præbentes. Flores (teste Bonplandio) 5-meri, petalis obovatis albis, ovario 3-loculari. — In montibus Americæ æquatorialis prope Loxam; Bonpland.

132. Miconia trichotoma DC., *l. c.*, 188. — *Melastoma trichotoma* Desr. in Lamk., *Dict.*, IV, 53.

M. fruticosa macrophylla; ramis subteretibus pube tenui pulverulenta obductis; foliis petiolatis ovatis obovatisque breviter acuminatis basi subobtusis integerrimis, prætermisso nervo utroque marginali 3-nerviis, fere glaberrimis; paniculis terminalibus magnis pyramidatis ramosissimis minutifloris.

Species in herbario Parisiensi valde incompleta, folia et paniculas fructiferas exhibens sed floribus carens. Habitu *Miconiæ nicotianæfoliæ* accedit sed magis floribunda est. Folia sesquidecimetrum et quod excedit longa, 8-10 centim. lata, petiolis 2-4-centimetralibus, nervis lateralibus ex ipsa basi limbi aut pauca millimetra supra basim e medio ortis, nervulis transversis subtus prominulis, pagina superiore glaber-

rima, inferiore pubem pulverulentam secus nervos retinente, utraque in herbario nigrescente. Paniculàrum rami ramulique trichotomi subgraciles et nonnihil divaricati. Flores 5-meri videntur et ovario 3-loculari donati. Cætera nobis ignota. Habitu *Miconiæ Rivœriæ* fere simillima est. — In Antillis, loco haud designato; Surian.

133. Miconia lanceolata DC., *l. c.*, 190. — *Melastoma lanceolata* Desr. in Lamk., *Dict.*, IV, p. 43.

M. fruticosa substenophylla ; ramis subteretibus paniculis foliorumque pagina inferiore tomento adpresso brevi rufescentibus ; foliis petiolatis coriaceis oblongo-lanceolatis in acumen gradatim attenuatis basi rotundatis aut saltem obtusis margine tenuissime et remote denticulatis triplinerviis pagina superiore glaberrimis aut saltem mature glabratis ; paniculis terminalibus bracteosis pyramidatis subbrevibus.

Planta speciminibus incompletis tantum nobis cognita sed huic generi absque dubio addicenda. Folia 12-18 centim. longa, 2-3 lata, subtus tomento rufo brevi obducta, marginibus vix perspicue denticulatis asperata, trinervia (id est nervis duobus lateralibus e medio paulo supra basim limbi orientibus), nervulis transversis parallelis inter se approximatis et structuram foliorum *Blakeæ trinerviæ* in memoriam quodammodo revocantibus. Paniculæ trichotome divisæ, bracteolis lanceolatis intermixtæ. In nostris speciminibus florum prima rudimenta sola suppetebant. Si Encyclopædiæ celeberrimis auctoribus fides adhibenda est, flores sunt 5-meri, petala suborbicularia et lutea, fructus baccati globosi fortasse 5-loculares. Species a posteris revisenda. — In insula *Saint-Domingue;* Martin, Beauvois.

134. Miconia Blanchetiana †.

M. fruticosa macrophylla macrothyrsa micrantha ; ramis supremis fere hexagonis et quasi hexapteris mox teretibus glabris aut potius pulvere adpresso inconspicuo obductis; foliis petiolatis ellipticis aut elliptico-ovatis breviter acuminatis basi in petiolum profunde canaliculatum decurrentibus sinuato-dentatis 5-nerviis pagina superiore glaberrimis inferiore cano-tomentosis ; paniculis terminalibus ramosissimis floribundis; floribus ad apices ramulorum extremorum sessilibus 5-meris.

Species nobis incomplete cognita, specimen enim quod unicum habe-

mus fructiferum est sed floribus caret. Rami hornotini jam subteretes essent nisi obstaret sulcus in utroque latere opposito insculptus et longitudinaliter costis seu marginibus duobus inclusus, quibus etiam accedunt margines duo elevati e petiolis decurrentes, unde fit ut rami hujus ætatis fere hexapteri videantur; annotini nodosi magis ac magis teretes. Folia 1 ½-3 decim. longa, 8-12 centim. lata, petiolis 3-4-centimetralibus. Paniculæ late pyramidatæ aut fortassis corymbum mentientes. Flores in ramulis extremis (id est tertii aut quarti ordinis) ut plurimum trini, haud raro plures aut omnino solitarii. Fructus submaturi globosi semine Sinapios paulo crassiores. — In vicinia Bahiæ Brasiliæ septentrionalis; Blanchet.

135. Miconia titanea †.

M. fruticosa subarborescens macrophylla micrantha; ramis supremis compressis subtetrahedris paniculis petiolis foliorumque nervis tomento pulverulento rufescente obductis; foliis late ovatis breviter apiculatis basi subacutis subobtusisve margine vix conspicue denticulatis et primo adspectu integerrimis 3-nerviis, pagina superiore cito glabrata, inferiore inter nervos pubente; paniculis majusculis thyrsoideis floribundis, ramulis ultimis 3-7-floris; floribus sessilibus 5-meris.

Species habitu *M. molybdeæ* simillima et cum ea facile confundenda nisi attentius consideretur. Differt potissimum floribus minoribus calycibusque brevioribus et fere sphæricis dum apud alteram in formam campanæ magis producuntur. Folia adulta 2 decim. et quod excedit longa, 1-1 ½ lata, ab ipsa basi 3-nervia, nervulo marginali vix distincto, petiolis 3-5-centimetralibus. Paniculæ terminales multoties et opposite ramosæ. Calyces late campanulati, dentibus brevissimis obtusissimis dorso tuberculum callosum vix distinctum gerentibus. Petala nec genitalia suppetebant. Ovarium globosum semiadhærens, ut videtur 3-loculare. Baccæ submaturæ globosæ circiter crassitudine seminis *Lathyri odorati*. — In vallibus nemorosis provinciæ *Yunquisivi* Boliviæ; Weddell.

136. Miconia cælata DC., *l. c.*, 183. — *Melastoma cœlata* Bonpl., *Melast.*, tab. 6.

M. fruticosa elata subarborescens; ramis supremis furfure ferrugineo aut atropurpureo obductis; foliis petiolatis oblongo-ellipticis acutis basi obtusis subtiliter crenulatis 3-nerviis

reticulatis pagina superiore glabratis inferiore tomentoso-ferrugineis; paniculis terminalibus pyramidatis confertifloris; floribus sessilibus 5-meris.

Pauca de hac eleganti stirpe propter speciminum nostrorum statum incompletum nobis innotescunt et ut plura discant lectores bonum erit ut ad opus Bonplandianum recurrant. Rami supremi subteretes dense furfuracei, vetustiores magis ac magis glabrati. Folia subcoriacea rigidula pulchre reticulata, 5-6 centim. longa, 1 ½-2 lata, petiolis 1-1 ½-centimetralibus, nervis lateralibus margini proximis. Flores secus ramos aut ramulos panicularum sessiles. Cætera desiderantur. — In summis montibus Novæ Granatæ, prope *Loxa;* Bonpland.

137. Miconia Sieberi DC., *l. c.*, 189. — Sieber, *Flor. Trin.*, 260.

M. fruticosa (fortassis arborea) glabra pro genere submicrophylla micrantha; ramis hornotinis tetragonis ad apices dense foliosis, annotinis magis minusve teretibus nodosis, nodis approximatis; foliis petiolatis lanceolato-ellipticis acuminatis basi etiam subacutis margine serrulatis ab ipsa basi trinerviis; paniculis terminalibus pyramidatis; floribus breviter pedicellatis 5-meris.

Species *Miconiæ microbotryæ* habitu proxima sed facile distincta foliis denticulatis et ab ipsa basi trinerviis nec ut in illa triplinerviis. Rami in lignum mature indurati, nodis approximatis et tumidis; ramuli juniores acute 4-goni, a nodo ad nodum sulcati. Folia 4 centim. et quod excedit longa, 1 ½ lata, denticulis marginalibus callosis, petiolis gracilibus ut plurimum sesquicentimetralibus. Paniculæ folia longitudine subæquantes. Alabastra (quæ in speciminibus nostris sola suppetebant) globosa minuta. Calyces late campanulati; dentibus 5 obtusis, denticulos exteriores vix conspicuos gerentibus. Petala late obovata retusa circiter millimetrum longa. Stamina non satis vidimus. Ovarium 3-loculare. — In vicinia urbis *Maracaïbo* Americæ æquinoctialis; Plée.

VI. AMBLYARRHENA.

Flores 4-8-meri, sæpius 5-meri. Calyces late campanulati, limbo dentato aut subintegro, denticulis externis obsoletis aut rarius manifestis et acutis. Antheræ breviusculæ (id est longitudine latitudinem duplam aut vix subtriplam æquante), lineari oblongæ vel etiam obovoideæ, rectæ aut nonnihil recurvæ, apice obtusissimo non autem truncato 1-porosæ, basi appendiculis ornatæ aut

destitutæ. Ovarium sæpius partim liberum, nonnunquam omnino adhærens. Subgenus a præcedente et sequente non satis distinctum.

A. *Antherarum connectivum antice sub loculis biauriculatum aut saltem bilobulatum, postice tuberculatum aut inerme.*

138. Miconia otodesma †.

M. fruticosa aut fortassis subarborea; ramis hornotinis pulverulentis subglabrisve hinc et inde alternatim compressis, vetustioribus teretibus glabratis; foliis breviuscule petiolatis ellipticis subobtusis margine sinuato-denticulatis et nonnihil revolutis 3-nerviis, in prima ætate tomento minuto pulverulento cinereo supra afflatis mox glabratis, pagina inferiore tomentum adpressum retinentibus, paniculis terminalibus pyramidatis; floribus sessilibus 5-meris.

Folia subcoriacea 4-5 centim. longa, 2-4 lata, petiolis 4-6-millimetralibus. Calyces campanulati breviter 5-dentati, dentibus tuberculo minuto externo instructis. Petala late obovata et fere cordiformia retusa 2 millim. longa et lata. Stamina 10 æqualia; antheris brevibus fere ovoideis apice quasi truncato biporosis, connectivo sub loculis albicantibus aut luteolis biauriculato, postica basi nonnihil tuberculato. Ovarium semiadhærens globosum 2-3-loculare. Stylus breviusculus, stigmate obtusissimo. — In Imperio Novo-Granatensi prope *Bogota;* Bonpland, Goudot; et in vicinia urbis *Quito*, Jameson. Species secundum loca variabilis.

139. Miconia cernua †.

M. fruticosa ramosissima microphylla pro genere macrantha; ramis supremis teretibus pulverulento-hirtellis; foliis petiolatis coriaceis ellipticis utrinque subobtusis margine reflexis denticulatis 3-nerviis vix non glaberrimis; paniculis axillaribus paucifloris pendulis; floribus pedicellatis 5-meris.

Rami vetustiores subtortuosi indurati, juniores nodosi foliosi tomento pulverulento squalido obducti. Folia ut plurimum 2 centim. longa, vix unum lata, sæpe minora, rarius majora, erectiuscula rigida, pagina superiore lucida, inferiore inter nervos punctulata, petiolis 2-3-millimetralibus. Paniculæ in ramis junioribus axillares et alares graciles paucifloræ pendulæ, ramis 1-3-5-floris. Calyces late campanulati aut

hemisphærici, dentibus interioribus membranaceis rotundatis, denticulis exterioribus tuberculiformibus priorum dorso insidentibus. Petala fere rotundata retusa circiter 4 millim. longa et lata lutea. Stamina 10 æqualia; antheris oblongo-ovoideis, 2-porosis?, connectivo antica basi bilobo postica tuberculato. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stigma capitellatum aut subpeltatum. Fructus submaturi piso paulo minores. Planta quasdam Chætogastras refert habitu inflorescentia et staminum fabrica. — In montibus dictis *Sierra Nevada* Reipublicæ Venezuelensis, ad altitudinem 2500-3000 metrorum; Funck et Schlim.

140. MICONIA AMBLYANDRA †.

M. fruticosa macrophylla; ramis supremis opposite sulcatis tomento rubiginoso inconspicuo obductis demum subteretibus et glabratis; foliis petiolatis coriaceis oblongo-obovatis, apice subrotundato apiculatis aut obtusissimis, basi acuminata in petiolum decurrente, integerrimis tripli-quintuplinerviis mature glabratis; paniculis terminalibus pyramidatis; floribus ad apices ramulorum sessilibus ut plurimum ternis 5-meris.

Ramuli supremi debiles profunde 4-sulci, internodiis elongatis; annotini robustiores magis ac magis teretes. Folia oblongo-obovata coriacea rigidula plana quasi glaberrima, adjectis nervis submarginalibus quintuplinervia, apiculo brevi terminata, basi acuminata, 1-2 decim. longa, 6-9 centim. lata, petiolis 2-3-centimetralibus. Ramuli extremi paniculæ sæpius 3-flori, rarius 1-2-flori aut 7-flori. Calyces campanulati, dentibus obsoletis, denticulis externis callosis vix perspicuis. Petala late obovata inæquilatera retusa carnosula, 3-4 millim. longa et lata, alba aut rosea. Stamina 10 æqualia; antheris breviusculis obtusis 1-porosis nonnihil recurvis, connectivo infra loculos brevissime producto et in insertione filamenti antice bitesticulato. Ovarium maxima parte adhærens 3-loculare. Stigma obtusum incrassato-capitellatum. — In provincia *Pamplona* Novæ-Granatæ, ad altidudinem 1500 metrorum; Funck et Schlim, *Cat.* n° 1408.

141. MICONIA SELLOWIANA. —*Cremanium Sellowianum* Cham., *Herb. Berol.*

M. fruticosa vix non glabra; foliis petiolatis lanceolatis acuminatis basi subacutis et in petiolum decurrentibus margine

serratis triplinerviis; paniculis terminalibus thyrsoideis confertifloris; floribus subsessilibus 5-meris.

Rami supremi obscure tetrahedri, mox teretes, glabri aut pube pulverulenta inconspicua demum caduca afflati. Folia in iisdem jugis subæqualia, interdum et conspicue disparia, 6-8 centim. longa, 1 ½-2 et quod excedit lata, pagina superiore fortassis viscidula, in herbario nigrescentia, dentibus magnis remotiusculisque serrata, petiolis 5-10-millimetralibus. Paniculæ foliorum supremorum ferme longitudine aut ea paulo superantes. Calyces late campanulati brevissime 5-lobi, lobis denticulos externos vix perspicuos gerentibus. Petala obovata apice rotundata sesquimillimetrum longa. Stamina 10 æqualia, antheris vix recurvis elliptico-oblongis apice poro magno in duos mediante dissepimento loculorum quasi diviso dehiscentibus, connectivo antica basi breviter et obtuse biauriculato. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stylus gracilis sub stigmate gradatim incrassatus et idcirco apice subclavatus. — In provincia Brasiliæ australis dicta *Rio Grande;* Gaudichaud.

B. *Antherarum connectivum basi postica calcare obtuso aut subacuto terminatum, antice exappendiculatum.*

142. Miconia acalephoides †.

M. fruticosa; ramis supremis sulcatis mox teretibus petiolisque hirtellis; foliis mollibus longiuscule petiolatis ovatis vix acuminatis basi rotundatis aut vix emarginatis subtiliter crenulatis 5-7-nerviis, pagina superiore bullis minutis setuliferis sæpius pustulata, inferiore in nervis nervulisque hirtella; paniculis terminalibus pyramidatis; floribus subsessilibus 5-meris.

Folia (in herbario virorem quemdam retinentia) 8-12 centim. longa, 5-6 lata, petiolis 2-5-centimetralibus. Panicularum rami primarii in eodem nodo fasciculato-oppositi; flores in ramulis ultimi ordinis congesti, setis fere aculeiformibus e pedicellorum basi ortis intermixti. Calyces late campanulati, breviter et obtuse 5-dentati, dentibus denticulo externo manifesto ornatis. Petala obovata retusa fere cordiformia alba 2-3 millim. longa. Stamina 10 æqualia; antheris breviusculis ovoideis 1-porosis, connectivo postice in calcar breve producto; filamentis basi complanatis, apice subulatis. Ovarium supra medium adhærens 3-loculare. Stigma clavatum. Species *M. psychrophilæ* vicina.—In montibus Novæ-Granatæ; Goudot.

143. MICONIA PUSTULATA †.

M. fruticosa submacrophylla; ramis paniculis petiolis foliorumque pagina inferiore tomentoso-rufescentibus; foliis ovatis breviter acuminatis basi subcordatis aut rotundatis argute denticulatis 5-7-nerviis, pagina superiore mature glabrata bullato-pustulatis, inferiore reticulato-foveolatis; paniculis terminalibus pyramidatis; floribus ad apices ramulorum capitato-congestis 5-meris.

Rami hornotini fere crassitudine pennæ anserinæ, subteretes, tomento rufescente obducti. Folia ovata acuta aut vix in acumen producta, denticulis crebris acutis ornata, decimetrum et quod excedit longa, 6-8 centim lata, pagina superiore bullis acutis exasperata, inferiore foveolis insculpta et tomentum retinente, petiolis 2-5-centimetralibus. Capituli ad apices ramulorum paniculæ densiflori, diametro fere centimetrales, in anthesi staminibus exsertis undique comosi. Calyces campanulati, dentibus brevibus subobsoletis, denticulis externis vix perspicuis. Petala late obovata inæquilatera quasi sinuato-denticulata reflexa 2 millim. longa et lata alba. Antheræ 10 æquales breviusculæ obtusæ 1-porosæ nonnihil recurvæ, connectivo postica basi in calcar breve acutum producto. Ovarium maxima parte adhærens 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate subincrassato. — In provincia *Mariquita* Novæ-Granatæ loco dicto *Alto de las Cruces*, ad altitudinem circiter 2400 metrorum; Linden, *Cat.* n° 1069.

144. MICONIA BUXIFOLIA †.

M. fruticosa fere fastigiatim ramosa microphylla glaberrima foliosa et floribunda; foliis coriaceis petiolatis obovatis apice obtusis inferne subacutis subintegerrimis, nervo utroque laterali subevanido 1-nerviis, vernicosis; paniculis terminalibus brevibus multifloris; floribus ut plurimum breviter pedicellatis 5-meris.

Frutex ab omnibus aliis hujus generis nobis cognitis habitu et foliorum parvitate discedens, florum abundantia decorus, superne ramosissimus et dense foliosus. Rami supremi hornotini graciles, annotini foliis nudati nodosi rugosi. Folia fortassis in planta viva viscidula, integerrima aut denticulis perpaucis et vix conspicuis in setam brevem abeuntibus sub apice ornata, marginibus magis minusve revoluta, decimetrum circiter longa, 5 millim. lata, nervo medio subtus prominente, lateralibus duobus subobsoletis, petiolis 2-3-millimetralibus. Paniculæ

numerosissimæ erectæ bi-tricentimetrales. Calyces campanulati obsolete quinquedentati. Petala late cordiformia, 1 ½ millim. longa, 2 lata, alba. Stamina 10 æqualia, antheris brevibus aut oblongo-ovoideis nonnihil recurvis obtusis 1-porosis, connectivo basi postica in calcar obtusum demissum producto; filamentis complanatis. Ovarium maxima parte adhærens 3-loculare. Stigma punctiforme obtusum. — In provincia *Pamplona* Novæ-Granatæ, loco dicto *Paramo de las Cruces*, ad altitudinem 3000 metrorum; Funck et Schlim, *Cat*, nº 1316.

145. Miconia centrophora †.

M. fruticosa (fortassis arborea); ramis teretibus petiolisque pube pulverulenta subrufescente obductis; foliis ovatis acutis aut breviter acuminatis basi rotundatis aut saltem obtusis margine integerrimis aut vix conspicue denticulatis 5-nerviis, pagina superiore glabra aut glabrata, inferiore in nervis pulverulenta; paniculis terminalibus brevibus subcorymbosis densifloris; floribus breviter pedicellatis 5-meris.

Rami teretes, cortice gilvo pulverulento, in speciminibus exsiccatis rugoso. Folia inæqualiter petiolata, 4-6 centim. longa, 2-3 lata, foliis multo minoribus intermixta; petiolis 1-3-centimetralibus. Flores in extremis ramis panicularum congesti subcapitati, pedicellis brevibus crassis suffulti; paniculæ ipsæ abbreviatæ et dilatatæ, fere corymbiformes, foliolis minutis petiolatis intermixtæ. Calyces campanulati, dentibus interioribus brevibus rotundatis, denticulis exterioribus acutis subreflexis. Petala subrotunda, millimetrum longa et lata. Stamina 10 æqualia, antheris brevibus elliptico-ovoideis apice obtusis 1-porosis, connectivo postica basi in calcar crassiusculum acutum producto. Ovarium stylusque nos effugerunt. — In Peruvia; Mathews, *Cat.* nº 1263. Specimen nostrum ex herbario Hookeriano communicatum est.

146. Miconia reclinata. — *Cremanium reclinatum* DC., *l. c.*, 192. — *Melastoma reclinata* Bonpl., *Mélast.*, tab. 48.

M. fruticosa glaberrima pro genere microphylla brachythyrsa penduliflora; ramis subgracilibus teretibus; foliis petiolatis late ovatis subacutis vix conspicue serrulatis margine revolutis et idcirco primo adspectu integerrimis triplinerviis; paniculis terminalibus cernuis; floribus brevissime pedicellatis aut sessilibus 5-meris.

Frutex circiter sesquimetralis. Fol.a 1 ½-2 centim. longa, 1 et quod

excedit lata, interdum et angustiora, nervis lateralibus cum medio unum et alterum millimetrum supra basim limbi coalitis, petiolis gracilibus 5-10-millimetralibus. Paniculæ circiter foliorum longitudine paucira-mosæ pauciflorae. Calyces campanulati, dentibus brevibus callosis, tubo 10-costato. Petala subrotunda emarginata, 2 millim. longa et lata, alba. Stamina 10 subæqualia, antheris oblongis apice obtuso 1-porosis, connectivo postica basi (saltem 5 staminum majorum) in calcar crassum obtusum deorsum vergens producto. Ovarium semiliberum 3-loculare. Stylus exsertus, stigmate subcapitellato. — In monte *Saraguru* Peruviæ, Blonpland.

C. *Antheræ neque antice neque postice appendiculatæ.*

a. Species 4-meræ, præter staminum fabricam fere Ossæis affines; inflorescentia sæpius terminali, nonnunquam etiam laterali.

147. Miconia inaperta †.

M. fruticosa glaberrima; ramis obscure tetrahedris mox teretibus; foliis longiuscule petiolatis late elliptico-lanceolatis acuminatis basi acutis margine subtiliter serrulatis quintuplinerviis; paniculis terminalibus subterminalibusque, ramis subgracilibus, floribus ut plurimum pedicellatis 4-meris.

Rami supremi profunde quadrisulci, inferiores magis ac magis teretes. Folia in eodem jugo æqualia et inæqualia, 1 decimetrum circiter longa, 4-5 centim. lata, prætermissis nervis marginalibus inconspicuis quintuplinervia; marginibus subtiliter serrulato-asperis; petiolis 2-3-centimetralibus. Flores pedicellis 2-4-millimetralibus ut plurimum suffulti, rarius omnino sessiles. Calyces campanulati, dentibus brevissimis obtusis simplicibus. Petala in flore explicato erecta (saltem reflexa non vidimus), ovata aut ovato-elliptica potiusquam obovata, apice rotundato integra, 2 millim. circiter longa, alba aut albicantia. Stamina 8 æqualia, antheris oblongis obtusis, 1-porosis? (ea in alabastro tantum vidimus). Ovarium fere usque ad apicem adhærens 4-loculare. Stigma punctiforme. — In montibus prope *Truxillo* Venezuelæ, ad altitudinem 2300 metrorum; Funck et Schlim; *Cat.* nº 748.

148. Miconia arbutifolia †.

M. fruticosa glaberrima; ramis hornotinis quadrisulcatis, annotinis teretibus nodosis; foliis coriaceis petiolatis ovato-ellipticis acuminatis basi subacutis obsolete serrulatis triplinerviis;

paniculis terminalibus thyrsoideis; floribus ad apices ramulorum congestis sessilibus 4 meris.

Rami annotini lignosi duri nodosi tortuosi. Folia in eodem jugo æqualia et nonnihil disparia obsolete serrulata nec raro subintegerrima, præter nervulos marginales triplinervia, rigidula, 5-8 centim. longa, 3-4 lata, petiolis 4-8-millimetralibus. Calyces campanulati 4-dentati; dentibus obtusis sed distinctissimis, denticulis exterioribus subulatis quam interiores paulo brevioribus. Petala inæquilatere obovata retusa, ferme 3 millim. longa, alba et rosea. Stamina 8 æqualia, antheris oblongis subreflexis apice obtusissimis poro unico vix perspicuo apertis exappendiculatis, filamentis apice subulatis. Ovarium fere usque ad apicem adhærens 4-loculare. Stigma punctiforme. — In montibus provinciæ *Truxillo* Venezuelæ, ad altitudinem 2000 metrorum; Funck et Schlim, *Cat.* n° 739.

149. Miconia ulmarioides †.

M. fruticosa glaberrima micrantha; ramis teretibus; foliis breviter petiolatis late elliptico-lanceolatis acuminatis basi subacutis margine integerrimis triplinerviis; paniculis terminalibus majusculis multifloris; floribus ad apices ramulorum subsessilibus sessilibusve 4-meris.

Rami supremi foliosi mature in lignum indurati, subgraciles, id est penna anatina vix crassiores, in summis apicibus obtuse tetrahedri, mox teretes, cortice fuscescente obtecti. Folia in acumen acutum apice producta, basi acuta aut subacuta, prætermissis nervulis marginalibus parum conspicuis triplinervia, integerrima, circiter decimetrum longa, 3-4 centim. et quod excedit lata, petiolis 5-7-millimetralibus. Paniculæ ut plurimum constantes e paniculis secundariis terminalibus et ex axilla foliorum ultimi et penultimi jugi ortis, circiter foliorum longitudine, pyramidatæ, rachi ramisque quadrangulis quadrisulcatis, ramulis extremis sæpe 3-floris. Calyces in anthesi subglobosi, semen Sinapios crassitudine æmulantes, dentibus 4 subobsoletis extus tuberculo proprio vix conspicuo instructis. Petala obovata, apice subemarginata, 3-4 millim. longa. Antheræ lineari-oblongæ, apice obtusissimæ, ut videtur 1-porosæ, omnino exappendiculatæ. Ovarium semiadhærens 4-loculare. Stigma obtusum. — In Andibus Venezuelæ inter *Truxillo* et *Merida*, supra 1500 metra altitudinis; Linden.

150. Miconia ægrotans †.

M. fruticosa (fortassis subarborescens) glaberrima; ramis mature

induratis teretibus fuscescentibus ; foliis breviter petiolatis lanceolatis apice gradatim attenuatis et acutis basi subrotundatis integerrimis subtriplinerviis ; paniculis terminalibus parvis aut saltem mediocribus ; floribus pedicellatis et sessilibus 4-meris.

Species *M. ulmarioidi* affinis, ab ea autem facile distincta foliis angustioribus, paniculis multo minoribus floribusque paulo majoribus. Rami annotini ut in illa teretes, robusti, cortice fusco obtecti ; hornotini obtuse tetrahedri. Folia in speciminibus exsiccatis rigidula, 5-8 centim. longa, 1 ½ - 2 lata , petiolis semicentimetrum longis , nervis lateralibus e nervo medio 1-2 millimetra supra basim limbi exeuntibus idcircoque subtriplinervia dicuntur. Paniculæ circiter foliorum longitudine. Calyces campanulati , denticulis 4 externis manifestis et acutis. Petala obovata , in flore adulto reflexa, 3-4 millim. longa. Cætera ut in *M. ulmarioide.*— In Andibus Venezuelæ inter *Truxillo* et *Merida ;* Linden.

151. Miconia ossæiformis. — *Ossæa purpurascens* DC., *l. c.*, 169. — *Melastoma purpurascens* Swartz, *Flor. Ind. occ.*, 804.

M. glaberrima ; ramis subteretibus ; foliis petiolatis rigidulis lanceolato-ellipticis acuminatis basi acutis margine integerrimis subtriplinerviis ; paniculis axillaribus pedunculatis pyramidatis ; floribus ut plurimum pedicellatis 4-meris.

Species primo intuitu propter inflorescentiam omnino axillarem Ossæis adscribenda, Miconiis vero ob antherarum fabricam aliosque characteres melius conveniens. Folia subtriplinervia, id est nervis lateralibus duobus fere in ipsa basi limbi e nervo medio exeuntibus, plana lævia subcoriacea, 6-8 centim. longa, 2-3 lata, nervulis transversis approximatis parallelis, petiolis sesqui-bicentimetralibus. Paniculæ in ramis hornotinis axillares, foliis paulo breviores, ramulis ut plurimum trifloris, floribus (præsertim duobus lateralibus) pedicello gracili suffultis. Calyces ante floris explicationem subglobosi , dentibus 4 obtusissimis subobsoletis. Petala obovata emarginata, 3 millim. longa, fortassis rosea. Stamina 8 æqualia, antheris lineari-oblongis obtusis 1-porosis. Ovarium adhærens, margine libero styli basim cingente coronatum, 4-loculare. Stylus gracilis, stigmate punctiformi. Fructus baccati globosi circiter crassitudine seminis *Lathyri odorati.* — In Antillis sed quo loco nobis non compertum est. Specimina tenemus ex herbario Bonplandiano.

b. Species 5-8-meræ.

a. *Dentes calycini obtusi post anthesim faucem non claudentes.*

152. Miconia vulcanica †.

M. fruticosa glabra ; foliis longiuscule petiolatis ovatis oblongove-ovatis acuminatis basi rotundatis inconspicue serrulatis aut integerrimis 5-nerviis ; paniculis terminalibus pyramidatis ; floribus breviter pedicellatis 5-meris.

Specimen nostrum immaturum paniculam rudimentariam tantum exhibet unde flores nobis male innotescunt. Folia 10-12 centim. longa, 5 lata, petiolis 3-4-centimetralibus. Paniculæ juniores bracteolis lineari-spathulatis oblongove-obovatis in petiolum attenuatis intermixtæ, in herbario sulfureæ. Calycis (in alabastro tenerrimo) dentes obtusi. Petala obovata et fortassis apice rotundato integerrima. Antheræ 10 oblongæ obtusæ. Cætera non vidimus. — In monte ignivomo insulæ Guadalupæ dicto *la Soufrière;* Funck et Schlim.

153. Miconia erythrantha †.

M. fruticosa? ; ramis (annon potius caulibus?) inferius denudatis, superius foliosis pube rubiginosa obductis ; foliis petiolatis ovatis acuminatis basi rotundatis aut rarius subcordatis subintegerrimis integerrimisve 5-nerviis, pagina superiore setuloso-scabra, inferiore sparsim pilosa ; paniculis in anthesi terminalibus demum in dichotomia alaribus ; floribus ad apices ramulorum approximato-congestis breviter pedicellatis 5-meris.

Quæ sit plantæ nostræ statura minime nobis compertum est, fortassis fruticosa est aut arborea, quam tamen ex exiguitate et indole speciminis suffruticem suspicamur. Folia in eodem jugo non semper omnino æqualia, 4-5 centim. longa, 2-3 lata, petiolis 1-1 ½-centimetralibus. Paniculæ (saltem in specimine nostro) foliorum circiter longitudine ; ramis ex ipsa foliorum supremorum axilla ortis ; ramulis ultimis ut plurimum 3-floris, flore intermedio sessili, lateralibus pedicellatis. Calyces campanulati, dentibus 5 brevibus rotundatis denticulos callosos breves dorso gerentibus. Petala obovata apice retusa inæquilatera, 7 millim. longa, rubra. Stamina 10 æqualia, antheris lineari-oblongis nonnihil recurvis 1-porosis, connectivo postica basi incrassato-gibboso. Ovarium semi-adhærens 3-loculare. Stylus gracilis exsertus staminibus longior, stig-

mate punctiformi. —In pinetis montium Mexicanorum haud procul ab *Oaxaca*, ad altitudinem 2400 metrorum; Galeotti.

154. MICONIA DENTICULATA. — *Melastoma denticulata* Bonpl., *ined.*

M. fruticosa ramosa fortassis divaricata micrantha indecora; ramis supremis obscure tetrahedris tomentoso-pulverulentis rufescentibus; foliis petiolatis ovatis breviter acuminatis basi rotundatis aut vix subcordatis margine subtiliter serrulatis 3-nerviis utraque pagina sparsim pulverulentis; paniculis terminalibus pyramidatis; floribus ad apices ramulorum aggregatis pedicellatis 5-meris.

Folia 4 centim. et quod excedit longa, 2-3 lata, petiolis 4-8-millimetralibus. Panicularum ramuli extremi tri-multiflori. Calyces late campanulati aut hemisphærici, in anthesi semen *Brassicæ oleraceæ* crassitudine æmulantes, dentibus interioribus obsoletis, denticulis exterioribus quinque minutis limbi marginem paulo excedentibus. Petala late obovata subrotunda retusa millimetrum lata vix tantumdem longa. Stamina 10 æqualia, antheris lineari-oblongis apice obtusis, uniporosis?, exappendiculatis. Ovarium semiadhærens, apice setulis paucis hirsutum, 3-loculare. Stylus gracilis, stigmate punctiformi. — In America æquatoriali; ut videtur Nova-Granata, loco nobis ignoto; Bonpland.

155. MICONIA ASPERGILLARIS. — *Cremanium aspergillare* DC., *l. c.*, 193. — *Melastoma aspergillare* Bonpl., *Melast.*, tab. 19.

M. fruticosa ramosissima pro genere microphylla; ramis supremis hornotinis et annotinis pulverulentis nodosis subtortuosis; foliis petiolatis ovato-ellipticis obovatisque subacutis subtiliter denticulatis trinerviis, pagina superiore glabratis, inferiore pube furfuracea squalida obductis; paniculis parvis terminalibus thyrsoideis confertifloris; floribus subsessilibus 5-meris.

Frutex indecorus foliosus, ramis propter insectorum morsicationes sæpe varicosis aut inflatis, vetustioribus tomento pulverulento demum nudatis. Folia 2-3 centim. longa, 1-1 ½ lata, petiolis 5-10-millimetralibus. Flores in summis ramulis panicularum subcongesti. Calyx campanulatus pulverulentus breviter 5-dentatus et denticulis externis vix conspicuis ornatus. Petala irregulariter orbicularia subretusa 2-3 millim. longa et lata. Stamina 10 æqualia, antheris breviusculis linearibus

apice obtuso subbiporosis, connectivo exappendiculato, filamentis apice subulatis. Ovarium semiadhærens apice umbilicatum 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate obtuso incrassato. — In agro Quitensi Peruviæ; Bonpland.

Var. β. *gracilior*, ramis gracilioribus minusque tomentosis, foliis multo minoribus. — A præcedente primo adspectu diversissima sed in flore nullam differentiam alicujus momenti exhibens. Folia 1 ½-2 centim. longa, 1-1 ½ lata, obtusissima, basi quam apice acutiora. Antheræ luteæ. — Prope *Cuença ;* Jameson. Specimen a clarissimo Hookerio communicatum.

156. MICONIA PICHINCHENSIS Benth., *Plant. Hartweg.*, 181.

M. fruticosa pro genere submicrophylla ; ramis subgracilibus, supremis tetrahedris teretiusculisve hirto-ferrugineis; foliis petiolatis ovatis breviter acuminatis basi subcordatis integerrimis aut infra apicem vix conspicue denticulatis 5-nerviis pagina superiore glabratis inferiore sparsim setulosis; paniculis terminalibus magnis, ramis patulis subgracilibus, ramulis extremis ut plurimum 3-floris ; floribus pedicellatis 5-meris.

Species a maximo Miconiarum numero habitu recedens, illis vero florum characteribus recte adjungenda. Rami hornotini pennam columbinam crassitie æquantes aut paulo superantes, in herbario colorem fuscum induentes. Folia circiter 5 centim. longa, 3 et quod excedit lata, petiolo 5-8-millimetrali. Paniculæ majusculæ sublaxifloræ; ramis distantibus gracilibus oppositis, in utroque latere ejusdem nodi aut in axilla cujusvis bracteæ solitariis nec pluribus ut sæpe in aliis Miconiis occurrit. Flores pedicello gracili 1-4-millimetrali suffulti. Calyces campanulati, dentibus interioribus membranaceis obtusis exteriores superantibus. Petala in flore explicato reflexa obovata 4 millim. circiter longa. Stamina 10 æqualia, antheris lineari-oblongis 1-porosis exappendiculatis. Ovarium semiadhærens 5-loculare. Stylus exsertus, stigmate capitellato. — In *Columbia,* loco nobis ignoto; Hartweg, *Cat.* n° 1012.

157. MICONIA ALYPIFOLIA †.

M. fruticosa ramosa microphylla glaberrima dense foliosa; ramis supremis 4-gonis; foliis obovatis apice obtusis inferne in petiolum attenuatis integerrimis 3-nerviis; paniculis ter-

minalibus brevibus; floribus breviter pedicellatis aut sessilibus 5-meris.

Folia latiora aut angustiora, apice obtusa aut rarius subapiculata, coriacea, pagina inferiore in herbario flavicantia, ut plurimum 2 centim. longa, 1 et quod excedit lata, petiolo brevi in limbum confluente. Calyces campanulati, dentibus brevibus obtusis denticulum minutum extus gerentibus. Petala latiora quam longiora emarginata inæquilatera, 3 millim. circiter longa, ut videtur alba. Stamina 10 æqualia, antheris oblongis rectis apice obtuso 1-porosis, connectivo postice subgibbo sed exappendiculato. Ovarium ovoideum apice obtusum et umbilicatum 3-4-loculare. Stylus crassiusculus, stigmate obtuso. — In Peruvia prope *Loxam;* Bonpland.

MICONIA PAPILLOSA. — *M. quitensis* Benth., *Plant. Hartweg.*, 158. — *Cremanium papillosum* DC., *l. c.*, 192. — *Melastoma papillosa* Desr. in Lamk., *Dict.*, IV. p. 48.

M. fruticosa; ramis teretiusculis paniculis petiolis foliorumque pagina inferiore rufescenti-tomentosis; foliis ovatis oblongove-ovatis acutis et obtusis, basi rotundatis aut emarginatis, margine subtiliter crenulatis, 5-nerviis, pagina superiore bullato-asperatis, inferiore reticulatis et foveolatis; paniculis terminalibus thyrsoideis confertifloris sessiliflorisque, floribus 6-5-meris.

Folia 7-8 centim. longa, 4 et quod excedit lata, pagina superiore bullis pyramidatis in prima ætate setulosis exasperata, inferiore in areolis nervulorum foveolata, præter nervulos marginales subobsoletos 5-nervia, petiolis sesqui-tricentimetralibus. Flores in aliis speciminibus 6-meri, in aliis 5-meri, sessiles aut rarius subsessiles. Calyces hemisphærico-campanulati breviter dentati, dentibus tuberculo externo notatis aut saltem callosis. Petala late obovata aut subrotundata sesquimillimetrum longa et lata, in flore explicato reflexa. Stamina 10 æqualia; antheris oblongis obtusissimis, apice poro inconspicuo dehiscentibus, exappendiculatis aut antica basi vix perspicue bituberculatis, loculis luteis. Ovarium paulo supra medium adhærens, apice 3-4-lobum, 4-5-loculare. Stylus clavatus, stigmate dilatato subcapitellato. Species variat omnibus partibus. — In Columbia; Hartweg. Hanc etiam ab Hookerio recepimus in monte *Pichincha* lectam.

159. MICONIA NOVEMNERVIA †.

M. fruticosa macrophylla pro genere submacrantha; ramis pe-

tiolis paniculisque tomentoso-rufescentibus; foliis longe petiolatis ovatis breviter acuminatis basi subcordatis cordatisve margine subtiliter denticulatis 7-9-nerviis pagina superiore crebre et tenuiter bullatis setulosis inferiore tomentoso-candicantibus punctato-foveolatis; paniculis magnis dilatatis; floribus 5-meris.

Species egregia, foliorum forma æque ac petiolorum longitudine conspicua, ramis supremis obscure tetrahedris, mox teretibus, tomento rufescente molli obductis. Folia 12-15 centim. longa, 8-10 lata, petiolis 5-9-centimetralibus teretibus. Paniculæ primariæ seu terminales paniculis secundariis ex axilla foliorum supremorum ortis accretæ, sublaxifloræ. Flores in apicibus ramulorum extremorum terni aut plures, sessiles. Calyces breviter campanulati, dentibus brevibus, ex interioribus exterioribusque inter se connatis constantibus. Petala oblongo-obovata, apice rotundata aut saltem obtusa, fere decimetrum longa. Stamina 10 æqualia apice subbiporosa, connectivo postica basi incrassato. Ovarium basi adhærens 5-loculare. Stylus gracilis exsertus, stigmate punctiformi. — In montibus excelsis Venezuelæ prope urbes *Truxillo* et *Merida*, ad altitudinem 1000-3000 metrorum; Linden.

160. MICONIA DOLICHOPODA †.

M. fruticosa macrophylla sæpe anisophylla; ramis supremis compressis quadrangulisque quadrifariam sulcatis tomentoso-ferrugineis; foliis longe petiolatis ovatis acuminatis basi rotundatis sinuato-denticulatis 5-nerviis discoloribus, pagina superiore glabra aut glabrata, inferiore tomento adpresso rufescente aut ferrugineo-obducta; paniculis terminalibus thyrsoideis aut pyramidatis confertifloris; floribus sessilibus ut plurimum 6-meris.

Folia in eodem jugo magis minusve disparia, uno alterum nonnunquam dupla magnitudine superante, in acumen angustum producta, 8-15 centim. longa, 6-9 lata, petiolis 4-5-centimetralibus. Panicularum rami et ramuli ferruginei sulcati subpatuli. Flores in extremis ramulis irregulariter congesti, sessiles, sæpius 6-meri quam 5-meri (saltem in specimine nostro). Calyces late campanulati, dentibus fere omnino obsoletis. Petala late obovata retusa subinæquilatera alba, 2 millim. et quod excedit longa. Stamina 10-12 æqualia; antheris brevibus obovoideis, poro unico magno apertis, exappendiculatis. Ovarium fere omnino adhærens 3-loculare. Stigma punctiforme obtusum. — In provincia *Cara-*

cas Reipublicæ Venezuelensis, loco dicto *Galipan;* Funck et Schlim, *Cat.* n° 93.

161. Miconia granulosa. — *Melastoma granulosa* Bonpl., *Melast.*, tab. 12. — *Cremanium granulosum* DC., *l. c.*

M. fruticosa elata arborescens submacrophylla micrantha; ramis supremis e compresso teretibus petiolis paniculisque tomento ferrugineo obductis; foliis coriaceis ovatis ovatove-oblongis acuminatis basi rotundatis integerrimis trinerviis pagina superiore glaberrimis inferiore tomentellis; paniculis terminalibus pyramidatis, floribus sessilibus in ramulis extremis glomerato-congestis 5-meris.

Arbuscula 3-5-metralis. Rami hornotini subteretes circiter crassitudine calami scriptorii, annotini paulo robustiores nodosi glabrati. Folia in prima ætate tomento denso rubiginoso utrinque obducta, mox superius glabrata, inferius pubem retinentia, marginibus revoluta, coriacea et rigidula, 12-18 centim. longa, 5-7 lata, nervis lateralibus margini proximis, nervulis transversis in pagina superiore immersis, petiolis robustis sesqui-tricentimetralibus. Paniculæ in tempore antheseos terminales, demum accretis ramis ex utraque foliorum ultimi jugi axilla ortis ut videtur alares, ramis subdivaricatis, floribus in ramulis secundi tertiique ordinis verticillastra seu glomerulos 3-10-floros fingentibus. Calyces sub limbo parum constricti breviter campanulati aut suburceolati, dentibus interioribus obtusis, exterioribus brevibus subacutis. Petala obovata retusa 1 $\frac{1}{2}$ millim. longa rosea. Stamina 10 æqualia, antheris oblongis 1-porosis exappendiculatis. Ovarium ultra medium adhærens 3-4-loculare. Stigma capitatum. — In provincia *Yungas* Boliviæ; d'Orbigny.

Var. β *biappendiculata*, præcedenti simillima sed distincta floribus paulo majoribus et antheris brevioribus truncatis et biporosis, connectivoque antica basi breviter biauriculato. Utrum vere pro varietate *M. granulosæ* an potius pro genuina specie habenda sit adhuc dubium est, sed utriusque habitus non differt. — In monte *Quindiu* Novæ Granatæ; Bonpland.

162. Miconia setinodis DC., *l. c.*, 179. — *Melastoma setinodis* Bonpl., *Melast.*, tab. 2.

M. fruticosa elata subarborescens; ramis subteretibus lævigatis ad nodos verticillatim setosis; foliis petiolatis ellipticis aut late lanceolatis acuminatis basi obtusis argute serratis 3-nerviis

glabris; paniculis terminalibus thyrsoideis confertifloris; floribus breviter pedicellatis 6-8-meris.

Arbuscula circiter 3-metralis, fere glabra. Rami supremi vix non teretes, ad nodos setis demum deciduis flavicantibus ornati. Folia aculeolato-serrata, 7-8 centim. longa, 3 et quod excedit lata, præter nervulos marginales 3-nervia, nervis tribus primariis subtus ad basim ubi inter se confluunt setis densis patulis horrida, petiolis sesqui-bicentimetralibus. Paniculárum ramuli extremi ut plurimum 3-flori, floribus sæpius 7-8-meris quam 6-meris. Calyces campanulati, limbo 6-8-dentato, dentibus subacutis, denticulo externo manifesto instructis. Petala latissime obovata aut cordiformia, apice retusa, 3-4 millim. circiter longa et lata, alba. Stamina 12-16 æqualia, antheris crassis ovoideis apice obtusissimo biporosis, connectivo omnino exappendiculato. Ovarium fere usque ad apicem adhærens 5-loculare. Stylus filiformis, stigmate dilatato. Fructus globosus atropurpureus aut niger edulis, circiter crassitudine baccæ *Ribis nigri*. — In monte *Quindiu* et in vicinia urbicularum *Loxa* et *Popayan*, ad altitudinem 1500 metrorum, Bonpland; reperta quoque in Peruvia prope *Quito*, Jameson.

163. Miconia floribunda DC., *l. c.*, 183. — *Melastoma floribunda* Bonpl., *Melast.*, tab. 53.

M. arborea macrophylla pro genere macrantha; ramis supremis obtuse tetrahedris sulcatis pube lepidota aut substellata rufa conspersis mox glabratis; foliis late ellipticis aut ovatis subobtusis basi rotundatis integerrimis quintuplinerviis, pagina superiore glabris aut potius glabratis, inferiore tomentum parcum secus nervos retinentibus; paniculis terminalibus thyrsoideis; floribus subsessilibus ad apices ramulorum congestis 5-meris.

Arbuscula 5-7-metralis, habitus decore et florum abundantia superbiens; trunco inferius simplici, superius in ramos diviso. Folia 15-20 centim. longa, 8-12 lata, nervis duobus intermediis e medio pauca millimetra supra basim limbi orientibus, duobus exterioribus margini jam proximis tenuibus, petiolis 2-4-centimetralibus. Paniculæ circiter foliorum magnitudine aut paulo majores. Calyces late campanulati, dentibus 5 brevibus obtusissimis, denticulis externis callosis subobsoletis. Petala obovata subinæquilatera retusa lilacina 5-6 millim. longa. Stamina 10 æqualia, antheris brevibus apice obtusis, poro tenuissimo apertis, basi

incrassata quasi bilobis, postice gibbis; filamentis copiam pilorum brevium glanduliferorum dorso gerentibus. Ovarium omnino adhærens subdepressum 5-loculare. Stylus crassus in stigma peltatum gradatim dilatatus. — In Imperio Novo-Granatensi, loco haud designato; Goudot.

164. MICONIA PSYCHROPHILA †.

M. fruticosa macrophylla; ramis supremis tetrahedris quadrisulcis tomento parco pulverulento afflatis; foliis petiolatis late ovatis breviter acuminatis basi cordatis crenatis 7-nerviis in prima juventute pulverulentis mox glabratis; paniculis terminalibus pyramidatis; floribus breviter pedicellatis 5-meris; antheris coccineis.

Folia sesquidecimetrum longa, decimetrum et quod excedit lata, mollia, sæpius 7-nervia, petiolis 2-4-centimetralibus. Panicularum rami primarii fasciculatim oppositi, id est quatuor aut sex ex eodem nodo orientes quorum supremi cæteris robustiores sunt, infimi debiliores. Calyces late campanulati aut turbinati breviter 5-dentati, dentibus denticulo externo instructis. Petala obovata reflexa alba aut rosea, 3 millim. circiter longa. Stamina 10 æqualia; antheris brevibus ovoideis aut potius obovoideis poro minuto subpostico apertis exappendiculatis rubris aut fortasse purpureis; filamentis basi complanatis apice subulatis. Ovarium maxima parte adhærens 3-loculare. Stylus gracilis exsertus, stigmate capitellato. — In montibus excelsis Novæ-Granatæ paulo infra limites nivium; Goudot.

165. MICONIA HYGROPHILA †.

M. fruticosa elata subarborescens macrophylla micrantha; ramis supremis obscure tetrahedris mox teretibus paniculis nervisque in pagina inferiore foliorum tomento ferrugineo denso obductis; foliis petiolatis coriaceis elliptico-oblongis acutis integerrimis margine revolutis 3-nerviis pagina superiore glaberrimis aut saltem mature glabratis; paniculis terminalibus ramosissimis; floribus sessilibus minutis 5-meris.

Arbuscula 3-4-metralis erecta ramosa. Folia 1 ½-2 decim. et quod excedit longa, 5-6 centim. lata, in eodem jugo nonnihil inæqualia, pube ferruginea minuta inter nervos paginæ inferioris conspersa, nervis lateralibus margini proximis, petiolis robustis 1-3-centimetralibus. Paniculæ foliorum supremorum circiter longitudine aut paulo breviores.

Calyces late campanulati aut hemisphærici, breviter 5-dentati, denticulis exterioribus in dorso interiorum fere inconspicuis aut omnino obsoletis. Petala obovata retusa, 1 millim. aut paulo amplius longa, in flore explicato reflexa, alba aut spurco-alba. Stamina 10 æqualia, antheris obovoideis, apice obtusissimo late 1-porosis, inferius in connectivum sterile et exappendiculatum angustatis. Ovarium fere usque ad medium adhærens 3-loculare. Stigma subcapitellatum. Planta habitu *Miconiam granulosam* refert ab ea vero recedit parvitate florum et antherarum fabrica diversa cujus tamen meram varietatem esse suspicamur. — In provincia *Larecaja* Boliviæ, locis humidis et uliginosis sylvarum; Weddell, *Cat.* 4705.

166. MICONIA FERRUGINEA DC., *l. c.*, 182. — *Melastoma ferruginea* Desr. in Lamk., *Dict.*, IV, p. 42. — Fortassis non differt a *Chœnopleura ferruginea* Crüger.

M. fruticosa; ramis supremis tetrahedris paniculis petiolis nervisque foliorum tomento denso ferrugineo obductis; foliis petiolatis oblongo-ovatis ovatisve acutis basi rotundatis dentato-crenatis ciliatis 3-nerviis pagina superiore glabris aut saltem glabratis; paniculis terminalibus, ramis fere in corymbum erectis, ramulis 3-floris; floribus longiuscule pedicellatis 5-meris.

Rami hornotini tetrahedri et tomento stellato dense ferruginei, annotini teretes et glabrati. Folia 6-8 centim. longa, 3 aut paulo amplius lata, pagina superiore læte virentia, inferiore tomentum stellatum in nervis retinentia, petiolis 1-3-centimetralibus. Flores omnes pedicello proprio 6-10-millimetrali donati. Calyces campanulati, dentibus obtusis denticulum externum minutum gerentibus. Petala obovata emarginata inæquilatera 4 millim. longa. Stamina 10 æqualia, antheris obovatis poro maximo fere in rimam producto hiantibus, connectivo sub loculis manifesto sed exappendiculato. Ovarium semiadhærens 3-4-loculare. Stigma punctiforme. — In insula Domingensi; ex herbario Bonplandiano.

b. *Dentes calycini acuti, post anthesim erecti et sæpe approximati, faucem magis minusve claudentes.*

167. MICONIA CYANOCARPA †.

M. subarborea; trunco gracili; ramis supremis teretibus pube

molli rufa densa hirsutis ; foliis petiolatis ovatis vix acuminatis integerrimis basi rotundatis non autem cordatis utraque pagina villoso-hirsutis 5-nerviis ; paniculis terminalibus thyrsoideis densifloris sessiliflorisque ; floribus parvis 5-meris.

Arbuscula 4-metralis, caule aut caulibus gracilibus superne ramosis. Folia ovata aut elliptico-ovata subacuta, nonnunquam in acumen breve attenuata, basi rotundata et integra, utrinque hirsuta aut villosa, subtus flavicantia (saltem in herbario), 8-10 centim. longa, 4-5 lata, petiolis 2-3-centimetralibus. Flores in ramis ramulisque panicularum dense congesti. Calyces globoso-ovoidei, ore contracto, dentibus limbi quinque duplicatis vix perspicuis. Petala minuta vix millimetralia obovata apice rotundata. Stamina 10 æqualia , antheris brevibus late obovatis subbiporosis exappendiculatis. Ovarium fere omnino adhærens , ut videtur 3-loculare. Baccæ in paniculis dense glomeratæ, in tempore maturitatis globosæ cæruleæ, circiter crassitudine seminis cannabini. Species cum sequente (id est cum *Miconia uvifera*) non confundenda. — In provincia *Yungas* Boliviæ ; Weddell.

168. MICONIA UVIFERA †.

M. subarborea macrophylla micrantha ; ramis teretibus tomentoso-hirtellis ; foliis petiolatis ovatis acuminatis basi sæpe subcordatis subtilissime serrulatis 5-7-9-nerviis pagina utraque hirtello-velutinis ; paniculis terminalibus lateralibusque, ramis patulis densifloris ; floribus sessilibus approximato-glomeratis 5-meris.

Frutex elatus 4-5-metralis, *Miconiæ cyanocarpæ* valde affinis et fortasse ei in posterum coadunandus. Rami supremi teretes, superius foliosi et tomentoso-velutini , inferius nudati et glabrati. Folia decimetrum sesquidecimetrumve longa , 6-8 centim. lata , petiolis 1-4-centimetralibus. Paniculæ in anthesi subterminales, mox accreto uno alterove ramorum vicinorum laterales aut in dichotomia alares, breviter pedunculatæ ; ramis inferioribus ut plurimum productis et sæpe pendulis (saltem cum fructiferi sunt) spicas densifloras continuas aut interruptas mentientibus. Flores sessiles dense glomerati. Calyces (scilicet post anthesim) conico-ovoidei, dentibus erectis approximatis, denticulis exterioribus subulatis dentes interiores obtusos superantibus. Petala obovata, vix millimetrum longa. Stamina æqualia, antheris elliptico-ovoideis 1-porosis, connectivo inconspicuo. Ovarium semiadhærens, ut videtur 3-loculare. Stylus gracilis , stigmate subcapitellato. Bacca globosa calycis

limbo conico coronata, in maturitate rubra aut purpurea. — In provincia *Yungas* Boliviæ; Weddell.

VII. ARRHENOTOMA.

Flores 5-6-meri. Calyces late campanulati, dentibus obsoletis aut productis, denticulis externis haud raro manifestis. Antheræ breves obovoideæ, rarius longiusculæ, apice truncato biporosæ; dissepimento loculorum sæpe inter poros duos prominulo; connectivo sub loculis appendiculato aut exappendiculato. Ovarium partim adhærens, nonnunquam abortivum. Stylus breviusculus, interdum subnullus, stigmate ut plurimum capitellato aut peltato. Subgenus haud innaturale.

a. *Species foliis verticillatis distinctæ.*

169. MICONIA QUADRIFOLIA †.

M. fruticosa micrantha; ramis supremis tomentosis quadrangulis demum teretibus et glabratis; foliis sessilibus in eodem nodo verticillatim quaternis oblongis in acumen attenuatis acutis integerrimis 3-nerviis; paniculis terminalibus pyramidatis; floribus minutis brevissime pedicellatis 5-meris.

Species huic generi fere heterogena et fortassis pro alius typo melius habenda. Folia basi rotundata, pagina superiore glabra, inferiore in nervis nervulisque tomentum rarum retinentia, circiter decimetrum longa, 2-3 centim. lata. Paniculæ confertifloræ pyramidatæ, ramulis irregulariter floriferis. Calyces minuti campanulati, limbo obsolete 5-lobo. Petala subrotunda, 1 millim. longa et lata. Stamina 10 æqualia, antheris oblongis, apice tantum polliniferis et late biporosis, inferne in connectivum sterile et basi postica in calcar breve productum attenuatis. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stigma punctiforme. — In Brasilia, loco haud indicato; Mathews. Planta a celeberrimo W. Hooker communicata.

b. *Species foliis oppositis.*

170. MICONIA ELÆOIDES †.

M. fruticosa ramosa pro genere microphylla brachythyrsa; ramis supremis furfuraceo-pulverulentis; foliis petiolatis oblongo-ellipticis apice subacutis basi subobtusis subtiliter et vix conspicue denticulatis margine revolutis et idcirco primo intuitu integerrimis 3-nerviis, pagina superiore glaberri-

mis, inferiore secus nervos furfuraceo-puberulis; paniculis terminalibus confertifloris; floribus breviter pedicellatis 5-meris.

Rami supremi obscure 4-hedri, tomento furfuraceo brevi hirtelli, vetustiores teretes et glabrati. Folia subcoriacea, in herbario flavicantia, 3 centim. circiter longa (adsunt etiam longiora et breviora), 1 et quod excedit lata, petiolis 4–8-millimetralibus. Paniculæ thyrsoideæ foliorum circiter longitudine pauciramosæ flavicantes; floribus ad apices ramulorum confertis sessilibus aut breviter pedicellatis. Calyx late campanulatus, dentibus brevissimis duplicatis. Petala late obovata aut subrotunda emarginata concava sesquimillimetrum longa et lata alba aut fortassis dilute luteola. Stamina 10 æqualia, antheris rectis oblongis biporosis, connectivo postica basi gibboso-incrassato non autem calcarato. Ovarium globosum umbilicatum 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate nonnihil dilatato obtusissimo. — In vicinia urbis Bogotæ Reipublicæ Novo-Granatensis, loco dicto *La Peña;* Goudot.

171. MICONIA LEDIFOLIA. — *Cremanium ledifolium* DC., *l. c.*, 193.

M. fruticosa ramosissima microphylla microstachya; ramis teretibus, hornotinis tomentoso-pulverulentis dense foliosis; foliis subsessilibus sessilibusve linearibus angustis margine revolutis apice obtusis 1-nerviis pagina superiore subglabratis inferiore tomentum retinentibus; paniculis paucifloris brevissimis ad apices ramulorum terminalibus; floribus sessilibus 5-meris.

Frutex circiter sesquimetralis, habitu fere ericoideo. Folia coriacea rigida, marginibus revolutis linearia, in prima juventute undique tomentoso-pulverulenta mox pagina superiore magis minusve glabrata, 1-nervia, 1-2 centim. longa, 3 millim. et quod excedit lata. Paniculæ terminales pulverulentæ 3-10-floræ. Calyces campanulati, dentibus breviusculis denticulo externo instructis. Petala rotundato-obovata subretusa 2-3 millim. longa et lata. Stamina 10 æqualia; antheris brevibus truncatis biporosis antica basi bilobis, connectivo postica basi tuberculato-incrassato. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stigma dilatato-capitellatum. Fructus submaturi globosi, fere crassitudine seminis cannabini. — In montibus excelsis Novæ-Granatæ prope Loxam; Bonpland.

172. Miconia tinifolia †.

M. fruticosa glaberrima; ramis subteretibus; foliis petiolatis coriaceis ellipticis apice brevissime et obtuse acuminatis basi haud raro subacutis subintegerrimis margine magis minusve revolutis 3-nerviis; paniculis terminalibus pyramidatis thyrsoideisve multifloris; floribus breviter pedicellatis et sessilibus 5-meris.

Species *M. rhamnoideæ* affinis, ab ea tamen haud ægre distinguenda. Folia quam in illa majora oblongiora, ab ipsa basi trinervia nec triplinervia, 5 centim. longa, 2 lata, petiolis subgracilibus circiter sesquidecimetralibus. Paniculæ etiam quam alterius speciei majores, 6-8 centimetra longæ. Calyces late campanulati, dentibus brevibus denticulos minutos externos gerentibus. Petala subrotunda retusa reflexa vix 2 millim. longa et lata. Antheræ decem æquales, apice truncato biporosæ, connectivo basi postica in calcar crassum breviusculum obtusum demissumque producto. Ovarium globosum semiadhærens 3-loculare. Stigma vix conspicue incrassatum et obtusum. — In Andibus Venezuelensibus inter *Merida* et *Truxillo*, supra 2000 metra altitudinis; Linden.

173. Miconia rigens †.

M. fruticosa ramosa robusta rigida pro genere submacrophylla; foliis brevissime petiolatis coriaceis erectis ovatis breviter acuminatis basi nonnihil cordatis margine revolutis 3-nerviis pagina superiore glabratis inferiore pulverulento-rubiginosis; paniculis ad apices ramulorum terminalibus confertifloris; floribus brevissime pedicellatis 5-meris.

Frutex in jugis frigidis montium crescens, erectus, ramis robustis rigidis teretibus tomento pulverulento squalido rubiginoso obductis. Folia 4-5 centim. longa, 1 $\frac{1}{2}$-2 lata, petiolis crassis 2-4-millimetralibus. Paniculæ breviusculæ erectæ furfuraceæ, ramis brevibus 3-9-floris. Calyces late campanulati, pube glandulifera tomento intermixta ornati, dentibus interioribus rotundatis, denticulis exterioribus minutis priorum dorso adnatis. Petala fere rotundata subretusa subinæquilatera, 2-3 millim. longa et lata, alba et rosea. Stamina 10 æqualia, antheris breviusculis quasi truncatis 2-porosis, connectivo antica basi bilobo, postica breviter et obtuse calcarato. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stigma dilatato-capitellatum. Fructus submaturi globosi, semen *Lathyri odorati* crassi-

tudine æquantes. — In montibus excelsis Reipublicæ Novo-Granatensis ad altitudinem ferme 4000 metrorum; Linden, *Cat.*, n° 1317.

174. MICONIA RHAMNOIDEA †.

M. fruticosa glaberrima pro genere submicrophylla; ramis robustis teretibus; foliis petiolatis coriaceis rigidis ovatis obovatisve interdumque subrotundatis obtusis vix conspicue serrulatis haud raro margine revolutis triplinerviis; paniculis terminalibus thyrsoideis confertifloris; floribus ad apices ramulorum congestis vix non sessilibus 5-meris.

Species variabilis quamdam affinitatem cum *M. reclinata* ostendens, ab ea vero facile distinguenda ramis robustioribus paniculisque erectis et ditioribus. Folia nunc late ovata et fere orbicularia, nunc obovato-oblonga aut elliptica, subintegerrima aut sub apice denticulis minutis vix conspicuis instructa, nervis lateralibus cum medio unum millimetrum et quod excedit supra basim limbi coalitis, petiolo in limbum nonnihil confluente 2-7-millimetrali. Paniculæ foliis longitudine subæquales aut illis paulo longiores. Calyces late campanulati, dentibus brevissimis callosis aut tuberculiformibus vix conspicue duplicatis. Petala subrotundata emarginata 2 millim. longa et lata, alba? Stamina 10 ut plurimum inæqualia biporosa; antheris ovoideo-oblongis rectis, 5 majorum connectivo in caudam crassam obtusam demissam basi postica producto, 5 minorum incrassato-gibboso aut tuberculato. Ovarium semiadhærens umbilicatum 3-loculare. Stigma nonnihil dilatatum obtusissimum. — In monte *Saraguru* Peruviæ, Bonpland; et prope *Quindiu* Novæ-Granatæ, Bonpland, Goudot.

175. MICONIA RESIMA †.

M. fruticosa submacrophylla vix non glaberrima; ramis supremis obtuse tetrahedris, vetustioribus demum teretibus; foliis petiolatis ovato-ellipticis breviter acuminatis basi obtusis margine obsolete serrulatis 3-nerviis; paniculis terminalibus pyramidatis; floribus ut plurimum pedicellatis 5-meris.

Folia sesquidecimetrum circiter longa, 5-6 centim. lata, ab ipsa basi 3-nervia, nonnihil coriacea, petiolis $1\frac{1}{2}$-centimetralibus. Flores pedicellis bi-trimillimetralibus suffulti. Calyces campanulati, tubo hemisphærico, limbo 5-dentato, dentibus obtusis denticulos externos dorso gerentibus. Petala late obovata retusa vix sesquimillimetrum longa

lutescentia aut spurco-alba. Stamina 10 æqualia, antheris brevibus obovatis apice quasi truncato biporosis, connectivo sub loculis nodoso postice incrassato. Ovarium depressum maxima parte adhærens 3-loculare. Stigma dilatatum subpeltatum. — In sylvis dictis *Fusagasuga* provinciæ Bogotensis ad altitudinem 2000 metrorum; Linden, *Cat.* nº 816.

176. Miconia orcheotoma †.

M. fruticosa; ramis compresso-teretibus, supremis ut paniculæ et petioli tomento ferrugineo detergibili obductis; foliis petiolatis ovato-ellipticis aut late lanceolatis acutis acuminatisve basi subobtusis non omnino integerrimis 3-5-nerviis pagina superiore glabratis inferiore rufescenti-tomentosis; paniculis terminalibus pyramidatis confertifloris, floribus sessilibus aut subsessilibus 5-meris.

Rami annotini obscure compressi, ad nodos dilatati, fusci (saltem in speciminibus exsiccatis), magis minusve glabrati. Folia 8-10 centim. longa, 3-4 lata, petiolis sesqui-bicentimetralibus. Paniculæ ramos terminantes et ex axillis foliorum penultimi jugi ortæ in unicam majorem approximatæ. Calyces campanulati, dentibus obtusis apice rotundatis tuberculos minutos denticulorum exteriorum rudimenta gerentibus. Petala obovata, apice integra aut subretusa, millimetrum et quod excedit longa et lata, spurco-alba. Stamina 10 æqualia, antheris brevibus obovatis apice quasi truncatis biporosis, connectivo sub loculis minute tuberculato aut subnullo; filamentis apice subulatis. Ovarium semiadhærens apice libero angustatum 3-loculare. Fructus submaturi circiter crassitudine seminis cannabini. — In provincia *Mariquita* Novæ-Granatæ prope *Quindiu*, loco dicto *los Volcancitos*, ad altitudinem ferme 3000 metrorum; Linden, *Cat.* nº 1059.

177. Miconia plethorica †.

M. macrophylla; ramis supremis crassiusculis obtuse tetrahedris furfuraceis hirtellisque ad nodos dilatatis et compressis; foliis petiolatis ovato-ellipticis breviter acuminatis basi rotundatis integerrimis aut inconspicue denticulatis 5-nerviis pagina superiore glabris aut glabratis inferiore furfuraceo-hirtellis; paniculis terminalibus pyramidatis densifloris; floribus sessilibus congestis 5-meris.

Folia ferme 2 decim. longa, 1 lata, petiolis crassis furfure denso

obductis 1-2 ½-centimetralibus. Paniculæ foliis ultimi jugi duplo breviores; rachi ramisque robustis pube rufescente hirsutis. Calyces campanulati breviter 5-dentati, dentibus obtusis denticulo externo brevissimo instructis. Petala subrotunda sesquimillimetrum circiter longa et lata alba aut fortassis pallide lutea (in herbario luteola). Stamina 10 æqualia, antheris brevibus obovatis truncatis biporosis, connectivo sub loculis minute bituberculato. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stylus staminibus duplo longior, stigmate capitellato. — Patria nobis ignota sed plantam Granatensem suspicamur.

178. Miconia cremophylla †.

M. fruticosa pendulifolia subglabra; ramis apice tantum foliosis obscure tetrahedris nodosis; foliis petiolatis subcoriaceis ellipticis apiculatis basi rotundatis vix conspicue sinuato-denticulatis 3-nerviis; paniculis terminalibus omnino sessilibus ramosis pyramidatis; ramulis ultimis ut plurimum 3-floris; floribus sessilibus 5-6-meris.

Rami hornotini jam partim foliis spoliati et superiora tantum retinentes apice pube pulverulenta tenui cito caduca obsiti aut potius fere glaberrimi, nodis prominentibus et post foliorum jacturam in marginem callosum latere inferiore quasi productis. Folia pendula, circiter 1 decim. longa, 4 centim. et quod excedit lata (saltem in specimine nostro), in herbario flavicantia, petiolis circiter sesquicentimetralibus. Paniculæ sessiles id est a basi ramosæ nec pedunculatæ et ultimo foliorum jugo immediate succedentes, folia longitudine circiter æquantes. Calyces late campanulati aut subhemisphærici 5-6-dentati, dentibus obtusis, denticulo externo parum conspicuo ornatis. Petala late obovata retusa circiter sesquimillimetrum longa et lata. Stamina 10-12 æqualia; antheris breviusculis obovoideis apice truncato biporosis nonnihil recurvis, connectivo postica basi tuberculato-incrassato. Ovarium supra medium adhærens 3-loculare. Stigma capitellato-peltatum. — In Peruvia, loco ignoto; Mathews.

179. Miconia coriacea DC., *l. c.*, *Melastoma coriacea* Swartz., *Flor. Ind. occ.* — *Melastoma cymbifolia* Rich. in Bonpl., *Melast.*, tab. 26.

M. fruticosa ramosa; foliis coriaceis petiolatis elliptico-ovatis acutis denticulatis basi rotundatis 5-nerviis glabratis margine

utroque reflexis et ideo subtus concavis; paniculis terminalibus thyrsoideis confertifloris; floribus sessilibus 5-meris.

Frutex metralis aut sesquimetralis distinctu facillimus et icone Bonplandii belle illustratus. Rami supremi dense foliosi obtuse tetrahedri strigillosi. Folia cymbam resupinatam fingentia, circiter decimetralia, 4-5 centim. lata, petiolis sesqui-bicentimetralibus. Calyces late campanulati, dentibus interioribus obtusis denticulos exteriores tuberculiformes dorso gerentibus. Petala obovata retusa aut emarginata 3 millim. longa. Stamina 10 æqualia, antheris brevibus obovatis apice 2-porosis, connectivo infra loculos antica basi bituberculato. Stylus brevis inclusus, stigmate obtusissimo. Ovarium omnino adhærens 3-loculare. Planta exsiccata tota flavescit. —In summo monte Guadalupæ Antillarum dicto *la Soufrière;* Bonpland, Beaupertuis, L'herminier, Funck et Schlim; reperta quoque in Carolina Americæ septentrionalis, Noisette.

180. Miconia tinctoria. — *Cremanium tinctorium* DC., III, 193.

M. fruticosa vix non glaberrima; foliis subcoriaceis petiolatis ovatis ovatove-ellipticis acuminatis serrulatis 3-nerviis utraque pagina lucidis; paniculis terminalibus thyrsoideis confertifloris; floribus breviter pedicellatis 5-meris et 6-meris.

Rami juniores herbacei petiolique pilis paucis ornati, mox glabrati. Folia 6-7 centim. longa, circiter 3 lata, in herbario flavescentia, petiolis 1-2-centimetralibus. Rami panicularum ex eodem nodo plures enati et primo intuitu verticillatam dispositionem mentientes, ramuli multiflori. Calyces late campanulati, dentibus brevibus denticulos externos punctiformes et vix conspicuos gerentibus. Petala fere orbicularia 2-3 millim. longa et lata. Stamina 10-12 æqualia, antheris breviusculis truncatis biporosis septum loculis intermedium apice monstrantibus, connectivo sub loculis haud omnino indistincto. Ovarium maxima parte adhærens apice umbilicatum 3-loculare. Stylus filiformis exsertus, stigmate capitellato-peltato. Fructus submaturi fere globosi semen *Lathyri odorati* crassitudine æquantes aut fortassis superantes. — In Peruvia ubi folia ab incolis trita et in aqua macerata flavum colorem largiuntur; Dombey.

181. Miconia pinetorum †.

M. fruticosa (fortassis arborescens) glaberrima; foliis elliptico-ovatis aut late lanceolatis acuminatis basi rotundatis aut etiam

subacutis margine vix conspicue serrulatis et quasi integerrimis 3-nerviis subtiliter punctulatis; paniculis terminalibus parvis paucifloris; floribus breviter pedicellatis 5-meris.

Rami supremi graciles obscure tetrahedri mox omnino teretes. Folia 6-8 centim. longa, 3-4 lata, ab ipsa basi limbi 3-nervia, petiolis 1-1 $\frac{1}{2}$-centimetralibus. Paniculæ (saltem in speciminibus nostris) foliis ultimi jugi breviores, ramulis apice tri-plurifloris. Calyces late campanulati, limbo breviter 5-dentato, dentibus obtusis denticulo externo inconspicuo punctiformi instructis. Petala late obovata aut fere cordiformia emarginata sesquimillimetrum circiter longa et lata alba. Stamina 10 æqualia, antheris breviusculis apice truncato subbiporosis, filamentis subcomplanatis. Ovarium semiadhærens ut plurimum 4-loculare (fortassis etiam 3-5-loculare). Stylus exsertus stamina longitudine æquans aut superans, stigmate dilatato-capitellato. — In pinetis montium mexicanorum prope *Oaxaca*, ad altitudinem 1500-2200 metrorum; Galeotti.

182. MICONIA BRACHYSTYLA †.

M. fruticosa (fortassis arborescens) glabra; foliis petiolatis ovato-ellipticis aut late lanceolatis acuminatis basi haud infrequenter subacutis margine subtiliter denticulatis interdumque integerrimis 3-nerviis; paniculis terminalibus pyramidatis; floribus breviter pedicellatis 5-meris.

Species *Miconiæ pinetorum* primo intuitu fere simillima (saltem ex speciminibus exsiccatis) sed characteribus ipsi peculiaribus et imprimis styli brevitate ab illa diversissima. Rami supremi sulcati mox teretes. Folia circiter decimetrum longa, 3-4 et quod excedit lata, ab ipsa basi 3-nervia, petiolis 1-3-centimetralibus. Calyces late campanulati, tubo hemisphærico, dentibus 5 obtusis denticulo externo minuto instructis. Petala fere rotundata sesquimillimetrum longa et lata rosea aut purpurea nonnunquam etiam alba. Stamina 10 æqualia, antheris brevibus obovatis apice truncato late biporosis, connectivo sub loculis antice manifesto postice subincrassato. Ovarium semiadhærens aut etiam subliberum 3-loculare. Stylus brevissimus circiter millimetralis inclusus, stigmate obtusissimo. — In pinetis sylvisque humidis montium mexicanorum ad altitudinem 1500-2000 metrorum, prope *Oaxaca*, Galeotti; necnon in vicinia urbiculæ *Chiapas*, Linden.

183. MICONIA HEMENOSTIGMA †.

M. fruticosa aut fortassis arborea submacrophylla; ramis supremis obtuse tetrahedris petiolis nervisque foliorum tomentoso-pul-

verulentis; foliis longiuscule petiolatis ovato-oblongis acuminatis basi rotundatis margine sinuato-crenulatis 5-nerviis pagina superiore glabratis inferiore secus nervos et nervulos pulverulentis; paniculis terminalibus pyramidatis; floribus breviter pedicellatis 5-meris.

Folia in eodem jugo nonnunquam inæqualia et inæqualiter petiolata, 1 ½-2 decim. longa, 5-6 centim. lata, petiolis 2-5-centimetralibus, nervis extimis margini proximis sed a nervulorum vere marginalium pari distinctis. Paniculæ in tempore antheseos terminales, fructiferæ ut videtur in dichotomia alares, foliis ultimi jugi multo breviores. Calyces late campanulati, limbo breviter et obtuse 5-dentato denticulis 5 minutis instructo, tubo hemisphærico. Petala cordiformia subinæquilatera sesquimillimetrum longa et lata alba. Stamina 10 æqualia, antheris breviusculis linearibus apice truncato biporosis antica basi bilobulatis postica tuberculatis. Ovarium maxima parte liberum globosum 3-loculare. Stylus fere nullus in umbilico ovarii inclusus, stigmate obtusissimo subpeltato. — In pinetis mexicanis prope *Oaxaca* ad altitudinem 2000 metrorum; Galeotti.

184. Miconia myriocarpa †.

M. fruticosa (fortassis arborescens) glabra submacrophylla micrantha; foliis petiolatis ovato-lanceolatis subellipticisve acuminatis basi subacutis aut rotundatis integerrimis aut vix conspicue denticulatis 3-nerviis; paniculis terminalibus aut alaribus pyramidatis thyrsoideisve, floribus brevissime pedicellatis 5-meris.

Species primo adspectu *M. milleflorœ* simillima, diversa foliis majoribus et antheris 2-porosis nec ut in illa 4-porosis. Rami juniores obscure tetrahedri aut compressi et sulcati, mox subteretes. Folia decimetrum sesquidecimetrumve longa, 5-6 centim. lata, a medio ad apicem denticulis remotis vix conspicuis sæpe instructa, in herbario virorem lutescentem retinentia, petiolis nigricantibus aut intensius virentibus, 1 ½ - 3 centim. longis. Paniculæ ut in *M. milleflora* flavicantes, floribus ad apices ramorum ramulorumque approximatis. Calyces globosi circiter crassitudine seminis *Sinapios albœ*, dentibus 5 brevibus obtusis, denticulis externis subnullis. Petala suborbicularia integra millimetrum longa et lata alba. Stamina 10 æqualia, antheris lineari-oblongis apice obtuso biporosis exappendiculatis. Ovarium maxima parte adhærens 2-3-loculare. Stylus staminibus subbrevior, stigmate peltato fungifor-

mi. — In montibus mexicanis prope *Oaxaca* ad altitudinem 1000 metrorum; Galeotti, Liebmann.

185. MICONIA AGYNA †.

M. fruticosa (fortassis arborescens) minutiflora, dioica?; ramis supremis petiolis paniculisque hirsutis aut hirtellis; foliis obovato-oblongis aut late lanceolatis acuminatis basi rotundatis margine integerrimis aut vix perspicue crenulatis, prætermisso utroque nervulo marginali tri-triplinerviis, pagina superiore setuloso scabrella, inferiore villoso-hirtella; paniculis terminalibus; floribus fasciculatis non omnino sessilibus 5-meris.

Species huic generi subaliena, Staphidio fere æquo jure addicenda, nobis ex unico et trunco specimine male cognita. Rami supremi circiter crassitudine pennæ anatinæ aut paulo crassiores, obscure tetrahedri et quadrisulci, mox subteretes. Folia 10-15 centim. longa, 4-5 lata, nervis supra rufo-villosis, duobus lateralibus e medio pauca millimetra supra basim aut rarius ex ipsa basi orientibus, petiolis semi-sesquicentimetralibus. Rami ramulique panicularum hirsuti, floribus minutis in fasciculos verticillastra fere mentientes aggregatis, setarum copia intermixtis. Calyces campanulati 5 dentati; dentibus interioribus rotundatis, exterioribus priorum dorso adnatis illosque subæquantibus aut etiam superantibus apice subulatis et in setam abeuntibus. Petala oblongo-obovata, apice emarginata, circiter millimetrum longa. Stamina 10 æqualia, antheris brevibus late obovoideis apice quasi truncato biporosis albis exappendiculatis. Ovarii rudimentum in fundo calycis vix perspicuum; stylus nullus. — In America æquatoriali, loco haud indicato; Bonpland.

186. MICONIA ABORTIVA †.

M. fruticosa (fortassis subarborea) micrantha glabra, dioica?; foliis petiolatis ovatis acuminatis basi rotundatis aut subcordatis margine serrulatis 5-nerviis; paniculis terminalibus pyramidatis aut thyrsoideis, ramis tetragonis aut compressis; floribus pedicellatis 5-meris.

Species nobis incomplete cognita, specimina enim omnia quæ nos penes sunt flores masculos tantum exhibent. Folia ferme decimetrum longa, 5-6 centim. lata, in prima juventute pulverulenta mox glabrata, petiolis circiter 2-centimetralibus. Paniculæ in herbario flavicantes, folia longitudine æquantes aut etiam superantes; ramulis extremis bi-trifloris, pedicellis florum 1-3-millimetralibus. Calyces late campanulati aut hemisphærici brevissime et obscure 5-dentati, denticulis externis ad punc-

tum callosum reductis âut fere nullis. Petala obovata retusa, 1 millim. et quod excedit longa, alba aut fortassis luteola. Stamina 10 æqualia, antheris breviusculis obovoideis apice truncato biporosis exappendiculatis. Ovarium in fundo calycis abortivum loculis stylo et stigmate destitutum.—In monte ignivomo insulæ Guadalupæ dicto *la Soufrière ;* L'Herminier. Specimen quoque habemus ex herbario Bonplandiano.

187. Miconia chrysopetala †.

M. macrophylla micrantha fere glaberrima; ramis supremis opposite sulcatis sparsim pulverulentis mox teretibus glabratis; foliis petiolatis elliptico-oblongis utrinque acutis aut subacutis integerrimis 3-nerviis pagina superiore lævigatis lucidis ; paniculis terminalibus pyramidatis; floribus secus ramulos sessilibus 5-meris.

Folia 2-2½ decim. longa, 8 centim. et quod excedit lata, petiolis circiter 2-centimetralibus. Paniculæ foliis ultimi jugi ferme dimidio breviores (saltem in specimine unico herbarii Parisiensis), ramis oppositis nec fasciculatis. Flores minuti, omnino sessiles, in ramulis oppositi aut aggregati. Calyces campanulati 5-dentati, dentibus obtusis denticulo acuto tenuissimo ornatis. Petala obovato-rotundata vix millimetrum longa sulfurea. Stamina 10 æqualia, antheris brevissimis (latitudine longitudinem æquante) truncatis biporosis exappendiculatis, filamentis complanatis. Ovarium fere omnino adhærens 3-loculare. Stylus staminibus paulo longior exsertus, stigmate capitato-peltato. — In Peruvia, loco nobis ignoto; Pœppig.

VIII. CREMANIUM.

Flores 4-meri. Calyces late campanulati, limbo dentato aut obsoleto. Petala ovato-rotundata aut etiam latiora quam longiora. Antheræ obovatæ breves nunc apice truncatæ et quasi biporosæ, nunc poro maximo hiantes, dissepimento loculorum crassiusculo in media anthera prominulo, filamentis complanatis. Stigma capitatum aut peltatum. Subgenus Arrhenotomæ nimis propinquum. Species omnes Novo-Granatenses et Peruvianæ, monticolæ.

A. Pseudocremanium. *Antheræ apice truncatæ uniporosæ; poro in rimam non abeunte; dissepimento loculorum parum conspicuo. Sectio ab Arrhenotoma non discrepans nisi flore 4-mero.*

188. Miconia vaccinioides. — *Cremanium vaccinioides* DC., *l. c.*, 191. — *Melastoma vaccinioides* Bonpl., *Melast.*, tab. 8.

M. fruticosa ramosissima microphylla oligantha glabra ; foliis

petiolatis ovato-ellipticis obtusis integerrimis uni-trinerviis; floribus ad apices ramorum solitariis-septenis subnutantibus breviter pedicellatis 4-meris.

Caulis ramique primarii duri cortice corrugato vestiti, ramuli supremi graciles tetragoni sublutescentes. Folia minuta, 6-8 millim. longa, 3-4 lata, petiolis 1-3-millimetralibus. Calyces campanulati, limbo membranaceo 4-dentato, denticulis externis punctiformibus inconspicuis. Petala obovato-rotundata aut suborbicularia, 3 millim. longa et lata, alba et punctis luteolis notata. Antheræ obovatæ apice truncato biporosæ, connectivo postica basi in calcar breve obtusum terminato. Ovarium omnino adhærens 3-4-loculare. Stylus breviusculus, stigmate peltato. — In montibus excelsis Peruviæ prope *Caxamarca* et *Micuipamba* ad altitudinem 3000 metrorum; Bonpland.

189. MICONIA SALICIFOLIA. — *Melastoma salicifolia* Bonpl., *ined.*

M. fruticosa ramosissima dense foliosa tomentoso-pulverulenta; ramis veterioribus subcontortis duris; foliis petiolatis oblongis lanceolatisque apice subobtusis basi subrotundatis margine integerrimis et revolutis fere 1-nerviis superius glabratis inferius tomento pulverulento rufescentibus; paniculis oliganthis ad apices ramulorum terminalibus et nutantibus; floribus pedicellatis 4-meris; stigmate crasso ovoideo.

Species habitu inter alias Miconias, excepta *M. ledifolia* cujus faciem refert, conspicua. Folia magis minusve angusta, in quibusdam speciminibus margine adeo revoluta ut linearia videantur, apice potius obtusa quam acuta, nervis lateralibus obsoletis subevanidis quasi uninervia et transversim nervulosa, 2-4 centim longa, 5-8 millim. lata, petiolis 2-4-millimetralibus. Paniculæ racemiformes breves oliganthæ pendulæ. Calyces campanulati, limbo subobsoleto. Petala obovato-rotundata 1 millim. et quod excedit longa et lata. Antheræ breves truncatæ poro unico in duos quasi diviso hiantes. Ovarium maxima parte adhærens 4-loculare. Stylus subgracilis breviusculus, stigmate crasso oblongo terminatus. Species ambigit inter characteres Arrhenotomæ et Chilopori. — In provincia Novo-Granatensi *Pamplona*, loco dicto *Paramos de las Cruces*, ad altitudinem 3000 metrorum, Funck et Schlim; in montibus *Quindiu* et *Chimboraço*, Bonpland.

B. Chiloporus. *Antheræ breves obovoideæ apice poro maximo et fere ad mediam antherarum longitudinem in rimam producto dehiscentes; dissepimento crasso subexserto; filamentis basi complanatis latis.*

190. Miconia macrostoma †.

M. fruticulosa erecta simplex aut ramosa; foliis coriaceis brevissime petiolatis subsessilibusque ovatis subacutis remote arguteque serratis glabris; panicula terminali nutante pauciflora corymbiformi; floribus pro genere majusculis.

Caulis ramique primarii subteretes glabrati, ramuli supremi pube parca brevi hirtelli subtetragoni. Folia coriacea rigidula trinervia, breviter sed argute serrata, 3-4 centim. longa, 2-2 ½ lata, petiolo 2-3-millimetrali. Paniculæ terminales, ut videtur nutantes, trichotomæ, 9-15 floræ, glaberrimæ. Flores pedicello proprio brevi donati. Calycis lobi lati obtusissimi. Petala carnosula, 5 millim. longa, 7 lata. Antheræ breves, poro maximo hiantes. Baccæ maturæ crassitudine pisi majoris. Species fortasse affinis *Cremanio nitido* Don. — In Peruvia, loco haud indicato; Ruiz. Specimen unum et alterum hujus eximiæ speciei ex herbario regio Berolinensi communicata habemus.

191. Miconia rotundifolia. — *Cremanium rotundifolium* Don. DC., *l. c.*, 191.

M. suffruticulosa microphylla submacrantha; ramis hirtellis prostratis humifusis sæpius radicantibus; foliis late ovatis aut suborbicularibus obtusis ciliatis subglabris; floribus ad apices ramulorum subumbellatis, ternis aut pluribus, rarius solitariis.

Fruticulus inter pares prima fronte dignoscendus, radice caulibusque basi lignosis, ramis subherbaceis humifusis aut erectiusculis radicantibus. Folia sæpe orbicularia 3-nervia subtus reticulata integerrima aut vix perspicue ciliato-serrulata, in herbario virentia aut lutescentia, 1 centim. longa et lata nec raro minora, petiolis circiter limbi longitudine. Flores terminales, pauci, ut plurimum terni, breviter pedicellati. Petala 2 ½ - 3 millim. longa, paulo amplius lata, alba? Baccæ crassitudine pisi minoris. — In montibus Peruviæ ad altitudinem 3000-4000 metrorum; Dombey.

192. MICONIA CHIONOPHILA †.

M. fruticulosa submicrophylla?; ramulis hirto-tomentosis; foliis petiolatis ovatis subacutis ciliato-serrulatis sparsim setulosis; floribus ad apices ramulorum paucis, subumbellatis?

Specimen nostrum maxime mancum est sed species certa videtur. Folia 1-3 centim longa, 6-15 millim. lata (fortassis etiam in speciminibus validioribus multo majora), in herbario nonnihil lutescentia, petiolis hirtellis 2-5 millim. longis. Flores ad apices ramulorum pauci, terni aut plures, pedicellati. Petala nec genitalia suppetebant. Baccæ submaturæ circiter crassitudine pisi minoris. — In montibus Reipublicæ Novo-Granatensis, ad nivem deliquescentem; Goudot.

193. MICONIA ANDINA. — *Chiloporus andinus* Ndn., *l. c.* — Fortassis affinis est *Cremanio latifolio* Don.

M. fruticosa erecta ramosa floribunda; ramis subtetragonis parce hirsutis aut glabratis; foliis petiolatis ovatis ellipticisque acuminatis basi rotundatis obsolete et remote denticulatis aut etiam subintegerrimis 3-5-nerviis glabris; paniculis terminalibus majusculis densifloris.

Frutex ut videtur maxime variabilis, præcedentibus elatior et robustior, foliis majoribus paniculisque multo ditioribus. Rami quadranguli nodosi glabrati. Folia decimetrum fere longa 3-4 centim. lata, petiolo 1-1 ½-centimetrali. Paniculæ thyrsoideæ unisesquidecimetrales glabræ aut sparsim pulverulentæ. Calyx late campanulatus, dentibus triangulari-acutis, tubo hemisphærico. Petala circiter 3 millim. longa, 4 lata, alba. Stigma capitato-peltatum. Species omnibus partibus variabilis, forte in formas secundarias olim dividenda. In Andibus Peruviæ prope *Cuzco*, Cl. Gay; Reipublicæ Venezuelensis prope *Merida* ad altitudinem 3000 metrorum, Funck et Schlim; reperta est quoque varietas quædam depauperata in monte *Tolima* Novæ-Granatæ a clar. Goudot.

IX. HARTIGIA.

Flores minuti 5-meri. Calyces ut in Arrhenotoma. Antheræ breves obovoideæ, apice truncato 4-porosæ. Ovarium semiliberum aut omnino adhærens. Stylus breviusculus, stigmate capitellato aut saltem obtusissimo. Subgenus præcedenti maxime affine.

194. MICONIA TETRASTOMA †.

M. fruticosa glabra micrantha; foliis oblongo-obovatis acumina-

tis basi subobtusis subacutisque margine serrulato-ciliatis 3-nerviis; paniculis terminalibus pyramidatis; floribus subsessilibus sessilibusque 5-meris.

Species nobis ex unico specimine cognita, valde dubia, *M. milleflorœ* proxima et cum ea fortassis in unam contrahenda. Folia minus coriacea quam in illa specie, margine subtiliter serrulato-ciliata, 8-9 centim. longa, 3 lata, petiolis 1-2-centimetralibus. Calycis dentes obsoleti, denticuli externi nulli seu potius in setulam mutati. Petala obtusa ferme sesquicentimetrum longa alba. Stamina 10 æqualia, antheris brevissimis 4-porosis, connectivo sub loculis manifeste producto et postice obtuse tuberculato. Ovarium usque ad apicem adhærens 3-loculare. Stylus gracilis, stigmate subcapitellato. — In montibus insulæ Cubensis dictis *Sierra Maestre;* Linden, *Cat.*, n° 2002.

195. Miconia miocarpa †.

M. submacrophylla submicrantha; ramis supremis teretiusculis paniculis petiolisque tomento rubiginoso obductis; foliis ellipticis apice in acumen angustum productis basi subacutis integerrimis 3-nerviis supra glaberrimis aut glabratis; paniculis terminalibus pyramidatis, floribus breviter pedicellatis subsessilibusque 5-meris.

Folia 12-15 centim. longa, 5 et quod excedit lata, petiolis crassis supra canaliculatis sesqui-tricentimetralibus. Calyces campanulati 5-dentati, dentibus obtusis denticulos externos callosos parum conspicuos gerentibus. Petala obovata sesquimillimetrum longa. Stamina 10 æqualia, antheris brevibus obovatis exappendiculatis 4-porosis. Ovarium supra medium adhærens biloculare fortassis et 3-loculare. Stylus staminibus paulo longior, stigmate subcapitellato. — In monte *Quindiu* Novæ-Granatæ; Goudot.

196. Miconia milleflora. — *Cremanium milleflorum* et *C. theœzans* DC., *l. c.* — *C. milleflorum* Mart., *Nov. gen.*, III, 159, tab. 286. — *Melastoma theœzans* Bonpl., *Mélast.*, 17, tab. 9 (icon infidelis). — *Hartigia milleflora* Miq., *Linn.*, XVIII, 286.

M. fruticosa et subarborea glaberrima micrantha; ramis teretibus, supremis opposite sulcatis; foliis subcoriaceis petiolatis ovatis lanceolatis obovatisve magis minus acuminatis serratis

3-nerviis; paniculis terminalibus thyrsoideis pyramidatisve floribundis; floribus subsessilibus 5-meris, rarius abortu 4-meris.

Frutex in utraque America indigenus, montium et camporum pariter incola ideoque maxime variabilis, secundum loca elatior aut depressior, sesqui-quinquemetralis. Folia (in herbariis sæpius flavicantia) longiora aut latiora, nunc ovato-lanceolata, nunc late obovata, marginibus haud raro revolutis serrata aut obsolete serrulata, ab ipsa basi aut paulo supra basim limbi 3-nervia, nonnunquam omnino triplinervia, 5-8 centim. longa, rarius decimetralia, 2-3 centim. lata, petiolis ferme centimetrum longis. Paniculæ laxiores aut contractiores, floribus in ramulis tertii quartive ordinis congestis brevissime pedicellatis aut vix non sessilibus. Calyces subglobosi, in anthesi semen *Brassicæ oleraceæ* crassitudine æmulantes, dentibus 5 distinctis aut obsoletis denticulos externos magis minusve perspicuos gerentibus. Petala obovata millimetralia alba aut dilute rosea. Stamina 10 æqualia, antheris brevibus oblique truncatis 4-porosis, connectivo sub loculis haud omnino indistincto. Ovarium semiadhærens 2-3-loculare. Stylus staminibus paulo longior, stigmate incrassato-capitellato. Baccæ maturæ globosæ cæruleæ circiter crassitudine seminis cannabini. — In permultis locis Brasiliæ australis et septentrionalis, Claussen, Vauthier, Gaudichaud, Blanchet, Guillemin; Republica Novo-Granatensi et Venezuelensi, Bonpland, Funck, Linden; Bolivia, Weddell; Peruvia, Mathews, Dombey; Imperio Mexicano, Galeotti.

X. CHÆNANTHERA.

Antheræ rima unica rimisve duabus (scilicet poris ab apice usque ad basim loculorum productis) dehiscentes. Cætera ut in speciebus Eumiconiæ.

A. EUCHÆNANTHERA. *Paniculæ pyramidatæ. Antheræ rima unica media dehiscentes.*

197. MICONIA RIMALIS †.

M. arborea? fere glaberrima; foliis petiolatis oblongo-ovatis in acumen longiusculum productis basi subrotundatis integerrimis præter nervulos marginales triplinerviis; paniculis terminalibus pyramidatis; ramis patulis, floribus breviter pedicellatis 5-meris.

Rami supremi compressi pulvere parco tomentelli, mox teretes et glabrati. Folia nonnihil coriacea glaberrima integerrima, 8-10 centim.

longa, 2 ½-3 lata, nervis lateralibus 2-5 millimetra supra basim limbi e medio orientibus, petiolis centimetrum et quod excedit longis. Paniculæ foliis subæquilongæ aut paulo breviores. Calyces campanulati breviter 5-dentati, denticulis externis inconspicuis. Petala obovata retusa reflexa 2 millim. longa ut videtur alba. Stamina 10 æqualia, antheris lineari-oblongis rima unica ab apice ad basim apertis. Ovarium paulo supra medium adhærens 3-loculare. Stylus breviusculus, stigmate subclavato. — In Brasilia septentrionali prope Bahiam, loco dicto *la Jacobina;* Blanchet.

198. MICONIA LATE-CRENATA. — *Cremanium late-crenatum?* DC., *l. c.*, 194.

M. arborea? vix non glaberrima minutiflora; ramis teretiusculis; foliis petiolatis late lanceolatis apice in acumen angustum productis basi etiam subacutis sinuato-crenatis prætermisso nervo utroque marginali trinerviis; paniculis terminalibus subterminalibusque pyramidatis floribundis; floribus brevissime pedicellatis 5-meris.

Ramuli supremi ut et paniculæ pube pulverulenta parca conspersi mox glabrati. Folia 12-15 centimetra longa, 5-6 lata, sinuato-crenata, glabra. Flores minuti, ad apices ramulorum extremorum paniculæ aggregati, brevissime pedicellati et subsessiles. Calyces late campanulati 5-dentati, denticulis externis inconspicuis. Petala obovato-rotundata, vix 1 millim. longa, reflexa, ut videtur alba. Stamina 10 æqualia, antheris linearibus nonnihil recurvis, poro apicali in rimam usque ad medium imo interdum ad basim antheræ producto, connectivo postica basi brevissime calcarato aut omnino inermi. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stigma subclavatum. Fructus matur globosi semen raphaninum crassitudine æmulantes. — In Brasilia meridionali; frequens occurrit in montibus *Serra dos Orgaos* necnon in vicinia urbis *Rio de Janeiro;* Gaudichaud, Martius, Guillemin, Vauthier, etc.

199. MICONIA UROPHYLLA DC., *l. c.*, 186.

M. arborescens foliosa floribunda; ramis teretibus supremis hirsutis rufescentibus, vetustioribus crassis tortuosis nodosis excoriatis; foliis subbreviter petiolatis oblongo-ovatis in acumen longiusculum productis basi rotundatis serrulatis aut integerrimis tripli-quintuplinerviis pagina superiore demum

glabrata nitidulis inferiore hirtellis; paniculis terminalibus pyramidatis confertifloris; floribus sessilibus 5-meris.

Rami vetustiores robusti rigidi indecori, hornotini teretes hirtelli aut hirsuti. Folia membranacea aut nonnihil coriacea, patula interdumque subpendula, nunc integerrima nunc serrato-denticulata aut omnino serrata, adjecto nervo utroque submarginali quintuplinervia, nervis duobus intermediis pauca millimetra supra basim limbi e medio orientibus, superius mature glabrata nonnihilque rugosa, inferius hirsutiem retinentia, 6-8 centim. longa, 2-3 lata, petiolis semicentimetralibus. Calyces campanulati, dentibus brevibus acutis dorso denticulum externum vix conspicuum gerentibus. Petala obovata apice integra aut subretusa 2 millim. longa reflexa alba. Stamina 10 æqualia, antheris linearibus recurvis exappendiculatis rima unica media dehiscentibus. Ovarium maxima parte adhærens 3-loculare, rarius biloculare. Baccæ submaturæ globosæ crassitudinem seminis cannabini æmulantes. — In variis locis Brasiliæ meridionalis potissimum autem provinciæ *Minas geraes;* Martius, Sellow, Claussen.

B. Chænopleura. *Paniculæ in racemum elongatæ. Antheræ rimis duabus in unam confluentibus apertæ.*

200. Miconia stenobotrys. — *Chænopleura stenobotrys* DC., *l. c.*, 197. — *Melastoma stenobotrys* Bonpl., *Melast.*, tab. 30.

M. fruticosa glabra dolichophylla dolichostachya; ramis supremis obtuse tetragonis purpurascentibus, vetustioribus magis ac magis teretibus; foliis petiolatis oblongis acuminatis basi rotundatis subtilissime denticulatis 3-nerviis; paniculis terminalibus elongatis; floribus omnibus pedicellatis 5-meris.

Folia 1-2 decim. longa, 2-3 centim. et quod excedit lata, petiolis 1-1 $\frac{1}{2}$-centimetralibus. Panicula elongata foliis ipsis circiter duplo triplove longior, ramis oppositis erectis brevibus fere corymbose floriferis. Flores in vernatione bractea duplici obovata concava involuti, sub anthesi bracteis nudati. Calyces turbinati 5-dentati, dentibus subacutis denticulum externum minutum gerentibus. Petala obovata retusa 3-4-millim., longa et lata alba aut rosea. Stamina 10 æqualia, antheris oblongis obtusis rima unica ab apice ad basim aperta dehiscentibus, connectivo infra loculos incrassato et postica basi subgibbo. Ovarium supra medium adhærens 3-loculare. Stigma punctiforme. — In insula Domingensi; Beauvois.

C. DICHÆNA. *Paniculæ pyramidatæ micranthæ. Antheræ rimis duabus distinctis dehiscentes.*

201. MICONIA TENTACULIFERA †.

M. fruticosa fortassis subarborea micrantha; ramis supremis compressis ancipitibus paniculis petiolis foliorumque pagina inferiore tomento adpresso brevissimo canescentibus; foliis lanceolato-ellipticis apice in acumen longum angustissimum productis basi obtusis integerrimis prætermisso utroque nervo submarginali trinerviis; paniculis terminalibus irregulariter pyramidatis floribundis; floribus breviter pedicellatis 5-meris.

Rami supremi (id est hornotini) alternatim hinc et inde compressi acute bianguli, vetustiores magis ac magis teretes et glabrati. Folia subtus canescentia, supra glaberrima aut saltem glabrata et in herbario nigrescentia, insigniter acuminata, 8-12 centim. longa, 2-3 lata, acumine 2-4 centim. longo, 1 millimetrum aut paulo amplius lato, petiolo circiter centimetrali. Flores ad apices ramulorum paniculæ congesti, minuti, non omnino sessiles, interdum longiuscule pedicellati. Calyces campanulati aut turbinati, dentibus 5 triangulari-acutis simplicibus. Petala sesquimillimetralia obovata reflexa. Stamina 10 æqualia, antheris oblongis cultriformibus nonnihil recurvis birimosis exappendiculatis. Ovarium fere usque ad apicem adhærens 2-3-loculare. Stigma obtusum punctiforme. — In provinciis Sancti Pauli et *Minas Geraes* Brasiliæ meridionalis; Martius, Gaudichaud, Claussen.

Species addendæ sed multæ incertissimæ aut sub plurimis nominibus numeratæ nec e descriptionibus auctorum dignoscendæ.

202. M. PURPURASCENS DC., *l. c.*, 179. — Fortassis non differt a *M. racemosa*.

203. M. CONGESTIFLORA DC., *l. c.*, 180. — Nonne etiam affinis *Miconiæ racemosæ?*

204. M. BRACHYPODA DC., *l. c.*, 180.

205. M. FALLAX DC., *l. c.*, 181. — Species dubia, cum *M. holosericea* fortassis coadunanda.

206. M. FERRUGINATA DC., *l. c.*, 181. — Eamdem esse suspicamur ac *M. triseriata*.

207. M. HERPETICA DC., *l. c.*, 181. — Forte eadem est ac *M. detergibilis*.

208. M. ARGENTEA DC., *l. c.*, 182. — Fortassis *Miconiæ holosericeæ* varietas.

209. M.? PEPERICARPA DC., *l. c.*, 182.

210. M. MELLINA DC., *l. c.*, 182.

211. M. LEUCOCARPA DC., *l. c.*, 182.

212. M. IMPETIGINOSA DC., *l. c.*, 183.

213. M. CINCHONÆFOLIA DC., *l. c.*, 184.

214. M. DISCOLOR DC., *l. c.*, 184.

215. M. PUNCTATA DC., *l. c.*, 184.

216. M. LAMBERTIANA DC., *l. c.*, 185.

217. M. ERIODONTA DC., *l. c.*, 185.

218. M. COLLINA DC., *l. c.*, 185. — Affinis videtur *M. prasinæ* et fortassis cum ea jungenda est.

219. M. MARTIUSIANA DC., *l. c.*, 186.

220. M. MAXIMILIANEA DC., 186.

221. M. LOXENSIS DC., *l. c.*, 186.

222. M. PAUCIDENS DC., *l. c.*, 186.

223. M. CAUDIGERA DC., *l. c.*, 186.

224. M. GUAYAQUILENSIS DC., *l. c.*, 186.

225. M. SUBCILIATA DC., *l. c.*, 187.

226. M CORONATA DC., *l. c*, 187.

227. M. PENDULIFOLIA DC., *l. c.*, 187.

228. M. HAVANENSIS DC., *l. c.*, 188.

229. M. AMBIGUA DC., *l. c.*, 189. — Species maxime dubia.

230. M. MINUTIFLORA DC., *l. c.*, 189.

231. M. ASTROLASIA DC., *l. c.*, 190.

232. M. TRIPLINERVIS DC., *l. c.*, 190.

233. M. LANUGINOSA DC., *l. c.*, 190.

234. M. EMARGINATA DC., *l. c.*, 190.

235. M. NITENS Benth. in Hook., *Journ. of bot.*, II, 313.

236. M. REVOLUTA Benth., *l. c.*

237. M. BREVIPES Benth., *l. c.*

238. M. MYRIANTHA Benth., *l. c.*, 314. —Ab ea fortassis non differt *M. melanodendron*.

239. M. ERIOPHORA Miq., *Comm. phytogr.*, II, 88, tab. 10.

240. M. CORALLINA Spring, *Flora*, XX, 77.

241. M. FASCICULATA Gardn. in Hook., *London journ. of bot.*, I, 533.

242. M. ORGANENSIS Gardn., *l. c.*, II, 345.

243. M. DIVARICATA Gardn., *l. c.*

244. M. DEPAUPERATA Gardn., *l. c.*, 346.

245. M. POLYANDRA Gardn., *l. c.*

246. M. SCORPIOIDES Schlechtnd. et Cham., *Linnæa*, V, 564.

247. M.? GLABERRIMA Schlechtnd., *Linnæa*, XIII, 421.

248. M.? GLAUCOCARPA Schlechtnd., *l. c.*, 421.

249. M. SYLVATICA Schlechtnd., *l. c.*, 422. — Forte eadem est ac *M. lævigata.*

250. M.?? LINEATA Schlechtnd., *l. c.*, 423.

251. M.?? UMBILICATA Bertol., *Flor. guatim.*, 16.

252. M.? ROSTRATA Bertol., *l. c.*, 17.

253. M. RENGGERI Steud., *Flora*, XXVII, 723. — Eamdem esse suspicamur ac *M. holosericea.*

254. M. FLAMMEA Casaretto, *Novarr. stirp. bras. decad.*, 85.

255. M. ERYTHROPILA Steud., *Flora*, XXVII, 723.

256. M. FLEISCHERIANA Steud., *l. c.*, 723.

257. M. REPANDO-CRENATA Steud., *l. c.*, 724.

258. M. CALOPHYLLA C. Krüger, *Linnæa*, XX, 109.

259. M. VILLOSISSIMA H. Crüger, *l. c.* — Eamdem esse suspicamur ac *M. lacera.*

260. M. GLOSSOCENTRA. — *Glossocentrum collinum* H. Crüger, *l. c.*, 111.

261. M. SPECIOSA. — *Augustinea speciosa* Aug. St.-Hil. et Ndn., *Ann. des sc. nat.*, IIIe *série*, 2, p. 145.

262. M.? OBSCURA. — *Clidemia obscura* DC., *l. c.*, 162.

263. M. RADULÆFOLIA. — *Clidemia radulæfolia* Benth. in Hook., *Journ. of bot.*, II, 305.

264. M. TETRANDRA. — *Tetrazygia tetrandra* DC., *l. c.*, 172.

265. M. TUNICATA. — *Conostegia tunicata* DC., *l. c.*, 175. — *Melastoma tunicata* Bonpl., *Mélast.*, tab. 60. — Species valde affinis *Miconiæ tococoidi* et *M. conostegioidi.*

266. M. MEXICANA. — *Conostegia mexicana* DC., *l. c.* — *Melastoma mexicana* Bonpl., *l. c.*, tab. 55. — Differtne vere a *M. semicrenata ?*

267. M. CANDOLLÆANA. — *Conostegia lutescens* DC., *l. c.* — *Melastoma lutescens* Vahl., *Eclog.*, III, 17. — Non *M. lutescens* Bonpl. — Species ut videtur affinis *M. cornifoliæ.*

268. M. ACUMINATA. — *Conostegia acuminata* Steud., *Flora*, XXVII, 722. — Walp., *Repert.*, V, 715. — Species non confundenda cum *Melastoma acuminata* Desr. in Lamk., *Dict.*, IV, 54, quæ eadem est ac *Miconia semicrenata.*

269. M. FLORIDA. — *Diplochita florida* DC., *l. c.*, 176. — Differtne a *M. Fothergilla ?*

270. M.? DONÆANA. — *Diplochita caudata* DC., *l. c.*, 177. — *Chitonia caudata* Don., *Mem. soc. Wern.*. IV, p. 317. — Non *Melastoma caudata* Bonpl. ex Candollæo.

271. M.?? AUREA. — *Diplochita aurea* DC., *l. c.*, 177. — *Chitonia aurea* Don, *l. c.*

272. M.? BUBALINA. — *Diplochita bubalina* DC., *l. c.* — *Chitonia bubalina* Don, *l. c.*

273. M.? PLATYHEDRA. — *Diplochita macrophylla* DC., *l. c.* — *Chitonia macrophylla* Don, *l. c.*

274. M. LEUCOCEPHALA. — *Diplochita leucocephala* DC., *l. c.*, 177. — Fortassis eadem species est ac *M. serrulata.*

275. M. NITIDA. — *Cremanium nitidum* Don, *Mem. soc. Wern.*, IV, 311. — DC., *l. c.*, 191.

276. M. THYRSOIDEA. — *Cremanium thyrsoideum* Don, *l. c.* — DC., *l. c.*, 191.

277. M. LATIFOLIA. — *Cremanium latifolium* Don. — DC., *l. c.*, 191.

278. M. ELÆODENDRON. — *Cremanium elæodendrum* DC., *l. c.*

279. M.? GLANDULOSA. — *Cremanium? glandulosum* DC., *l. c.* — *Melastoma glandulosa* Swartz, *Flor. ind.*, 799.

280. M.? MEDIA. — *Cremanium medium* Don, *l. c.* — DC., *l. c.*, 192.

281. M.? MYRTIFORMIS. — *Cremanium calophyllum* Don, *l. c.* — DC., *l. c.*, 192.

282. M.? LAURINA. — *Cremanium laurinum* Don, *l. c.* — DC., *l. c.*, 192.

283. M. CÆRULEA. — *Cremanium cæruleum* Don, *l. c.* — DC., *l. c.*, 192.

284. M. COELESTIS. — *Cremanium cœleste* Don, *l. c.* — DC., *l. c.*, 192.

285. M. GALACTANTHA. — *Cremanium serrulatum* Don, *l. c.* — DC., *l. c.*, 192.

286. M. MIQUELIANA. — *Decaraphe floribunda* Miq., *Linnæa*, XVIII, 280.

287. M. DIMORPHA. — *Cremanium glaberrimum* DC., *l. c.*, 192. — *Melastoma dimorphum* Schrank et Mart. *mss.* Species forte cum *M. milleflora* coadunanda.

288. M. PROCERA. — *Cremanium compressum* Benth.. *Bot. of Belch.*, 96.

289. M. HARTIGIOIDES. — *Cremanium minutiflorum* DC., *l. c.*, 193. Num a *M. milleflora* distincta species?

290. M. OLIGOTRICHA. — *Cremanium oligotrichum* DC., *l. c.*, 193.

291. M. CROCEA. — *Cremanium croceum* DC., *l. c.*, 194.

292. M. INÆQUIDENS. — *Cremanium inæquidens* DC., *l. c.*, 194.

293. M. PANICULATA. — *Cremanium paniculatum* DC., *l. c.*, 194.

294. M. PALUDOSA. — *Cremanium paludosum* Gardner in Hook., *Lond. journ. of bot.*, II, 347.

295. M. CHÆNOPLEUROIDES. — *Cremanium chænopleuroides* Gardn., *l. c.*, 349.

296. M. PLEUROCARPA. — *Decaraphe Fockeana* Miq., *Comment. phytogr.*, II, 84, tab. 10. — *Melastoma pleurocarpum* E. Mey. *mss.*

297. M. PARVIFLORA. — *Chænopleura parviflora* Gardn. in Hook., *Lond. journ. of bot.*, II, 348.

298. M. GARDNERIANA. — *Chænopleura lanceolata* Gardn., *l. c.*

299. M. DENSIFLORA. — *Chænopleura densiflora* Gardn., *l. c.*

300. M. CRUGERIANA. — *Chænopleura ferruginea* Crüger, *Linnæa*, XX, 112. — Species maxime dubia, ut videtur a *Miconia ferruginea* DC. non diversa.

301. M. ANGUSTIFLORA. — *Diplochita? angustiflora* Benth., *Plant. Hartw.*, 263.

302. M. TRINITATIS. — *Cremanium Trinitatis* H. Crüger, *Linnæa*, XX, 111. — Walp., *Ann. bot. syst.*, 301.

303. M. ASCHENBORNIANA Schauer, *Linnæa*, XX, 734. — Walp., *l. c.*, 301.

304. M. BERGHESIANA Schauer, *l. c.*, 735. — Walp., *l. c.*, 302.

E speciebus quæ sub nomine *Melastomatis* ad calcem ordinis in Prodromo a Candollæo contemptim rejectæ fuerunt plurimæ ad Miconiam pertinent aut pertinere videntur, quas maxima parte sub aliis nominibus alias descriptas fuisse pro certo habemus. Eæ sunt : *Melastoma expansum*, *M. nervosum*, *M. splendens*, *M. piluliferum*, *M. trinervium*, *M. virescens*, *M. rigidum*, *M. brachiatum*, *M. striatum*, *M. fragile*, *M. heteronevrum*, *M. squamulosum*, *M. ligustrinum*, *M. ibaguense* et *M. furfuraceum*. Reliquæ Staphidio, Staphidiastro, Sagrææ, Clidemiæ aliisve generibus reddendæ essent si quæ foret utilitas in hac tanta farragine hærere. Istam Melastomearum turpem caudam oblivioni dare aliique labori vacare nobis satius videtur.

EXTRAIT DES **ANNALES DES SCIENCES NATURELLES**, TOME XVII.
(Cahier n° 5.)

MELASTOMACEARUM

QUÆ IN MUSÆO PARISIENSI CONTINENTUR

MONOGRAPHICÆ DESCRIPTIONIS

ET SECUNDUM AFFINITATES DISTRIBUTIONIS

TENTAMEN.

(SEQUENTIA.)

Auctore **CAROLO NAUDIN**.

CXVI. *POGONORHYNCHUS.*

Pogonorhynchus H. Crüger, *Linnæa*, XX, 107. — Walpers, *Annal. bot. system.*, 300.

1. P. amplexans H. Crüger, *l. c.* — Walp., *l. c.*

Genus nobis ignotum et cum Miconia ut videtur coadunandum.

CXVII. *STAPHIDIUM.* Tom. XVII, tab. 22.

Clidemiæ et Heterotrichi species DC., *Prod.*, III. — Melastomatis species auctorum. — Stephanotrichum Ndn., *Ann. des sc. nat.*, 3e série, IV, 54.

Flores 5-6-8-meri, amblypetali. Calycis tubus campanulatus; dentes duplicati, exteriores subulati magis minusve producti, interiores ovati obovative obtusi, cum prioribus basi connati, interdum subobsoleti. Petala obovata apice rotundata, nonnumquam emarginata aut retusa, rarius ovata et subobtusa. Stamina petalorum numero dupla, rarissime numerosiora, æqualia aut subæqualia; antheris linearibus linearive-subulatis 1-porosis; connectivo infra loculos nullo, postica basi in tuberculum seu calcar brevissimum haud infrequenter desinente aut supra basim gibboso. Torus in-

sertioni staminum inserviens nunc simplex, nunc productus et fimbriatus. Ovarium plerumque semiadhærens, rarius usque ad apicem calycino tubo adnatum, superne umbilicatum, 4-5-6-loculare, in paucis etiam 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus baccatus, calycis dentibus coronatus. Semina ovoideo-dimidiata aut irregulariter pyramidato-angulata.

Frutices austro americani mexicani et antillani, ramosi, interdum subarborescentes, ut plurimum micranthi, haud raro macrophylli et anisophylli, hirsuti aut villosi, rarius glabri aut subglabri; foliis petiolatis ovatis acutis 3-5-7-9-nerviis; floribus in paniculas multiformes axillares rarissime subterminales dispositis, nonnumquam ad apices ramulorum axillarium aut in ipsis axillis foliorum congestis glomeratisve, albis roseis aut purpurascentibus, fortassis etiam albo-luteolis.

Genus vix non omnino naturale quamvis species habitu heteromorphas includat. A Staphidiastro partium numero quinario, a Clidemia petalis obtusis facile distinguetur. Miconiæ vero affinius est, cui paucis speciebus utrique fere æqualiter convenientibus connectitur; ab illa tamen discrepabit inflorescentia axillari et calycis dentibus exterioribus productis nec, ut in Miconia, obsoletis aut saltem brevissimis. *Staphidium triste* (non confundendum cum *Miconia tristi*) fortasse melius cum Miconiis jungeretur.

A. *Stephanotrichum.*

Flores 5-8-meri. Calycis dentes exteriores semper longe producti angusti subulati. Torus staminum in membranam laciniatam erectam productus aut fimbriatus.

1. Staphidium octonum. — *Heterotrichum octonum* DC., III, 173. — *Stephanotrichum hispidum* Ndn., *Ann. des sc. nat.*, 3e *série*, IV, 54. — *Octomeris Bonplandii* Ndn., *l. c.*, 52. — *Melastoma octona* Bonpl., *Mélast.*, tab. 4.

S. macrophyllum anisophyllum; ramis, petiolis paniculisque patentim hispidissimis; foliis late ovatis acuminatis basi cordatis

margine denticulatis setoso-hispidulis 7-nerviis; floribus pro genere majusculis 6-8-meris.

Rami teretes, setis longis patulis hispidi et inter setas pube ferruginea caduca obsiti. Folia in eodem jugo ut plurimum inæqualia sed conformia, uno alterum triente aut etiam dimidio superante; majora 12-18 centim. longa, 7-10 lata; petiolis 2-8-centimetralibus. Calyces late campanulati, hispidissimi, dentibus externis tubo ipso brevioribus. Petala obovato-elliptica, 8-9 millim. longa, alba. Antheræ luteolæ, prorsus exappendiculatæ. Torus in lacinias fimbriatas productus ovarii apicem tegens styliquc basim circumdans. Ovarium liberum aut vix ima basi adhærens, 6-7-8-loculare. Fructus nondum maturi sed fere adulti jam crassitudine pisi. — In frutetis Novæ-Granatæ, secus flumen dictum *Guaduas*, Bonpland; prope *Panama*, Duchassaing; et *Teapa* Reipublicæ mexicanæ, Linden.

2. Staphidium elegans. — *Clidemia elegans* et *Clidemia hirta* DC., *l. c.*, 157. — *Melastoma elegans* Aubl., *Guyane*, I, 427, tab. 167. — *M. hirta* Sims, *Bot. mag.*, n° 1971.

S. subisophyllum; ramis teretibus petiolis cymisque florum patentim hispidulis; foliis late ovatis acutis aut breviter acuminatis basi subcordatis crenatis 5-nerviis; cymis brevibus axillaribus alaribusque 3-15-floris; floribus 5-meris.

Species summopere variabilis, in maxima Americæ æquinoctialis parte erratica, in Guyanis præsertim frequens ibique potissimum ingenuos characteres retinens. Rami teretiusculi, internodiis elongatis. Folia in utraque pagina setulis rigidis hispidula, sæpe crasse crenata, rarius subintegerrima, 6-12 centim. longa, 4-8 lata, interdum multo majora, petiolis nunc brevissimis vixque semicentimetrum longis, nunc 2-3-centimetralibus. Calyces campanulati, dentibus exterioribus angustis subulatis, interioribus fere obsoletis, raro productioribus et tunc triangularibus. Petala oblongo-obovata, 10-12 millim. longa, alba aut dilute rosea, fortassis et flavicantia. Antheræ subulatæ, connectivo infra loculos non producto nec antice appendiculato ut per errorem indicavit Aubletius, basi postica tamen magis minusve manifeste tuberculato. Torus ante basim staminum productus et fimbriatus. Ovarium liberum aut ima basi vix adhærens, apice angustatum et quasi lageniforme. Fructus baccatus edulis, si Aubletio credendum est. — In Guyana gallica, Aublet, Leprieur, Mélinon; Batavica, Kegel, Leschenault, Hostman, Kappler; anglica,

Schomburgk; Brasilia septentrionali, Bonpland; Republica novo-granatensi, Pœppig, multisque aliis locis.

3. Staphidium pauciflorum. — *Clidemia pauciflora* et *Clidemia crenata* DC., *l. c.*, 157. — *Clidemia cognata* Steud., *Herb. sur.*, n° 1413. — *Melastoma pauciflora* Desr. in Lamk., *Dict.*, IV, p. 39.

S. subisophyllum, totum hispidulum; foliis ovatis acuminatis basi nonnumquam subcordatis tenuiter crenulatis subintegerrimisque 5-nerviis, ut plurimum breviter petiolatis; cymis brevibus axillaribus alaribusque quinque-multifloris; floribus 5-meris.

Forma maxime mutabilis a Candollæo aliisque auctoribus in duas species divisa, nobis non modo ad unam reducta sed etiam a *S. elegante* vix dissociata. Huic enim adeo similis est et tam multis intermediis varietatibus connectitur ut, nisi nos impediisset antecessorum auctoritas, has omnes formas in unam speciem forte contraxissemus. Non negamus quidem plurimas species sub eodem vultu hic latitare posse sed dubitamus an adhucdum liceat eas in herbariis certo distinguere, quod sane facilius meliusque fiet in posterum, quando herbaria ditiora evaserint et plantas in sua quaque patria collectores accuratius observaverint. Folia in *S. paucifloro* sæpe minora sunt quam in *S. elegante*, brevius petiolata, oblongiora, longius acuminata, delicatius crenulata; addendum est etiam ea basi integra esse aut vix subcordata. Limbus magnitudine variabilis, 5-10 centim. longus, 3-6 latus quandoque multo major; petiolus $\frac{1}{2}$-2-centimetralis. Flores ut in præcedente specie sed antheræ haud infrequenter basi postica breviter calcaratæ. Petala alba dicuntur. — In Antillis, nempe *Saint-Thomas*, Riedlé; *Porto-Rico*, Plée; *Cuba* (herb. Bonpl.); in America continente pariter frequens: specimina habemus e Republica mexicana, Linden, Galeotti; Guyana batavica, Kegel; anglica, Schomburgk; Brasilia septentrionali et meridionali, Martius, Gay, Leschenault, Claussen, Gaudichaud, Vauthier; Republica novo-granatensi, Bonpland, Poeppig.

Var. β stellulatum; ramulis supremis pube stellata inter setas conspersis; foliis basi cordatis, multo minus hispidis quam in cæteris varietatibus, pagina inferiore fere glabra.

Nonne species distincta? — In Brasilia septentrionali?, loco haud designato; Martius, herb. Flor. bras., n° 495.

Var. γ albo-roseum; submacrophyllum; foliis longiuscule acuminatis subtilissime crenulatis; petalis albo-roseis; ovario ad medium aut etiam supra medium adhærente.

Forma vegeta et floribunda, floribus purpurascentibus et ovario magis adhærente distincta, quam tamen a typo *S. pauciflori* non disjungendam censemus. — In Republica mexicana, prope urbem *Oaxaca* ad altitudinem 1000 metrorum; Galeotti, *Cat.* n° 2960.

Var. δ calcaratum; submacrophyllum patentim hispidum; foliis late ovatis crenato-dentatis pauci-setosis; antherarum connectivo infra loculos nonnihil producto et postice in calcar breviusculum desinente.

Forma habitum peculiarem præ se ferens, fortassis olim ad dignitatem speciei extollenda, sed credimus immerito. — In Andibus Reipublicæ venezuelensis, haud procul ab urbibus *Truxillo* et *Merida*, Linden; et prope *Caracas*, Funck.

Multæ aliæ formæ ad hunc typum spectantes olim absque dubio reperientur, et jam nunc, si plura scribere liberet, nonnullas adhuc hic adjicere possemus, sed quum nos alias aliæ curæ vocent, hanc partem laboris posteris perficiendam relinquimus.

4. Staphidium purpureum. — *Clidemia purpurea* DC., *l. c.*, 158. — *Melastoma purpurascens* Dombey, *Herb.*

S. hirsutum isophyllum purpurascens; ramis teretibus demum glabratis; foliis ovatis oblongove-ovatis acuminatis denticulatis 5-nerviis; cymis axillaribus alaribusque multifloris; floribus 5-meris.

Species a *S. elegante* satis distincta, *S. paucifloro* affinior nec tamen ei coadunanda. Ab utroque differt habitu, vestitu et, ut videtur, colore florum quos purpureos suspicamur. Rami quam in illis paulo lentiores, internodiis sæpe elongatis, hirsutie purpurea aut saltem purpurascente obducti. Folia in eodem jugo æqualia aut subæqualia, sicut et petioli floresque hirsuto-purpurascentia, basi minime cordata, 6-8 centim. longa, 3-4 lata, petiolis ferme centimetralibus. Cymæ axillares e paniculis brevibus umbelliformibus aut ramulis dichotome tri-multifloris constantes. Calyces ut in præcedentibus speciebus, dentibus interioribus subobsoletis, exterioribus angustis purpureis. Petala nec stamina vidimus. Torus productus, fimbriatus. Ovarium maxima parte liberum, lageniforme. Bacca matura violacea succosa, crassitudine pisi. — In Peruvia, loco haud indicato, Dombey. — Ipsissima specimina habemus quæ a Candollæo descripta fuere.

5. Staphidium brachystephanum †.

S. isophyllum et anisophyllum hirsutum; foliis lanceolatis ovatove-lanceolatis acuminatis subintegerrimis quintuplinerviis

pilosis; cymis subterminalibus paucifloris hirsutis; floribus 5-meris; toro vix producto 10-lobulato.

Folia 8-12 centim. longa, 3-4 lata, in eodem jugo sæpe manifeste disparia, petiolis semi-sesquicentimetralibus. Cymæ (saltem in specimine nostro unico) 3-7-floræ rufo-hirsutæ, in axillis novissimi foliorum jugi quasi terminales. Calycis dentes interiores obsoleti et in membranam continuam brevem confluentes. Petala obovata subretusa, circiter centimetrum longa. Tori fimbriæ ante basim staminum subobsoletæ, ex appendiculis 10 brevibus parum conspicuis constantes. Ovarium omnino liberum, stigmate capitellato. Species tori brevitate a reliquis hujus generis diversa, *S. eleganti* et *S. paucifloro* habitu affinis. — In Republica novo-granatensi; Goudot.

6. Staphidium Hostmannii †.

S. isophyllum et anisophyllum hirsutum aut hispidulum; foliis petiolatis ovato-oblongis acuminatis basi rotundatis et subacutis subintegerrimis 5-nerviis; cymis ex axilla folii minoris ortis divaricatim et trichotome ramosis hirsutissimis; floribus 5-meris.

Utrum species distincta sit an alius varietas nobis ex unico et incompleto specimine non est exquirendum, sed cum nulla hic descriptarum recte quadrat. Folia longiora quam in omnibus varietatibus *S. pauciflori*, magnitudine et forma foliis *S. brachystephani* simillima sunt, sed cymæ quam in illo ditiores et productiores evadunt et torus staminum ubertate laciniarum alias species æmulatur.—In Guyana batavica prope *Surinam*; Hostman.

7. Staphidium chrysanthum †.

S. submacrophyllum anisophyllum totum hispidulum; foliis elliptico-ovatis acuminatis crenulatis 5-nerviis; cymis axillaribus multifloris hispidissimis; floribus 5-meris flavis.

Species distinctissima videtur quamvis habitu ludat cum quibusdam varietatibus *S. pauciflori*. Folia basi minime cordata, in eodem jugo manifeste disparia, uno alterum quarta aut quinta parte ut plurimum superante, pagina utraque hispidula, 7-12 centim. longa, 4-6 lata, petiolis 1-2-centimetralibus. Petala obovata sed apice acutiuscula (saltem in alabastris, explicatos flores enim non vidimus), flava et pellucida (ex auctoritate inventoris). Cætera ut in *S. paucifloro*.—In nemoribus montium

mexicanorum prope *Mexico*, ad altitudinem 1000 metrorum, ubi rara est; Galeotti, *Cat.* nº 2942.

8. Staphidium Wilsonii †. — *Clidemia hirta* Hook., *Herb.* — Non DC. nec *Bot. Mag.*, tab. 1971.

S. pro genere submacrophyllum; ramis teretiusculis hirsutis hispidulisque; foliis in eodem jugo nunc æqualibus nunc valde disparibus ovato-ellipticis acuminatis basi obtusis integerrimis aut vix conspicue crenulatis quinque-quintuplinerviis setuloso-scabrellis; cymis rufo-hirsutissimis 3-7-floris in axillis foliorum aut dichotomiis ramorum supremorum subsessilibus; floribus 5-meris.

Species nobis distinctissima videtur præsertim a *Clidemia hirta* DC. quæ sine dubio *S. eleganti* conjungenda est. Folia ejusdem jugi sæpe æqualia, interdum autem maxime disparia, uno scilicet alterum triplo quadruplove superante; majora 12-15 centim. longa, 5-6 lata, petiolis semi-sesquicentimetralibus. Cymæ depauperatæ, sæpe trifloræ aut paulo ditiores, breviter pedunculatæ. Calyx ut in *S. elegante*, toro producto fimbriato. Petala obovata, 6-8 millim. longa, rosea? Ovarium ultra medium adhærens, apice libero angustato. Stigma subcapitellatum aut saltem obtusissimum. — In insula Jamaica; Wilson. Planta a celeberrimo Hooker communicata. Habemus etiam ex herbario Bonplandiano.

Var. β crinitum; ramis densius hirsutis aut hispidulis; foliis crenato-denticulatis; calycibus dense villoso-crinitis; petalis dilute roseis. Præter has differentias perlevis momenti, varietati α convenit cæteris characteribus, præsertim ovario semiadhærente et stigmate subcapitellato. — In insula *Cuba*, prope *S. Yago* et *Nimanima;* Linden, *Cat.* nº 2092.

9. Staphidium sessiliflorum †.

S. subisophyllum oliganthum; foliis petiolatis oblongo-ellipticis abrupte acuminatis basi obtusis integerrimis ut plurimum quintuplinerviis glabris aut glabratis; floribus in utraque axilla foliorum oppositorum sessilibus paucis aut solitariis.

Rami novelli pube minuta farinosa conspersi, mox glabrati. Folia in eodem jugo non manifeste disparia, apice in acumen abruptum angustum lineare sesquicentimetrale producta, 12-14 centim. longa, 5-6 lata, nervis intermediis e medio semicentimetrum circiter supra basim limbi

ortis et iterum ad originem acuminis terminalis cum illo coalitis, petiolis ferme 2-centimetralibus. Flores perpauci et interdum solitarii (saltem in unico specimine nobis suppetente). Calycis dentes exteriores lineares angusti, interiores in membranam continuam confluentes. Petala obovata retusa, 7-8 millim. longa. Staminum torus productus laciniatus. Ovarium apice libero angustatum, 5-loculare. Stigma capitellatum.— In America æquatoriali, prope *Maynas*; Poeppig.

10. STAPHIDIUM ANCEPS †.

S. macrophyllum hispidulum; foliis in eodem jugo nonnihil disparibus et inæqualiter petiolatis ovatis acuminatis basi cordatis crenatis 5-7-nerviis; paniculis ex axilla folii debilioris ortis erectis, folio ipso multo brevioribus; floribus 5-meris, toro staminum lacinulis vix conspicuis ornato.

Forma huic sectioni potius propter habitum quam genuinos floris characteres relata, *Eustaphidio* æque ac *Stephanotricho* conveniens et quantula sit inter hæc duo subgenera differentia plane ostendens. Planta macrophyllas varietates *Staphidii elegantis* facie in memoriam revocat. Folia 12-18 centim. longa, 6-9 lata, mollia, haud raro cordiformia, villosula; petiolis 2-4-centimetralibus. Paniculæ hispidulæ, trichotome ramosæ, folio ex axilla cujus oriuntur duplo triplove breviores. Calycis dentes exteriores angusti subulati, interiores obsoleti. Petala late ovata, 5-6 millim. longa. Antheræ æquales subulatæ, basi postica calcare acuto deorsum vergente instructæ. Torus vix productus et inconspicue fimbriatus. Ovarium globosum, liberum, apice umbilicatum non autem angustatum et lageniforme ut in præcedentibus speciebus, 5-loculare. Stigma subcapitellatum. — In America æquinoctiali, secus flumen Amazonum, prope *Ega*; Poeppig.

B. *Eustaphidium.*

Flores 5-6-meri. Calycis dentes externi productiores aut breviores, subulati. Torus insertioni staminum inserviens in coronam laciniatam non productus.

a. *Species genuinæ id est ovario 6-loculari donatæ.*

11. STAPHIDIUM NOVEM-NERVIUM. — *Heterotrichum novemnervium* DC., *l. c.*, 173.

S. macrophyllum nonnihil anisophyllum; ramis petiolis paniculisque tomentosis hirtellisve rufescentibus; foliis ovatis acu-

minatis basi subcordatis crenato-denticulatis 7-9-nerviis, pagina superiore minute bullatis strigillosis, inferiore cinereo-tomentosis; paniculis majusculis laxis paucifloris; floribus 5-meris; staminibus exappendiculatis.

Folia in eodem jugo magis minusve disparia, inæqualiter petiolata, longiuscula acuminata, majora cujusque jugi 12-15 centim. longa, 7-8 lata, quæ sunt iis opposita quarta parte aut etiam triente minora, petiolis 1-4-centimetralibus. Paniculæ plures axillares, patentim ramosæ, ultima ramo quidem non continua sed in axilla unius e foliis supremi jugi enata paniculam terminalem mentiente. Calycis dentes exteriores subulati, cum interioribus obtusis connati iisque longiores. Petala 6-7 millim. longa. Antheræ lineares elongatæ falcatæ, connectivo indistincto. Ovarium ad medium adhærens. Bacca matura crassitudine pisi majoris, edulis. — In variis locis Brasiliæ septentrionalis; Menzies, Bonpland. Fortassis etiam in Antillis; Anderson.

12. Staphidium affine †.

S. macrophyllum anisophyllum; ramis teretibus petiolis paniculisque molliter hirsutis; foliis ovatis acuminatis basi subcordatis margine subtilissime ciliato-denticulatis et quasi integerrimis 7-9-nerviis, pagina superiore tenuiter et crebre bullatis strigillosis, inferiore tomentoso-cinereis impresso-punctulatis; paniculis axillaribus laxifloris; floribus 5-6-meris; staminibus basi appendiculatis.

Forma præcedenti simillima ejusque ut videtur mera varietas. Folia cujusque jugi disparia, uno alterum quarta aut tertia parte superante; majora 12-15 centim. longa, 6-8 lata; petiolis 1-4-centimetralibus. Calyces quam in *S. novem-nervio* paulo minores sed iis conformes. Petala obovato-rotundata, 3-4 millim. longa. Antheræ minus productæ quam in *S. novem-nervio*, magis subulatæ, antica basi biauriculatæ, postica breviter calcaratæ. — In Guyana anglica; Schomburgk, *Cat.* n° 25.

13. Staphidium pliostemon †.

S. macrophyllum; ramis subgracilibus teretiusculis hirtellis; foliis mollibus ovatis breviter acuminatis basi cordatis argute crenato-denticulatis 7-nerviis, pagina superiore crebre bullatis

pilosulis; paniculis axillaribus pauciramosis laxiflorisque; floribus 5-meris; staminibus numero subindefinitis.

Species insignis nec cum alia quacumque confundenda. Folia in eodem jugo æqualia et inæqualia, 10-15 centim. longa, 6-8 lata, interdum multo minora, mollia, pagina superiore tuberculis piliferis in juventute potissimum conspicuis asperata, inferiore foveolata; petiolis facie superna dense rufo-tomentosis, sesqui-tricentimetralibus. Paniculæ graciles axillares et ad apices ramulorum paniculas terminales mentientes. Flores parvi, breviter pedicellati. Calycis dentes interiores obtusi, exteriores minuti prioribus æquales aut illos apice vix superantes. Petala obovato-rotundata, 3 millim. circiter longa. Stamina 20 aut etiam numerosiora, æqualia; antheris pro genere brevibus nonnihil falcatis prorsusque exappendiculatis. Ovarium apice liberum, 5-loculare. — In Brasilia, loco nec collectore designatis.

14. Staphidium Lindenianum †.

S. subisophyllum; ramis teretibus setulosis; foliis ovatis ovatove-oblongis acuminatis basi rotundatis aut vix subcordatis crenato-denticulatis 5-nerviis villosulis; paniculis brevibus cymosis divaricatis in dichotomiis ramorum alaribus; floribus 5-meris.

Ramorum internodia decimetrum longa et sæpe productiora. Folia cujusvis jugi subæqualia aut saltem non omnino disparia, longiuscule petiolata, 10-12 centim. longa, 5-6 centim. lata, petiolis 3-5-centimetralibus. Paniculæ pauciflorae, trichotome et divaricatim ramosæ, hirsutæ. Calyces campanulati, dentibus exterioribus subulatis cum interioribus ovatis connatis. Petala obovata, apice rotundata, 5 millim. circiter longa, rosea. Stamina 10, æqualia, antheris subulatis, connectivo indistincto. Ovarium semiadhærens, 5-loculare. — Secus rivulos prope urbiculam *Teopa* Reipublicæ mexicanæ; Linden.

15. Staphidium gracile †.

S. subisophyllum; ramis gracilibus teretiusculis sparsim setulosis, internodiis elongatis; foliis longiuscule petiolatis ovatis acuminatis basi subacutis aut rarius rotundatis crenato-denticulatis, prætermisso nervulo utroque submarginali 3-nerviis, villosulis, margine purpurascentibus; paniculis cymosis paucifloris axillaribus; floribus minutis 5-meris.

Rami foliosi (saltem in specimine nostro) graciles, pennam columbi-

nam crassitie subæquantes. Folia 7-10 centim. longa, 4-5 lata, petiolis 2-6-centimetralibus. Cymæ ut in *S. Lindeniano* cui istud affine est. Calyces hirsuti, dentibus exterioribus subulatis productis. Petala obovata, oblonga, apice nonnihil retusa, rosea, 6-7 millim. longa. Stamina 10, æqualia; antheris subulatis, antice undulatis. Ovarium paulo supra medium adhærens, 5-loculare. — In montibus mexicanis prope *Oaxaca*, ad altitudinem circiter 1000 metrorum; Galeotti.

16. Staphidium divaricatum †.

S. totum ferrugineo-hirsutum villosumve subisophyllum; foliis ovatis lanceolatove-ovatis longiuscule acuminatis basi subrotundatis rarius subacutis argute duplicato-serratis 3-5-nerviis; paniculis axillaribus alaribusve paucifloris, ramulis filiformibus productis omnino divaricatis et quasi refractis; floribus 5-meris.

Species maxime conspicua, habitum peculiarem ex inflorescentia potissimum ducens. Rami foliosi nonnihil compressi, eo hirsutiores quo superiores sunt et juniores. Folia interdum manifeste inæqualia, 10-15 centim. longa, 5-6 lata, pagina utraque villosula, petiolis sesqui-tricentimetralibus. Paniculæ (quæ ita vocentur si sint dignæ) e pedunculis gracilibus in ramulos filiformes paucos patulos dichotome trichotomeque divisis constantes, decimetrum et fortassis amplius productæ. Ramuli hirsutissimi, articulati, ad nodos bracteolis minutis instructi, apice floriferi. Calyces hirsutissimi, dentibus exterioribus setaceis tubum longitudine æquantibus, interioribus obtusis subobsoletis. Petala obovato-elliptica, 5 millim. longa, spurco-alba aut lutescentia. Stamina subæqualia, antheris subulatis, connectivo indistincto. Ovarium semiadhærens, 5-loculare. Stigma punctiforme. — In locis humidis prope *Teapa* Reipublicæ mexicanæ; Linden.

17. Staphidium biserratum. — *Clidemia biserrata* DC., *l. c.*, 158. — Ut videtur etiam, *C. bullosa* et *C. umbonata* ejusdem auctoris. — Fortassis eadem ac *Cl. spicata* seu *Staphidium spicatum*.

S. sæpe macrophyllum et anisophyllum; ramis petiolis paniculisque pube stellato-plumosa obductis; foliis ovatis longiuscule acuminatis basi rotundatis aut vix subcordatis argute duplicato-serratis 5-nerviis, pagina superiore bullato-strigillosis, inferiore tomentosis foveolatisque; paniculis axillaribus pyramidatis thyrsoideisve suberectis; floribus 5-meris.

Species incertissima nec essentiales characteres satis retinens ut sem-

per dignoscatur, maximamque affinitatem exhibens cum *S. spicato*, cui consociandam esse crederemus. Folia in quovis jugo magis minusve inæqualia, majora 10-15 centim. longa, 5-7 lata, minora quinta aut quarta parte, rarius triente aut dimidio oppositis breviora; petiolis 1-5-centimetralibus. Paniculæ axillares, laxifloræ, suprema terminalem mentiente, circiter decimetrum et quod excedit longæ, multifloræ, ramulis patulis trichotomis gracilibus ad nodos et sub floribus bracteolis setaceis brevibus instructis. Calyces campanulati, dentibus exterioribus subulatis interiores rotundatos paulo superantibus. Petala obovata, rotundata, 4-5 millim. longa, purpurea aut violacea. Ovarium supra medium adhærens, 5-loculare. Stigma punctiforme. — In Brasilia septentrionali, Martius, Salzmann; meridionali prope *Rio de Janeiro;* Leschenault.

18. STAPHIDIUM URCEOLATUM. — *Clidemia urceolata* DC., *l. c.*, 158.

S. anisophyllum submacrophyllum; ramis supremis petiolis paniculisque hirsutie glandulifera obductis; foliis ovatis longiuscule acuminatis crenato-denticulatis basi subcordatis, pagina superiore bullato-strigillosis, inferiore tomentoso-hirsutis foveolatis, 5-nerviis; paniculis axillaribus pauciramosis confertifloris erectis aut subnutantibus; floribus 5-meris; calycibus suburceolatis.

Forma præcedenti nimis propinqua, *S. spicato* etiam valde affinis illique ut videtur olim coadunanda, sed quum unicum et fere mancum specimen habeamus, dubitantes nihil de hac stirpe affirmare audemus. Folia opposite inæqualia aut subæqualia; majora decimetrum et quod excedit longa, 5-7 centim. lata; cætera sæpe dimidio minora; petiolis 1-3-centimetralibus. Calyces in anthesi oblongo-campanulati, sub fauce nonnihil constricti, post anthesim magis ac magis urceolati, dentibus exterioribus subulatis interiores obovato-rotundatos et ciliatos paulo superantibus. Petala obovata subretusa, 6 millim. circiter longa. Stamina 10, æqualia. Ovarium apice angustato tantummodo liberum, 5- et abortu 4-loculare. — In Brasilia, prope urbem *Rio-de-Janeiro*, Armstrong; *Bahia*, Ad. Guillot. Occurrunt specimina hirsutiora et foliis minoribus, sed calyces semper sunt urceolati eorumque pubes glandulifera.

19. STAPHIDIUM SPICATUM. — *Clidemia spicata* DC., *l. c.*, 158. Eadem etiam ac *C. pustulata*, *C. strigillosa*, *C. capitellata* ejus-

dem auctoris. — *Melastoma capitellata* Bonpl. *Melast.* 5, tab. 3. — *Clidemia surinamensis* Miquel, *Comm. phytogr.*, II, 82.

S. isophyllum et anisophyllum, totum hirsutum ; foliis ovatis acuminatis basi integris aut subcordatis duplicato-serratis 5-nerviis, pagina superiore bullato-strigillosis, inferiore mollius hirsutis et foveolatis ; paniculis axillaribus erectis aut nutantibus magis minusve in spicam coarctatis aut thyrsoideis ; floribus 5-6-meris, calycibus campanulatis.

Ex unica specie summopere polymorpha plures ab auctoribus confectas fuisse minime mirandum est, sed quum hodie locupletata sint herbaria et data sit facultas formas diversas unius typi specifici inter se conferre, expedit ut quæ immerito sejuncta fuerant, secundum naturam ad idem corpus reducantur et sub uno nomine recipiantur. Numerosissima enim specimina habemus e variis Americæ regionibus oriunda quæ consanguinitatem specierum supra memoratarum constituunt ; imo suspicamur et fere pro certo habemus *Clidemiam umbonatam*, *C. urceolatam*, *C. bullosam* et fortassis *C. biserratam* olim in eamdem speciem *C. spicatæ* seu *Staphidii spicati* nostri merito contrahendas esse, quod tamen posteris solvendum relinquimus.

In hac specie maxime variabili formæ guyanenses nobis pro typo sumentur, earumque characteres præcipuos sic commendabimus :

Rami teretiusculi aut subcompressi, hirsuti aut villosi, pube glandulifera identidem obducti, ut plurimum ferruginei. Folia adjecto acumine 7-10 centim. longa, sæpe breviora, raro multo majora, 4-5 lata, in eodem jugo magis minusve inæqualia, pagina superiore tenuiter bullato-setosa et asperata, inferiore punctis impressis seu foveolis setarum basi tumefactæ respondentibus cribrata ; petiolis 1-2-centimetralibus quandoque brevissimis subnullis. Paniculæ ut plurimum post anthesim nutantes, 5-8 centim. longæ, hirsutæ, sæpius basi ramosæ et tunc thyrsoideæ, rarius in spicam omnino coarctatæ, bracteolis ovatis lanceolatisve fortasse coloratis ad nodos et sub insertione florum instructæ. Flores in ramulis ipsis sessiles, secundum specimina 5-6-meri. Calycis dentes exteriores subulati magis minusve producti, interiores obovato-rotundati majusculi, margine sæpe ciliato-setosi, intus colorati, cum exterioribus partim connati iisque breviores. Petala obovata, subretusa, 4-5 millim. longa, rosea aut intense purpurea, nonnumquam decolora et alba. Stamina 10-12 æqualia, antheris subulatis exappendiculatis. Ovarium maxima parte adhærens, apice tantum libero setulosum aut glabrum, 5-6-loculare. Stigma punctiforme aut subacutum. Bacca carnosa hirsuta, calycis dentibus coronata, edulis. — In Guyanis vulgatissima, Aublet, Mélinon

Leprieur, Hostmann; Brasilia, Martius, Gay, Bonpland, Pœppig, Guillemin, Salzmann; Peruvia, cl. Gay; *Panama*, Seeman; Republica novogranatensi, Goudot; in insulis *Trinidad*, *Saint-Thomas*, *Porto-Rico*, Finlay, Plée.

20. Staphidium bracteosum †.

S. totum setis strigillosis hirsutissimum ferrugineum; foliis æqualibus et inæqualibus breviter petiolatis ovatis acuminatis serrulatis, prætermisso nervulo submarginali, 3-nerviis, pagina superiore bullato-strigosa, inferiore mollius villosa et foveolata; paniculis axillaribus densis villosissimis, bracteis majusculis ovatis acuminatis intermixtis; floribus 5-meris.

S. spicati forte etiam varietas, huic enim simile est habitu et statura. Paniculæ bracteis ferme centimetrum longis ovato-acuminatis longe setoso-ciliatis intermixtæ. Calycis dentes exteriores longe producti, interiores rotundati setoso-ciliati. Stamina 10 æqualia, antheris postice supra basim gibbis aut subtuberculatis. Ovarium fere ad apicem adhærens, 4-loculare (saltem in specimine nostro). — In Guyana gallica; Leprieur.

21. Staphidium confertiflorum †.

S. isophyllum?; ramis teretibus rufo-hirsutis; foliis ovatis acuminatis basi rotundatis crenato-denticulatis 5-nerviis, pagina superiore tenuissime bullatis strigilloso-asperis, inferiore mollius hirsutis foveolatis; paniculis axillaribus densifloris fere in capitulum contractis; floribus 5-meris.

S. spicato iterum proxima species quam ab eo magis propter patriam quam ingenuos characteres separavimus. Folia ejusdem jugi æqualia (saltem in specimine nostro), circiter decimetrum longa, 5 centim. lata, petiolis 1-2-centimetralibus. Paniculæ rufo-villosæ axillares subnutantes, 5-6 centim. longæ, inferius interruptæ, superius capitato-contractæ. Flores cæterum ut in maximo numero varietatum *S. spicati*, petalis albis aut albicantibus. — In Republica mexicana, prope urbem *Oaxaca*, ad altitudinem circiter 1000 metrorum; Galeotti, *Cat.* n° 2957.

22. Staphidium chinantlanum †.

S. anisophyllum; ramis supremis petiolisque dense ferrugineo-hirtellis; foliis late ovatis acuminatis basi rotundatis nonnihilque

subcordatis margine denticulatis 5-nerviis, pagina superiore hirto-velutina, inferiore pubescenti-tomentosa; paniculis ad apices ramorum axillaribus? subterminalibus (annon etiam omnino terminalibus?); paniculis folio majore multo brevioribus laxifloris; floribus sessilibus pedicellatisque 5-meris.

Species ut videtur distincta quamvis non careat affinitate cum *S. spicato*, sed hanc ab illo certe discrepare minime affirmamus quum nobis nota sit polymorpha *S. spicati* indoles. Folia majora 10-12 centim. longa, 5-6 lata, oppositis nonnumquam duplo triplove longiora et latiora, iis fortassis et subæqualia, petiolis 1-4-centimetralibus. Paniculæ pyramidatæ, ramis trichotomis, ramulis extremis ut plurimum 3-floris, flore medio sessili, lateralibus breviter pedicellatis. Calyces campanulati, dentibus exterioribus subulatis, interiores quibuscum basi concreti sunt excedentibus. Petala alba, illis præcedentium specierum conformia. Genitalia non suppetebant. Ovarium supra medium adhærens, 5-loculare. — In Republica mexicana prope *Chinantla*, ubi rara est; Galeotti.

23. Staphidium dependens †.

S. anisophyllum hirsutum aut villosum; foliis petiolatis late lanceolatis acuminatis basi obtusis margine serratis, præter nervulos submarginales 3-nerviis, utraque pagina villosis; paniculis ad apices ramulorum axillaribus pendulis dense hirsutis; floribus breviter pedicellatis 5-meris.

Frutex nobis unico et incompleto specimine cognitus, sed, ut videtur, pro specie distincta habendus. Rami supremi pube rubiginosa patula hirsuti. Folia in eodem jugo magis minusve disparia, uno alterum fere dimidio superante, majore 10-12 centim. longo, 5-lato, nervis tribus subtus patentim hispidulis, petiolis 1-4-centimetralibus. Paniculæ foliis multo breviores. Calyces hirsutissimi, dentibus exterioribus capillaribus, productis, tubo campanulato æquilongis. Petala obovata, apice retusa, 5 millim. longa, alba. Stamina 10 æqualia, antheris lineari-subulatis exappendiculatis. Ovarium maxima parte adhærens 5-loculare. — In terris calidioribus Reipublicæ mexicanæ prope *Mexico*, ubi rara dicitur; Galeotti.

24. Staphidium Galeottii †.

S. subisophyllum submacrophyllum undique hirtellum; ramis subteretibus; foliis longiuscule petiolatis late ovatis acuminatis

basi subcordatis duplicato-serratis, prætermisso nervulo utroque marginali, 5-nerviis villosis; paniculis terminalibus fortassis et alaribus aut lateralibus graciliter ramosis divaricatis; floribus ad apices ramulorum extremorum solitariis-ternis longiuscule pedicellatis.

Rami subgraciles teretes hirtelli, fortassis dichotomi. Folia fere ovato-cordiformia, apice in acumen angustum producta, argute serrata, pagina superiore pilis rufescentibus crebrioribus aut rarioribus conspersa, inferiore mollius puberula, 1 decim. et quod excedit longa, 6-8 centim. lata, petiolis 3-4-centimetralibus. Paniculæ laxifloræ, in specimine nostro terminales, sed eas, ex analogia, in dichotomiis alares aut saltem axillares quum adoleverunt suspicamur; ramis gracilibus hirtellis patulis aut refractis. Florum pedicelli proprii simplices aut in medio articulati et tunc bibracteolati, 2-10 millim. longi. Calyces in anthesi campanulati, fructiferi sub limbo constricti et fere urceolati, dentibus exterioribus tubo subæquilongis filiformi-subulatis hirtellis, interioribus rotundatis ciliolatis quam priores duplo triplove brevioribus. Petala oblongo-obovata subobtusa aut obtusa, 5-6 millim. longa, rubra aut rosea. Stamina 10 æqualia, antheris breviusculis subrectis, connectivo exappendiculato. Ovarium maxima parte adhærens, 5-loculare. Baccæ maturæ nigræ, piso paulo minores. — In nemoribus humidis prope *Mexico*, ad ad altitudinem 1000 metrorum; Galeotti, *Cat.* n° 2918.

25. STAPHIDIUM TRISTE. — *Clidemia bracteata* DC., *l. c.* — *Melastoma tristis* Rich., *Herb.* — *Clidemia cephalophora* Steud. *Herb.* Hohenacker, *ined.*

S. macrophyllum nonnihil anisophyllum; ramis supremis villoso-hirsutis ferrugineis rufescentibusve; foliis ovato-oblongis acuminatis obsolete denticulatis aut crenulatis 5-nerviis, pagina superiore setulis conspersa, inferiore densius villosa; paniculis pyramidatis terminalibus axillaribusque villoso-hirsutis, ramis patulis confertifloris; floribus sessilibus 5-meris.

Species tam florum compage quam inflorescentia terminali et axillari ambigua et æquo jure ad Miconiam referenda. Rami supremi teretes dense villoso-hirsuti. Folia in eodem jugo nunc subæqualia, nunc manifeste disparia, 1 ½-2 ½ decim. longa, 7-10 centim. et quod excedit lata, petiolis 1-5-centimetralibus, nervis in pagina superiore rufo-villosis ideoque e longinquo prospicuis. Paniculæ erectæ, foliis multo

breviores, floribus sessilibus, ad apices ramulorum glomeratis et quasi capitatis. Calyces campanulati, post anthesim sub limbo parum constricti et suburceolati, dentibus interioribus ovatis obtusis ciliatis, exterioribus tuberculiformibus brevibus fere inconspicuis. Petala oblongo-obovata aut cuneata, apice rotundata, 6 millim. circiter longa. Antheræ æquales subulatæ subincurvæ. Ovarium semiadhærens, apice libero villosum, 5-loculare et fortassis quoque 3-loculare. Fructus maturus subglobosus 10-sulcatus. — In Guyana gallica prope *Cayenne*, Leprieur; batavica prope *Surinam*, Kappler.

26. STAPHIDIUM OXYURUM †.

S. anisophyllum; ramis supremis gracilibus teretibus patentim hispidulis; foliis ovato-lanceolatis apice in acumen angustum acutissimum productis serrulatis hispidulis 5-nerviis; cymis paucifloris pedunculatis ex axilla folii minoris ut plurimum ortis.

Folia in eodem jugo sæpius disparia, uno alterum quarta aut tertia parte superante, limbo 10-14 centim. longo, 2-4 lato, petiolis pariter inæqualibus, 4-10 millim. longis. Cymæ 3-5-floræ (saltem quantum perspicere licet in specimine incompleto), longius breviusque pedunculatæ, fortassis etiam sessiles. Calyx hirsutissimus, dentibus exterioribus angustis subobsoletis. Petala obovato-cuneata, subretusa, 7-millim. longa. Ovarium semiadhærens, 5-7-loculare. Stigma obtusum. Planta exsiccata nigrescit. — In America æquinoctiali, ut videtur Guyana; Bonpland.

27. STAPHIDIUM CONGLOMERATUM. — *Clidemia conglomerata* DC., *l. c.*, 156.

S. macrophyllum isophyllum et anisophyllum; ramis supremis subteretibus petiolis nervisque foliorum setoso-strigosis; foliis ellipticis acuminatis basi obtusis aut subacutis, marginibus crenato-denticulatis, 5-nerviis subglabratis; floribus in axillis foliorum dense glomeratis vix non sessilibus 5-meris.

Species a præcedentibus omnibus distinctissima. Rami supremi subteretes, in prima juventute setis crassis rufescentibus obducti, in internodiis maturius glabrati, in nodis autem villositatem hirsutiemve diutius retinentes. Folia cujusvis jugi nunc æqualia aut subæqualia, nunc manifeste disparia, pagina superiore glaberrima aut saltem cito glabrata,

inferiore in nervis strigillosa, sesquidecimetrum et quod excedit longa, 6-8 centim. lata, haud infrequenter triente minora, petiolis sequi-bicentimetralibus. Paniculæ in axillis foliorum supremorum sessiles, adeo contractæ et confertifloræ ut pro verticillastris facile sumerentur, villoso-hirsutissimæ, bracteolis ovatis minutis intermixtæ. Calycis dentes ovati subobtusi ciliati, extus denticulum subulatum fere setiforme et a setis ipsis vix distinctum gerentes. Petala oblongo-obovata, 5-6 millim. longa. Antheræ lineari-subulatæ, ovarium apice libero villosum, 5-loculare. Stigma punctiforme. — In Guyana gallica prope *Cayenne*; Leprieur, Martin.

28. Staphidium diversifolium. — *Clidemia diversifolia* DC., *l. c.*, 159. — *Melastoma diversifolia* Bonpl. *Melast.*, tab. 59.

S. subheterophyllum anisophyllum sæpe macrophyllum; ramis supremis pube densa furfuracea alphitoideave detergibili obductis; foliis late ovatis interdumque suborbicularibus apiculatis denticulatis, basi abrupte acuminatis et in petiolum decurrentibus, 5-7-nerviis, mature glabratis; paniculis axillaribus trichotomis, ramulis gracilibus divaricatis ut plurimum apice 3-floris.

Rami supremi subteretes aut obtuse angulosi, recti aut ad nodos nonnihil geniculato-deflexi. Folia in eodem jugo raro subæqualia, sæpissime valde disparia, uno alterum duplo-quadruplove-superante; majora 1 ½-2 decim. longa, 1-1 ½ lata, limbo basi abrupte acuminato et fere usque ad basim petioli hinc et inde excurrente; minora magis rotundata, basi ut plurimum obtusa, rarius in petiolum decurrentia; petiolis pariter inæqualibus a centimetro ad 5 centim. longitudinem variantibus. Paniculæ ex axillis foliorum minorum ortæ iisque ut plurimum breviores, nonnunquam etiam in dichotomiis alares. Flores in extremis ramulis intermedii sessiles, laterales pedicellati. Calycis tubus suburceolatus, dentes exteriores subulati acutissimi, cum interioribus brevibus inconspicuis connati. Petala obovato-rotundata carnosula (fortassis et vesiculosa) in anthesi reflexa, 2-3 millim. longa. Stamina lineari-subulata acuta, connectivo basi postica in calcar breve producto. Ovarium adhærens, 5-loculare. Stigma punctiforme. Fructus bacca sicca cærulea, crassitudine seminis *Lathyri odorati*. — In Republica novo-granatensi, secus ripas fluminis vulgo dicti *Rio Magdalena*; Bonpland.

b. *Ovarium 3-loculare. Species* Clidemiæ *affiniores.*

29. Staphidium involucratum. — *Clidemia involucrata* DC., *l. c.*, 163. — *Clidemia quintuplinervia* Steud. *Herb.* Hohenacker. — *Melastoma involucrata* Rich., *Herb.*

S. anisophyllum; ramis teretibus hirsutis; foliis inæqualiter petiolatis obovatis ovatisve acuminatis basi ut plurimum acutis aut subacutis obsolete denticulatis quintuplinerviis hirtellis; floribus ad apices ramulorum axillarium brevium solitariis-ternis 2-4-bracteatis.

Species habitu insolito inter congeneres facile distinguenda. Rami supremi, uti folia novella, pilis sæpe glanduliferis hirsuti. Folia majora decimetralia, 4-5 centim. lata, petiolo 2-4-centimetrali; minora prioribus opposita eorum dimidiam longitudinem vix attingentia, sæpe etiam breviora. Ramuli floriferi ex axillis foliorum minorum orti, centimetrales, foliolorum magis minusve bracteiformium pari uno et altero ornati, uni-triflori; bracteis duabus aut quatuor florem fulcrantibus linearibus villosis. Calycis dentes exteriores subulati tubum longitudine subæquantes, interiores breves obtusi parum conspicui. Petala oblongo-obovata, apice subobtusa, 4 millim. longa, alba. Antheræ æquales subulatæ, loculis undulatis, connectivo postica basi subgibboso. Ovarium semiadhærens, 3-loculare, apice angustato et setoso styli basim vaginante. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. — In Guyana batavica prope urbiculam *Para;* Kappler.

30. Staphidium nævulum †.

S. anisophyllum; ramis supremis teretiusculis hirsutis gracilibus; foliis ovatis ovatove-oblongis longiuscule acuminatis basi subcordata sæpius inæquilateris subtiliter denticulatis quinque-quintuplinerviis puberulis aut glabratis; paniculis parvis erectis ex axilla folii minoris ortis, rarius in dichotomia alaribus.

Frutex elatus aut potius arborescens, 6-8-metralis, indecorus, a Clidemiis forma petalorum vix diversus et quasi inter *Staphidium* et *Clidemiam* medius, inter species congeneres præcipue ex inæquali foliorum basi recognoscendus. Rami patentim hirtelli, in speciminibus exsiccatis nigrescentes. Folia in eodem jugo disparia, uno alterum fere duplo superante, petiolis pariter inæqualibus, majorum limbo 8-12 centim.

longo, 4-5 lato, petiolo 1-3-centimetrali, interdum vix semicentimetrum longo, omnium nervulis transversis in pagina inferiore facile conspicuis et regulariter parallelis. Paniculæ circiter foliorum minorum e quorum axilla nascuntur longitudine, pauciramosæ, ramis ramulisve ut plurimum apice trifloris. Calycis tubus campanulatus hirtellus, dentes exteriores subulati breves interioribus obtusissimis aut subobsoletis longiores. Petala oblonga aut oblongo-obovata, apice obtusa aut rotundata, interdum etiam subacuta, 3-4 millim. longa. Antheræ æquales subulatæ, loculis antica basi sæpe ultra filamenti insertionem parum productis, connectivo postice haud infrequenter incrassato et subgibboso. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. — In Guyana anglica, Schomburgk; Brasilia septentrionali secus ripas fluminis dicti *Rio Negro* et in aliis locis; Bonpland.

Species addendæ quarum plurimæ incertæ sunt aut fortassis ad alia genera removendæ :

31. S.? PARAGUAYENSE. — *Clidemia paraguayensis* Steud. *Flora* XXVII, 721.

32. S.? BENTHAMIANUM. — *Clidemia Benthamiana* Miq. *Linnæa* XXVIII, 276.

33. S.? TILIÆFOLIUM. — *Clidemia tiliæfolia* DC., *l. c.*, 158.

34. S. PETIOLARE. — *Melastoma petiolare* Schlechtendal, *Linnæa* V, 562.

35. S.? PETIOLATUM. — *Clidemia petiolata* DC., *l. c.*

36. S.?? ASTROTRICHUM. — *Clidemia astrotricha* DC., *l. c.*

37. S.? AGRESTE. — *Clidemia agrestis* DC., *l. c.* — *Melastoma agrestis* Aubl. *Guy.*, I, 425.

38. S.? REVERSUM. — *Clidemia reversa* DC., *l. c.*

39. S. MUTABILE. — *Clidemia mutabilis* DC., *l. c.*

40. S. LAPPACEUM. — *Clidemia lappacea* DC., *l. c.*

41. S.?? LANATUM. — *Clidemia lanata* DC., *l. c.*

42. S.? GLABRATUM. — *Clidemia glabrata* Steud. *Flora* XXVIII, 721.

CXVIII. *CYANOPHYLLUM.*

Flos 5-merus. Calycis oblongo-campanulati limbus duplex; uterque membranaceus brevis; exterior patens denticulis 5-mi-

nutis vix perspicuis in ipso margine ornatus, interior erectus integer. Petala lineari-oblonga, apice rotundata, inferne cuneata. Stamina 10 æqualia ; antheris subulatis 1-porosis extrorsum nonnihil arcuatis, loculis antice undulatis, connectivo nec producto nec appendiculato aut basi postica tuberculo inconspicuo vix notato. Ovarium apice solummodo liberum 3-loculare. Stylus subrectus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus ignotus.

Suffrutex? venezuelensis andicola, glaberrimus macrophyllus micranthus; foliis petiolatis obovato-ellipticis utrinque subacutis integerrimis, adjecto nervo utroque submarginali 5-nerviis, pagina superiore virentibus, inferiore pulchre cyaneis nitoremque metallicum ludentibus; paniculis terminalibus multifloris, ramis primariis patentibus aut nonnihil refractis; floribus parvis sessilibus aut breviter pedicellatis, fortasse purpureis aut purpurascentibus.

Genus Staphidio nimis affine eique fortassis melius jungendum; ab illo non discrepat nisi calycini limbi fabrica peculiari.

1. Cyanophyllum metallicum †.

Folia 2 ½-3 decim. longa, 13-14 centim. lata, petiolo bicentimetrali, fortassis ut nervi ipsi in pagina inferiore foliorum purpurascente. Flores in ramulis paniculæ cymose dispositi, alares sessiles, laterales breviter pedicellati aut potius in extremo ramulo bracteolis nudato terminales. Petala circiter centimetrum longa, 2 millim. vix lata, in sicco specimine pallide purpurascentia. Utrum planta herbacea sit an frutescens ex specimine manco judicare non licuit. — In Andibus Reipublicæ venezuelensis, haud procul ab urbe *Merida*, ad altitudinem circiter 2000 metrorum; Funck et Schlim., *Cat.* 1078. Specimen nostrum ex horto Lindeniano ubi species colitur communicatum fuit.

CXIX. *STAPHIDIASTRUM.*

Clidemiæ et Sagræ species DC., *Prod.*, III. — Clidemiæ spec. Mart., *Nov. gen. et spec.*, III. — Don, ex auctoritate Candollæi. — Melastomatis spec. aliorum.

Flores 4-meri amblypetali. Calyx campanulatus interdumque oblongus suburceolatus ; dentibus interioribus membranaceis obtusis brevibus aut inter se confluentibus et idcirco subnullis, exte-

rioribus angustis subulatis magis minusve productis saltem semper manifestis. Petala obovata oblongove-obovata, apice rotundata aut obtusa, nonnunquam emarginata aut retusa. Torus staminum non productus nec fimbriatus. Stamina 8 æqualia subæqualiave, antheris linearibus aut lineari-subulatis 1-porosis basi exappendiculatis aut postica basi tuberculo subcalcariformi instructis. Ovarium usque ad medium vel paulo altius cum calyce adhærens 4-loculare (nonnunquam abortu 3-loculare). Stylus filiformis, stigmate punctiformi aut subcapitellato. Fructus ut videtur baccati aut subbaccati. Semina ovoideo-angulata.

Frutices americani et antillani, diversiformes, interdum macrophylli, varie hirsuti aut villosi; inflorescentia axillari, nunc glomerata nunc paniculata; floribus parvis, albis roseis aut purpureis.

Genus subartificiale est et species inter se habitu heteromorphas includit. A Sagræa, quæ 4-mera est, differt petalis obtusis; a Staphidio floribus 4-meris.

A. *Flores in paniculas axillares diversiformes digesti, nunquam in axillis foliorum glomerati et sessiles.*

1. Staphidiastrum latifolium.—*Clidemia latifolia* DC., *l. c.*, 159. — *Melastoma latifolia* Desr. in Lamk. *Dict.* IV, 31.

S. macrophyllum anisophyllum; ramis supremis petiolis paniculisque dense hirsutis ferrugineis; foliis late ovatis longiuscule acuminatis basi rotundatis denticulatis 5-7-nerviis, pagina superiore rufo-villosis, inferiore in nervis præcipue setosis; paniculis gracilibus subpaucifloris ex utraque axilla ortis, sæpe in eadem axilla geminatis.

Hujusce decoræ speciei specimina duo habemus a laudatissimo Candollæo ipso sub nomine *Clidemiæ latifoliæ* inscripta, nullum ergo potest subesse dubium quoad nomen. Folia cujusque jugi maxime disparia, uno scilicet alterum duplo aut saltem triente superante, 14-18 centim. longo, 7-10 lato, petiolo ferme 3-centimetrali; folio minore vix decimetrum longo sæpeque breviore. Paniculæ circiter decimetrales, ramis ramulisque gracilibus subdivaricatis. Calycis tubus oblongus; dentes exteriores subulati, cum interioribus rotundatis basi connati. Petala

obovata retusa, 2-3 millim. longa et lata. Stamina 8 æqualia, antheris subulatis. Ovarium semiadhærens; stigma capitellatum. — In insula Martinica Antillarum ubi colitur; Bonpland. Reperitur quoque in insula Guadalupa et fortasse in aliis Antillis.

2. Staphidiastrum polystachyum †.

S. macrophyllum isophyllum et anisophyllum; ramis petiolis paniculisque dense et molliter rufo-hirsutis; foliis ovatis ellipticisque acuminatis basi rotundatis crenulatis 5-nerviis pagina utraque hirtellis longiuscule petiolatis; paniculis in utraque axilla opposita geminatis gracillimis divaricatis; floribus minutis.

Species præcedenti proxima cui tamen conjungenda non videtur. Folia enim quam in illa longius petiolata sunt, in quovis jugo minus disparia imo et frequenter inter se æqualia; discrepant etiam forma magis oblonga et subelliptica. Limbus 14-18 centim. longus, 7-9 latus; petioli interdum graciles 5-6-centimetrales, sæpe etiam dimidio breviores. Paniculæ filiformes erectæ, decimetrum circiter longæ, patentim verticillato-ramosæ; floribus subsessilibus. Calyx campanulatus, dentibus exterioribus subulatis brevibus, interioribus obtusis. Petala obovata, sesquimillimetrum longa. Stamina 8 æqualia, antheris subulatis. Ovarium fere ad apicem adhærens, 4-loculare. Stigma punctiforme. Fructus maturi globosi, semen cannabinum crassitudine vix æquantes. — In insula *Porto-Rico* Antillarum; Plée, *Cat.* nº 525.

3. Staphidiastrum umbrosum. — *Sagræa umbrosa* DC., *l. c.*, 171. — *Melastoma umbrosa* Vahl. *Decad. amer.*, III, tab. 29.

S. macrophyllum micranthum; ramis supremis petiolis paniculisque patentim hispidissimis; foliis sæpe inæqualibus maximis longe petiolatis late ovatis acuminatis basi nonnunquam cordatis denticulatis, prætermisso nervo utroque submarginali, 5-nerviis; paniculis multifloris ex utraque axilla opposita ortis, petiolo ut plurimum brevioribus.

Frutex fortassis elatus et subarborescens, si notæ in herbario Richardiano servatæ credendum est. Folia 2-2 ½ decim. longa, 14-18 centim. lata, petiolis decimetrum et quod excedit longis, haud raro tamen brevioribus. Paniculæ sæpe a basi ramosæ, ramis patulis divaricatis trichotomis, ramulis ut plurimum trifloris. Calyx breviter campanulatus, dentibus exterioribus subulatis interiores obtusos breves paulo superan-

tibus. Petala rotundato-obovata, reflexa, 2-3 millim. longa, alba. Antheræ subulatæ æquales. Ovarium maxima parte adhærens, 4-loculare. Stigma capitatum subpeltatumque. — In insulis Caribæis et Antillis. Specimina nostra ex insula Martinica a celeberrima viragine Rivoire relata fuere.

4. STAPHIDIASTRUM RUBRINERVE †.

S. vix non isophyllum; ramis teretibus hirtellis; foliis ovatis ovatove-oblongis acuminatis basi rotundatis aut inconspicue subcordatis tenuissime crenulatis subintegerrimisque, prætermisso utroque nervulo submarginali, quinque-quintuplinerviis puberulis; pedunculis in utraque axilla opposita solitariis gracilibus apice paucifloris.

Species quibusdam Sagrææ speciebus affinis, nulli consocianda, hucce merito propter characteres relata. Rami foliosi floriferique pennam columbinam aut anatinam crassitudine æmulantes, hirtelli, rufo-purpurascentes. Folia 6-8 centim. longa, 3-4 lata, pagina inferiore nonnihil reticulato-foveolata, nervis lateralibus cum medio paulo supra basim connatis, omnibus subtus sæpissime purpureis; petiolis 1-1 ½-centimetralibus. Pedunculi axillares graciles erecti, folio ipso ut plurimum breviores, apice bracteolis ovato-lanceolatis instructi, ut plurimum triflori. Calyx campanulato-urceolatus, dentibus exterioribus subulatis breviusculis reflexis, interioribus obtusis rotundatis. Petala rotundato-obovata, 2 millim. circiter longa, reflexa, alba aut decolora. Stamina 8 æqualia, antheris subulatis. Ovarium fere ad apicem adhærens, 4-loculare. Fructus maturi piso minores. — In insula *Cuba*, prope urbem *San-Yago;* Linden, *Cat.* nº 2085.

5. STAPHIDIASTRUM BERTERII. — *Sagræa Berterii* DC., *l. c.*, 171. — *Melastoma umbrosum* Spreng. *Syst.*, II. 304, ex auctoritate Candollæi.

S. submacrophyllum nonnihil anisophyllum; ramis petiolis et paniculis dense patentimque rufescenti-hirsutis; foliis ovatis longiuscule acuminatis acutissimis basi rotundatis tenuiter denticulatis, prætermisso utroque nervulo marginali 5-nerviis; paniculis ex axilla utraque opposita ortis solitariis aut geminatis verticillatim ramosis et fere umbellatis; calycis dentibus exterioribus setaceis.

Rami foliosi et floriferi pennam anserinam crassitudine subæquantes,

hirsutissimi. Folia cujusvis jugi nunc æqualia nunc inæqualia, uno alterum triente aut rarius duplo superante, 10-15 centim. longa, 6-7 lata, petiolis 2-3-centimetralibus. Paniculæ pediculo simplici suffultæ, verticillatim ramosæ, interdum omnino umbelliformes, petiolis circiter duplo longiores. Calyces setis longis rufescentibus horridi, dentibus exterioribus setaceis tubum ipsum longitudine æquantibus aut forte superantibus, interioribus obsoletis in membranam continuam confluentibus. Petala oblongo-obovata, apice subretusa, 4 millim. circiter longa. Stamina in specimine nostro desiderabantur. Ovarium apice angustato liberum, 4-loculare. Fructus ignotus. — In insula Jamaica. Species a clar. Hooker communicata.

6. Staphidiastrum impetiolare †.

S. anisophyllum; foliis brevissime petiolatis aut subsessilibus late cordiformi-ovatis apiculatis denticulatis ciliatis 5-7-nerviis sparsim setulosis; pedunculis axillaribus paniculatim ramosis; calycibus urceolatis; petalis emarginatis.

Species a cæteris ejusdem generis distinctissima. Rami supremi (qui soli suppetunt) teretes hispiduli et sub setis patulis pube furfuracea adpressa obducti. Folia in quolibet jugo magis minusve disparia, haud raro subæqualia, late cordiformi-ovata interdumque subrotundata, brevissime acuminata aut apiculata, setulis in juventute præsertim conspersa et ciliata, 5-8 centim. longa, 4-7 lata, petiolis 1-4-millimetralibus aut subnullis. Paniculæ pauciflora, trichotome ramosæ, foliis ut plurimum multo breviores, in axilla utraque opposita solitariæ-ternæ, fortassis etiam numerosiores, infra flores setis paucis ornatæ. Flores sæpe longiuscule et graciliter pedicellati, pedicellis bracteola minuta duplici instructis. Calyces oblongi, sub limbo nonnihil constricti, inferne ventricosi, pube tenui adpressa stellata obducti, dentibus interioribus obtusis rotundatis ciliolatis, exterioribus brevibus subulatis setosis. Petala obovata, apice emarginata aut incisa, 3-4 millim. longa, alba aut rosea? Stamina 8 subæqualia, antheris lineari-subulatis. Ovarium omnino adhærens, 3-4-loculare. Stylus filiformis, stigmate nonnihil capitellato. — In Republica novo-granatensi; Goudot.

7. Staphidiastrum coriaceum †.

S. submacrophyllum isophyllum; ramis supremis pube ferruginea stellata dense obsitis; foliis coriaceis ovatis breviter acuminatis basi cordatis tenuiter et quasi obsolete crenato-denticulatis

5-nerviis, pagina superiore mature glabrata, inferiore tomentum ferrugineum in nervis diutius retinente; paniculis in alterna axilla foliorum solitariis, suprema paniculam terminalem mentiente; calycibus glaberrimis.

Rami teretes. Folia coriacea rigida, in prima juventute setulis conspersa et ciliata, mox pagina superiore glabrata, in eodem jugo non manifeste disparia (saltem quæ suppetunt in specimine nostro), circiter decimetrum longa, 6-7 centim. lata, petiolis 1-2-centimetralibus. Paniculæ majusculæ, folia longitudine subæquantes imo et nonnumquam superantes; pedunculo communi ferrugineo tomentoso; ramulis pedicellis calycibusque glabris aut glabellis et fortasse glutinosis, ad nodos bracteolis lanceolatis et fasciculo setularum instructis, in herbario nigrescentibus. Calycis dentes exteriores subulati, cum interioribus triangularibus connati iisque paulo longiores. Petala lineari-obovata retusa inæquilatera, in flore aperto reflexa, 2-3 millim. longa. Stamina 8 æqualia, antheris lineari-subulatis. Ovarium paulo supra medium adhærens, apice libero angustatum et styli basim vaginans, 3-loculare (fortassis etiam 4-loculare). Stigma punctiforme. — In Guyana anglica, prope *Roraima*, Schomburgk, *Cat.* n° 660.

8. Staphidiastrum capilliflorum †.

S. fere glaberrimum nonnihil anisophyllum micranthum; ramis subteretibus; foliis petiolatis elliptico-ovatis obovatisque acuminatis basi acutis subintegerrimis tri-triplinerviis; pedunculis axillaribus ut plurimum geminatis capillaceis paucifloris; calycibus cylindraceis.

Frutex fortassis arborescens, ramis lignosis ad apices tantum foliosis glabris. Folia 6-7 centim. longa, 2-3 lata, marginibus obsolete denticulata aut integerrima, nervis lateralibus sæpe paulo supra basim limbi cum medio coalitis, petiolis 4-10-millimetralibus. Florum pedunculi in utraque axilla opposita orti, solitarii aut sæpius geminati, gracillimi, trichotomi, 3-9-flori, ad nodos bracteolis minutis linearibus instructi, erecti, folio ipso breviores. Calyx minutus oblongus nonnihil pulverulentus, dentibus exterioribus subulatis reflexis, interoribus subobsoletis et fere inconspicuis. Petala lineari-obovata, apice interdum subtriloba, 2 millim. circiter longa. Antheræ æquales subulatæ. Ovarium maxima parte adhærens, 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. — In Brasilia australi, prope urbem *Rio de Janeiro;* Gaudichaud, Lalande.

B. *Flores in axillis foliorum sessiles subsessilesve, congesti aut solitarii. Species habitu Sagræis affines.*

9. Staphidiastrum platyphyllum †.

S. macrophyllum subisophyllum foliosum; ramis obscure tetragonis aut potius subteretibus dense ferrugineo-villosis; foliis subsessilibus late ovatis acuminatis basi rotundatis aut subcordatis tenuiter denticulatis 5-7-nerviis villosulis; floribus in axillis foliorum fasciculatis paucis breviter pedicellatis.

Species egregia, *S. rubro* inflorescentia et habitu affinis, foliorum forma et ovario 3-loculari distincta. Rami floriferi circiter crassitudine pennæ anserinæ, internodiis pro magnitudine foliorum abbreviatis ideoque dense foliosi. Folia 10-15 centim. longa, 8-9 lata, petiolis crassis semicentimetrum vix excedentibus. Flores in axillis foliorum raro solitarii, sæpius 5-15 aggregati ita ut paniculam aut racemum omnino contractum et capitatum exhibeant. Calyces oblongi villosi, dentibus exterioribus subulatis brevibus interiores rotundatos paulo excedentibus iisque basi connatis. Petala oblongo-obovata, apice nonnihil retusa, ut videtur rubra, 4-5 millim. longa. Stamina 8 æqualia, antheris subulatis rubris. Ovarium summo apice angustato excepto adhærens, 3-loculare (saltem in speciminibus nostris 3-loculare reperimus, sed fortassis atrophia aut abortu). Stigma punctiforme. —In Brasilia, loco nobis ignoto; Bonpland?

10. Staphidiastrum rubrum. — *Clidemia rubra* Mart. *Nov. gen. et spec.*, III, p. 152, tab. 281. — *Melastoma rubra* Aubl. *Guyane*, I, 416, tab. 161, sed icon pessima. — Rich. in Bonpl. *Melast.*, p. 89, tab. 39. — *Melastoma sessiliflora* Vahl., *Eclog.* I, p. 49. — *Ic. am.*, tab. 18. — *Sagræa sessiliflora* et *S. columneæfolia* DC., *l. c.*, 170. — *Clidemia heteromalla* Don, ex auctoritate Candollæi. — Nonne etiam *Melastoma sessile* Spreng. *Syst.*, II, 303, et DC., *l. c.*, 198?.

S. pauciramosum isophyllum; ramis subteretibus ferrugineo-villosis; foliis breviter petiolatis quandoque subsessilibus ovatis acutis sæpe etiam breviter acuminatis basi rotundatis subtiliter denticulatis 5-7-nerviis utraque pagina villosis; floribus in axillis foliorum sessilibus paucis aut pluribus.

Species polymorpha polyonyma; per diversas Americæ meridionalis

et centralis regiones erratica, adhucdum quoad fines incerta, inter formas a se invicem abhorrentes (verbi gratia *Staphidium platyphyllum* et ipsius varietatem microphyllam) quasi media, a viatoribus et botanicis in posterum revisenda. Quod si speciminibus typicis solum attendamus, eos habebimus characteres: Frutex circiter metralis, erectus, pauciramosus; ramis nonnihil virgatis, ut plurimum internodiorum abbreviatione foliosis. Folia ut supra descripta fuere, magis minusve villosa et rufescentia, nervis basi inter se haud infrequenter coalitis ita ut fere quintupli-septuplinervia fiant, in eodem jugo vix non æqualia, 6-10 centim. longa, 4-6 lata, petiolis circiter semicentimetralibus. Flores in axillis foliorum sessiles, interdum solitarii, sæpius glomerati et numero subindefinito. Calyces villosi oblongi, dentibus exterioribus subulatis interiores ovatos rotundatosve paulo excedentibus et cum iis basi connatis. Petala obovata aut etiam obovato-linearia, apice rotundata aut retusa, 3-6 millim. longa, rubra aut rosea, fortassis etiam decolora et alba. Stamina 8 æqualia, antheris subulatis, antice undulatis, rubris aut purpureis. Ovarium fere ad apicem adhærens, 3-4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Quamvis numerosissima specimina e variis locis oriunda analysi subjecimus, flores nunquam 5-meros reperimus, ut eos esse monet celeberrimus Martius. Non negamus quidem hujus speciei flores 5-meros a natura abesse, sed hoc hypertrophia factum esse et nihil nisi anomaliam constituere credimus. Ovaria sese 3-locularia æque ac 4-locularia ostenderunt. In Guyanis; Aublet, Leprieur, Perrottet, Mélinon, Schomburgk, Hostmann; Republica novo-granatensi, prope *Chaparal*, Goudot; Republica mexicana, prope *Oaxaca*, Galeotti, *Cat.* n° 2943; America centrali, prope *Panama*, Seeman, et *Caracas*, Funck, Bonpland.

Var. β *biacutum;* foliis lanceolatis utrinque acutis; ramis debilioribus minus quam in typo villosis; floribus minutis; petalis subrotundatis. — In Guyana gallica, prope *Cayenne*, Leprieur.

Var. γ *microphyllum;* foliis quam in typo multo minoribus; floribus in axillis foliorum numerosioribus; petalis brevioribus et fere orbiculatis. — Varietas microphylla et floribunda, permultis intermediis speciminibus cum typo connexa, ut plurimum villosissima et ferruginea. Folia 2-4 centim. longa, 1 ½-2 lata, interdum mature caduca et florum glomerulos nudos relinquentia. — In Republica novo-granatensi, prope *Chaparal*, Goudot; et in aliis locis ejusdem regionis, Bonpland.

11. Staphidiastrum attenuatum †.

S. *Staphidio rubro* fere simillimum, sed foliis elliptico-lanceolatis acuminatis basi acuta in petiolum decurrentibus quintupliner-

viis; floribus in axillis foliorum dense glomeratis omnino sessilibus; ovario 3-loculari.

Habitu et vestitu forma præcedenti simillima, cujus alteram varietatem esse suspicamur sed id adhuc incertum habemus. Folia petiolata nec sessilia, tenuissime crenulata aut subintegerrima, utraque pagina villosa, apice et basi pariter acuta, decimetrum et quod excedit longa, 4-5 centim. lata, petiolo uni-sesquicentimetrali. Flores ut in *S. rubro* sed fortassis paulo minores. Petala obovato-rotundata, 2-3 millim. longa. Ovarium 3-loculare reperimus, fortassis et 4-loculare evadit. — In insula antillana *S. Thomas;* Finlay.

12. Staphidiastrum aphananthum †.

S. isophyllum et anisophyllum macrophyllum; ramis petiolisque dense ferrugineo-hirsutis; foliis magnis longiuscule petiolatis oblongo ovatis acuminatis basi rotundatis denticulatis 5-7-nerviis, pagina superiore scabrella, inferiore villosula; floribus paucis parvis axillaribus sessilibus.

Frutex inter reliquos hujus sectionis magnitudine foliorum notabilis et idcirco facile dignoscendus, cæterum florum fabrica et dispositione *S. rubro* simillimus. Rami supremi teretes, pube molli ferruginea aut rufescente hirsuti. Folia fere 2 decim. longa, 1 lata, petiolis 3-7-centimetralibus, nervis lateralibus e medio paulo supra basim ortis ideoque fere septuplinervia. Flores in quavis axilla paucissimi, haud infrequenter solitarii, ut videtur rubri aut rubelli. Ovarium 4-loculare. — In Guyana gallica prope *Cayenne;* Leprieur.

13. Staphidiastrum Bonplandii †.

S. isophyllum et anisophyllum; ramis petiolis florumque glomerulis rufo-hirsutis; foliis longiuscule petiolatis ovatis acuminatis basi rotundata interdum nonnihil cordatis subintegerrimis aut vix conspicue crenulatis 5-7-nerviis, pagina superiore strigilloso-scabrellis, inferiore adpresse villosulis; glomerulis paucifloris axillaribus sessilibus.

Species *S. rubro* et *S. aphanantho* affinis sed primo intuitu distinguenda foliis longiuscule petiolatis, basi haud raro subcordatis et quam in posteriore multo minoribus. Rami ut in illis teretes, rufo-hirsuti aut villosi, foliorum jugis subapproximatis. Folia in quovis jugo ut plurimum æqualia aut vix inæqualia, rarius manifeste disparia, 10-14 centim. longa,

5-7 lata, petiolis 2-3-centimetralibus, nervis paulo supra basim limbi inter se coalitis. Flores ut in *S. rubro;* ovario 4-loculari. —In locis humidis Americæ æquatorialis, scilicet Antillis, *La Trinité*, Bonpland; et Brasilia, prope Bahiam; Salzmann.

Species addendæ :

14. S.? RARIFLORUM. — *Sagræa rariflora* DC., *l. c.*, 170. — *Melastoma rariflora* Bonpl. *Melast.*, tab. 50. Species dubia, ex descriptione 4-mera, ex icone Bonplandiana 5-mera. Nullibi forma petalorum indicatur.

15. S. FASCICULARE. —*Sagræa fascicularis* DC., *l. c.*, 170. Fortassis varietas *S. rubri* aut *S. attenuati*, quantum judicare possumus ex incompletissima descriptione Candollæi.

16. S.?? SCABRIDUM. — *Sagræa scabrida* DC., *l. c.*, Petala hujus speciei Candollæo incognita; fortasse ad aliud genus removenda est.

17. S.? PILOSUM. — *Sagræa pilosa* DC., *l. c.*

18. S.? PULVERULENTUM. — *Tschudya pulverulenta* DC., *l. c.*, 155.

19. S. COGNATUM.—*Sagræa cognata* Steud. *Flora* XXVIII, 2, p. 722. Annon potius varietas *S. rubri?*

CXX. *OSSÆA.*

OSSÆÆ spec. DC. *Prod.*, III, 168. — Endlicher, *Gen. plant.*, n° 6242.

Flos 4-merus amblypetalus. Calycis breviter campanulati limbus nunc in lobos quatuor obtusos divisus, nunc irregulariter lacerus, denticulis exterioribus 4 minutis aut omnino obsoletis. Petala late obovata, apice retusa aut integra. Stamina 8 æqualia, antheris lineari-oblongis apice obtusissimo et nonnihil dilatato tantum polliniferis, poro duplici in unum fere confluente aut rarius in rimas producto dehiscentibus, cæterum exappendiculatis. Ovarium globosum semiadhærens 4 loculare. Stylus breviusculus, stigmate obtuso. Fructus baccatus globosus minutus, semina ovoideo-angulata continens.

Frutices sæpius antillani, rarius ex America continente oriundi,

ramosi glabri aut in novellis parum pubescentes moxque glabrati, micranthi, ramiflori; foliis petiolatis ovato-lanceolatis ellipticisve acuminatis tri-triplinerviis, haud raro rigidulis et lævibus; paniculis ex axilla foliorum oppositorum aut supra cicatrices foliis delapsis ramorum annotinorum succedentes ortis, brevibus aut raro majusculis, subdivaricatim ramosis; floribus breviter pedicellatis albis et fortassis quoque roseis.

Ossææ genus speciebus oxypetalis expeditum genuinum est. Illud glabrities inflorescentia imprimisque peculiaris forma antherarum quarum loculi brevissimi verticem tantum occupant ab aliis generibus 4-meris facile separabunt.

a. *Antheræ rimis duabus dehiscentes.*

1. OSSÆA BIRIMOSA †.

O. glaberrima; ramis teretibus; foliis ovato-lanceolatis subacutis acutisve basi subrotundatis aut subacutis margine integerrimis triplinerviis; paniculis axillaribus folio minoribus pedunculo longo suffultis; floribus minutis brevissime pedicellatis.

Frutex, ut videtur, robustus; ramis mature in lignum induratis, foliis subcoriaceis, 6-7 centim. longis, 2-3 latis, petiolo ferme centimetrali, nervis lateralibus 2-4 millimetra supra basim limbi e nervo medio exeuntibus. Paniculæ pauciflоræ, ex axillis foliorum in ramis hornotinis ortæ, pedunculo gracili 2-3 centim. longo stipitatæ. Calyces in juventute subglobosi; limbo quasi in calyptram clauso, sub anthesi lacero, denticulis 4 exteroribus brevibus sed manifestis. Petala obovata retusa, 2-3 millim. longa. Stamina 8 æqualia, antheris oblongo-obovoideis obtusis; a medio ad apicem tantum polliniferis, loculo utroque brevi rima longitudinali dehiscente, connectivo crasso sub loculis continuo sed appendiculis prorsus destituto. Ovarium semiadhærens, 4-loculare. Stigma obtusum. — In insula *St-Domingue;* Beauvois.

b. *Antheræ apice porosæ.*

2. OSSÆA AMYGDALINA DC., *l. c.*, 169. — *Melastoma amygdalina* Desr. in Lamk. *Dict.*, IV, 35. — Bonpl. *Melast.*, tab. 36.

O. glaberrima pro genere macrophylla; ramis teretibus; foliis

late lanceolatis gradatim acuminatis acutis margine subtiliter et argute serrulatis triplinerviis ; paniculis axillaribus pauci-floris petiolo ut plurimum brevioribus ; floribus graciliter pedicellatis.

Rami supremi foliis floribusque ornati pennam anserinam crassitudine subæquantes, teretes. Folia mollia nec coriacea, sesquidecimetrum haud raro excedentia, 4-5 centim. lata, nervis lateralibus ferme centimetrum supra basim limbi e nervo medio exeuntibus, petiolis 2-4-centimetralibus. Paniculæ florentes in ramis hornotinis, fructiferæ in annotinis axillares, breves, laxifloræ, foliis sæpius breviores, pedunculo communi vix centimetrali, ramulis gracilibus ut plurimum 3-floris. Pedicelli proprii florum 2-5-millimetrales, nonnunquam etiam abbreviati et fere nulli. Flores in anthesi non suppetebant idcirco nec petala nec genitalia nisi icone Bonplandiana cognoscimus. Fructus submaturi aut omnino maturi semen cannabinum crassitudine æquantes. — In insulis *Porto Rico*, *S. Domingue* et *S. Thomas;* Barbier, Poiteau. Ut videtur etiam in aliis Antillis reperienda est species. Specimen aliud habemus ex herbario Bonplandiano quod e vicinia urbis *Caripe*, in America continente, oriundum refertur. Species cæterum habitu maxime variabilis est nec semper facile ab *O. multiflora* aliisque speciebus distinguetur.

3. Ossæa multiflora DC., *l. c.*, 169.— *Melastoma multiflora* Bonpl. *Melast.*, tab. 37, p. 84.

O. glaberrima ; foliis lanceolatis utrinque acutis triplinerviis calloso-serratis ; paniculis laxifloris petiolo multo longioribus, ramis divaricatis, floribus sessilibus aut brevissime pedicellatis.

Frutex 2-3-metralis, ramis supremis obtuse tetrahedris, annotinis teretibus lignosis. Folia triplinervia, apice et basi acuta idcircoque lanceolata, argute calloso-serrata, ferme decimetrum longa, 2-3 centim. lata, petiolis circiter sesquicentimetralibus. Paniculæ in ramis hornotinis axillares aut supra cicatrices foliis delapsis succedentes in ramis vetustioribus ortæ, haud raro geminatæ aut ternæ, medium folium longitudine subæquantes, ramulis ultimis subtrifloris. Calycis dentes obtusissimi aut potius obsoleti. Petala sesquimillimetrum longa et lata, fere rotundata, alba. Stamina apice biporosa. Cætera ut in reliquis. Species *O. amygdalinæ* et *O. brachystachyæ* maxime affinis est. — In insula *S. Domingue* Antillarum, Martin ; specimina tenemus ex herbario Bonplandiano.

4. Ossæa brachystachya †.

O. glabra minutiflora; ramis subgracilibus teretibus nodosis; foliis in eodem jugo nonnihil disparibus lanceolatis acuminatis basi acutis aut rarius subrotundatis margine integerrimis subintegerrimisve magis minusve conspicue triplinerviis; paniculis brevibus paucifloris; floribus sessilibus.

Rami hornotini mature in lignum indurati pennam corvinam crassitie vix æquantes, annotini paulo crassiores et magis nodosi. Folia nunc utrinque acuta, nunc basi magis minusve rotundata, vix conspicue infra apicem serrulata ut plurimumque integerrima, rigidula, 6-10 centim. et quod excedit longa, 2-2 ½ lata, nervis lateralibus pauca millimetra supra basim limbi e nervo medio exeuntibus, petiolis gracilibus a semicentimetro ad sesquicentimetrum longis. Paniculæ parum ramosæ, petiolis ipsis paulo longiores iisve subæquales, in ramis annotinis foliis superstites. Flores sub anthesi globosi, semine sinapis tenuiores. Calycis limbus in lobos quatuor obtusos divisus nec lacerus. Petala obovata, vix millimetrum longa. Antheræ apice subbiporosa. — In insula Jamaica; Purdie. Specimina nobis a clarissimo Hookerio communicata fuerunt.

5. Ossæa integrifolia †.

O. glaberrima; ramis subgracilibus teretibus mature lignosis; foliis elliptico-lanceolatis apice acuminatis basi acutis integerrimis insigniter triplinerviis; paniculis axillaribus pyramidatis laxifloris petiolo longioribus, floribus minutis sessilibus aut pedicello brevi gracili suffultis.

Species præcedentibus contermina, fortassis pro mera varietate *Ossææ amygdalinæ* habenda, ab illa propter folia minora et integerrima paniculasque graciliores hic separata. Folia 5-7 centim. longa, 2-2 ½ lata, petiolis sesquidecimetrum longis. Paniculæ axillares, rachi ramisque gracilibus, ramulis ut plurimum trifloris, flore intermedio sessili, lateralibus duobus pedicellatis. Calyces obscure et obtuse 4-lobi. Petala vix millimetrum longa et lata, subrotundata, alba. Antheræ et reliquæ partes floris ut in præcedentibus. Distinctane est species? — In vicinia urbis *San Yago* insulæ Cubæ Antillarum; Linden, *Cat.* n° 2125.

Var. β *latifolia*, ramis quam in præcedente robustioribus, paniculis etiam validioribus et foliis latioribus. — In montibus Cubæ dictis *Sierra Maestre*; Linden, *Cat.* n° 2010.

Species incertæ fortassis addendæ :

6. O. TRINITENSIS H. Crüger, *Linnæa* XX, 105. — Walp. *Ann. bot. syst.*, 300.
7. O. SALICIFOLIA H. Crüger, *l. c.* — Walp., *l. c.*

Species exclusæ :

O. scalpta DC., *l. c.* — SAGRÆA SCALPTA.
O. scabrosa DC., *l. c.* — SAGRÆA SCABROSA.
O. lateriflora DC., *l. c.* — SAGRÆA ? LATERIFLORA.
O. sparsiflora DC., *l. c.* — SAGRÆA SPARSIFLORA.
O. flavescens DC., *l. c.* — LOREYA FLAVESCENS.
O. purpurascens DC., *l. c.* — MICONIA OSSÆIFORMIS.

CXXI. — *CLIDEMIA.*

CLIDEMIÆ et LEANDRÆ species DC., *Prodr.*, III, et auctorum. — SPENNERÆ spec. DC., *l. c.* — OXYMERIS DC., *l. c.* — CLIDEMIÆ species Martius, *Nov. gen. et spec.*, III. — MELASTOMA Linn. et aliorum.

Flores 5-meri, oxypetali. Calyces varie campanulati aut urceolati, 5-dentati; dentibus nonnunquam simplicibus, ut plurimum tamen duplicatis; exterioribus productis subulatis aut brevibus callosis tuberculiformibusque; interioribus membranaceis obtusis magis minusve cum prioribus connatis, interdum obsoletis et in membranam continuam confluentibus. Petala lanceolata, linearia, rarius ovata obovatave et tunc acuminata aut saltem acuta; in flore explicato erecta aut reflexa. Stamina 10 æqualia; antheris raro obtusis, sæpius apice subulatis, nonnihil recurvis, 1-porosis, connectivo non producto nec appendiculato, vix postica basi tuberculato aut supra basim subgibboso. Torus ad insertionem staminum non productus. Ovarium tubo calycino magis minusve adhærens, 3-5-loculare, rarissime et fortassis abortu 2-loculare. Stylus filiformis, stigmate acuto aut punctiformi. Fructus baccatus, forte etiam exsuccus et subcapsularis. Semina irregulariter ovoideo-angulata.

Arbusculæ frutices aut suffrutices austro-americani mexicani

et antillani, erecti ramosi isophylli et anisophylli micranthi, habitu et vestitu maxime variabiles; foliis oppositis aut rarissime verticillatis; floribus in cymas axillares aut paniculas terminales alares lateralesve dispositis, albis aut purpureis, rarius et luteolis.

Perdifficile Donæanum Candollæanumque Clidemiæ genus tractantes desudavimus, non tam in reformandis characteribus quam in speciebus ex auctorum celeberrimorum mancis descriptionibus agnoscendis, et id quidem nobis rarius contigisse fatemur. A Clidemia removendas censuimus omnes species floribus 5-meris destitutas aut in flore 5-mero petala apice obtusa et rotundata exhibentes. Hæc in illis limitibus circumscripta Clidemia nostra a Staphidio petalis acutis, a Clidemiastro Sagræa et Capitellaria flore 5-mero discrepabit, Tschudyæ vero quam propter honorem nominis in illa consecrati tantum retinuimus affinior remanet.

Propter numerum et ut a lectoribus facilius agnoscantur species Clidemiarum in sectiones subartificiales artificialesve dividimus.

I. — AMBLYANTHUS.

Calycis tubus hemisphæricus aut late campanulatus, limbo integerrimo, denticulis exterioribus nullis aut ad punctum reductis. Petala ovata subacuta acutave. Antheræ apice obtusæ, basi postica in calcar brevissimum desinentes. Ovarium 5-loculare. — Species macrophylla, brachystachya, huic generi propter habitum subaliena.

1. Clidemia solearis †.

C. fruticosa macrophylla micrantha ; ramis supremis paniculisque pube pulverulenta cito decidua obductis ; foliis petiolatis obovato-oblongis breviter acuminatis inferne subcuneatis sinuato-denticulatis, adjecto utroque nervulo submarginali, 5-nerviis glabris; paniculis in dichotomiis ramorum alaribus brevibus, in prima juventute contractis bracteosis, in anthesi nudatis laxifloris.

Rami supremi striati, vetustiores teretes lævigati. Folia pro genere maxima, 3 decim. et quod excedit longa, 10-14 centim. lata, glaberrima aut saltem mature glabrata ; nervis tribus intermediis subtus prominen-

tibus, nervulis transversis inter se subparallelis; petiolis fere triquetris, 3-5-centimetralibus. Paniculæ in dichotomiis alares, petiolis ipsis vix longiores, ramis patulis, ramulis extremis ut plurimum trifloris; flore intermedio sessili, lateralibus breviter pedicellatis. Calyces late campanulati, semen sinapinum crassitie vix æquantes, dentibus obsoletis et nullis. Petala ovato-acuta, circiter 2 millim. aut paulo amplius longa, in flore explicato reflexa. Stamina 10 æqualia, antheris oblongis apice obtusissimis, poro apicali et subpostico apertis. Ovarium semiadhærens depressum 5-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. — Species ut videtur ex America meridionali oriunda, sed locus natalis et inventoris nomen pariter desiderantur.

II. — EUCLIDEMIA.

Calycis tubus campanulatus; denticuli exteriores longiores brevioresve, saltem manifesti aut sub setis absconditi, sæpius angusti subulati, dentibus interioribus subobsoletis aut in membranam continuam confluentibus productiores. Petala lanceolata acutissima, nonnunquam et late ovata acumine autem terminata. Antheræ ut plurimum subulatæ, magis minusve recurvæ, sæpe purpurascentes. Ovarium semiadhærens 3-5 loculare. Inflorescentia terminalis aut axillaris.

A. *Species ovario sæpius 5-loculari (fortassis abortu 3-4-loculari) donatæ.*

2. Clidemia Martiana †.

C. macrophylla micrantha subglabra; ramis supremis obscure compressis mox teretibus; foliis mollibus breviter petiolatis latissime lanceolatis apice acutis basi angustata et in petiolum quasi decurrente acuminatis margine integerrimis aut inconspicue repandulis quintuplinerviis; paniculis subterminalibus lateralibusve, ramis subpatulis, floribus ad apices ramulorum subcongestis sessilibus.

Frutex habitu Miconias potius quam Clidemias in mentem revocans, exceptis summitatibus pulvere parco obsitis glaberrimus. Folia in eodem jugo ut videtur subæqualia, basi insigniter angustata et quasi acuminata, 1 ½-2 decim. et quod excedit longa, 1 et amplius lata, petiolo circiter centimetrali. Paniculæ pedunculatæ, in prima ætate terminales, mox accreto uno e ramulis vicinis laterales, fortassis et in dichotomia alares. Calyces campanulati, brevissime 5-dentati, denticulis exterioribus subobsoletis. Petala oblongo-lanceolata acuta, 2 ½-3 millim. longa. Stamina 10 æqualia, antheris lineari-subulatis, connectivo postica basi

nonnihil incrassato. Ovarium semiadhærens, apice umbilicatum, 4-5-loculare. Stylus gracilis exsertus, stigmate acuto. — In Brasilia, loco nobis ignoto; Martius, *Herb.*, n° 496.

3. Clidemia monticola †.

C. fruticulosa? humilis? anisostemon; caule subsimplici alternatim hinc et inde inter nodos compresso, superius folioso, inferius denudato, furfure rubiginoso adpresso obsito; foliis petiolatis cordiformi-ovatis acutis vix acuminatis serrulato-ciliatis 5-7-nerviis sparsim setulosis; panicula erecta terminali multiplici, ramulis extremis 1-3-floris; floribus varie pedicellatis.

Quantum e speciminibus duobus (fortasse tantum frustulis) judicare possumus, planta est suffruticulosa aut subherbacea, decimetrum unum et alterum vix excedens. Folia ovata, basi cordata, acuta aut subacuminata, margine nunc subintegerrimo nunc serrato setoso-ciliata, pagina superiore inter nervos setulis conspersa, 4-5 centim. longa, 2 ½-3 lata, petiolis 1-2-centimetralibus. Paniculæ terminales (fortassis post anthesim in dichotomia alares), foliis longiores, ex ipsa basi ramosæ et ideo quasi multiplices, sublaxifloræ, ramis ramulisque compressis. Flores brevius longiusve pedicellati. Calyces làte campanulati, breviter et obtuse 5-dentati, denticulis exterioribus brevibus sed acutis et manifestis. Petala late ovata aut fere obovata, breviter acuminata et acuta, 6 millim. longa, rosea. Stamina 10, alternatim manifeste inæqualia, 5 majoribus subrectis subulatis fertilibus, 5 minoribus subfalcatis et ut videtur sterilibus, omnium connectivo sub loculis calloso. Ovarium semiadhærens, 4-5-loculare. Stylus gracilis exsertus pilosulus, stigmate punctiformi. — In pinetis montium mexicanorum prope *Oaxaca*, ad altitudinem fere 2600 metrorum; Galeotti.

4. Clidemia nervosa †.

M. fruticosa; ramis teretibus nervisque foliorum in pagina inferiore tomentoso-ferrugineis; foliis petiolatis lanceolato-oblongis acutis basi obtusis subtiliter et vix conspicue serrulatis, adjecto utroque nervo submarginali 5-nerviis, pagina superiore glaberrimis aut saltem glabratis; paniculis terminalibus brevibus confertifloris; floribus 5-meris.

Species a reliquis Clidemiis habitu facile discernenda. Folia pro genere angusta, 6-10 centim. longa, 1 ½-2 lata, apice acuta, basi obtusa, margi-

nibus subtiliter denticulata aut serrulata, nervis subtus prominentibus, petiolis brevibus 3-7-millimetralibus. Paniculæ terminales, simplices aut triplices, foliis supremis breviores, floribus ad apices ramorum brevium confertis sessilibus. Calyces campanulati, dentibus brevibus acutis, denticulis exterioribus minutis sed non omnino inconspicuis. Petala ovata obovatave, breviter et acute acuminata, 3-4-millimetralia. Stamina 10 æqualia, antheris apice obtusis, poro minuto apertis. Ovarium semiadhærens 5-loculare. Stylus crassiusculus, stigmate obtusissimo. — In Peruvia; Mathews.

5. Cl demia asperifolia †.

C. fruticosa nonnihil anisophylla; ramis supremis petiolis paniculisque furfuraceo-asperis; foliis rigidulis petiolatis ovatis acuminatis denticulatis basi subacutis, præter nervulos marginales triplinerviis, pagina superiore tuberculato-leprosis asperrimis, inferiore scabris foveolatis; paniculis parvis subterminalibus demum axillaribus.

Folia in eodem jugo nonnunquam æqualia, frequentius autem manifeste disparia et inæqualiter petiolata, altero alterum triente aut etiam dimidio superante, tuberculorum copia seu potius bullis pyramidatis brevibus crassioribus et minoribus exasperata, 4-8 centim. longa', 2-4 lata, petiolis a semicentimetro ad duo centimetra variantibus. Paniculæ pedunculatæ, id est non ab ipsa basi ramosæ, oliganthæ, ramulis apice 3-floris, floribus sessilibus. Calyces campanulati scabri, dentibus exterioribus subulatis tubo brevioribus, interioribus subobsoletis. Petala ovato-acuminata, 3-4 millim. longa. Stamina æqualia, antheris cultriformibus (si a latere considerentur), connectivo basi postica brevissime calcarato. Ovarium omnino adhærens, 5-loculare. Stylus fere fusiformis, stigmate punctiformi. — In insula Jamaica, loco haud indicato. Planta a celeberrimo Hooker communicata.

6. Clidemia sulcicaulis Pœppig, *Herb.*

C. macrophylla macrothyrsa; ramis supremis ferrugineo-hirsutissimis; foliis in eodem jugo sæpe disparibus ovatis acuminatis argute denticulatis 7-9-nerviis, pagina superiore setulosis villosulisve, inferiore molliter hirsutis; paniculis terminalibus subaphyllis hirsutissimis, ramulis patentibus ut plurimum di-trichotomis.

Rami (saltem supremi qui tantum suppetunt in herbario nostro) hinc

et inde sulcati, hirsutie densa ferruginea molli obducti et quasi lanati. Folia æqualia aut inæqualia, 1 ½-2 decim. et quod excedit longa, 8-10 centim. lata, petiolis 2-4-centimetralibus. Paniculæ majusculæ, aphyllæ aut pari uno foliorum ad basim ornatæ, hirsutissimæ, rufescentes aut fusco-violaceæ; ramulis patulis aut etiam refractis, articulatis, ad nodos bracteola minuta duplici instructis, apice et in dichotomia floriferis, nonnunquam subsecundifloris. Flores sessiles, dentibus calycinis exterioribus brevissimis sub fasciculo villorum dissimulatis, interioribus subnullis aut inconspicuis. Petala ovato-lanceolata acuminata, 4-5 millim. longa. Stamina 10 æqualia, antheris lineari-oblongis. Ovarium globosum, apice libero villosulum aut setosum, 5-loculare. Stigma punctiforme. Fructus submaturi crassitudine seminis *Lathyri odorati*. — In Peruvia, Pœppig; iterum lecta prope *Lima*, Claude Gay.

7. Clidemia phæostaphis †.

C. macrophylla; ramis petiolis paniculisque pube ferruginea molli hirsutis; foliis longiuscule petiolatis ovatis acuminatis basi rotundatis crenulato-denticulatis 7-nerviis, pagina superiore setulosis, inferiore mollius hirtellis; panicula terminali aphylla, ramulis patulis trichotomis multifloris.

Species præcedenti affinior et fortassis in posterum consocianda. Folia quam in *C. sulcicauli* longius graciliusque petiolata (petiolis scilicet 4-5-centimetralibus). Paniculæ rami patuli aut etiam refracti, rufo-hirsuti, quam in altera forma breviores, minus articulati et magis floribundi. Cætera ut in præcedente. — In Brasilia meridionali, loco ignoto; Dupré.

8. Clidemia secunda DC., *l. c.* — Don, *Mem. Soc. Wern.*, IV, 308.

C, ramis petiolis paniculisque hirtellis aut hirsutis rufescentibus; foliis subæqualibus ovatis acuminatis basi rotundatis denticulatis 5-7-nerviis pagina utraque hirtellis aut setulosis; paniculis terminalibus magnis sæpius foliosis, ramulis productis divaricatis articulatis subsecundifloris.

Species *C. sulcicauli* certe affinis, sed facile tamen distinguenda foliis multo minoribus, paniculis magis divaricatis et foliorum paribus aliquot intermixtis Folia 7-10 centim. longa, 5-6 lata, petiolis 1 ½-3-centimetra-

libus. Paniculæ quædam contractæ aphyllæ, ramis longis flexuosis divaricatissimis; aliæ productæ, foliis intermixtæ, adeo ut inflorescentia primo intuitu e paniculis minoribus axillaribus constare diceretur. Omnium rami dichotome bifurci, ramulis articulatis flexuosis, flores ad apices potissimum retinentibus, inferne sterilibus. Petala et genitalia ut in præcedentibus. Fructus maturus 5-locularis, globosus, crassitudine seminis *Lathyri odorati.* — In Peruvia, prope *Maynas alto*, et secus flumen Amazonum in vicinia urbis dictæ *Ega;* Pœppig.

9. Clidemia staphidioides †.

C. macrophylla nonnihil anisophylla tota breviter et adpresse hirsuta aut quasi velutina; foliis petiolatis ovatis acuminatis crenulato-serrulatis subintegerrimisque basi rotundatis 5-7-nerviis; paniculis terminalibus, ramis divaricatis, floribus sessilibus in glomerulos approximatis platypetalis.

Frutex 2-3-metralis, ramis subteretibus pube molli obscura densa hirsutis. Folia in eodem jugo nunc æqualia nunc disparia, longiuscule petiolata, utraque pagina velutino-hirtella aut villosa, 10-15 centim. longa, 5-7 lata, petiolis 2-5-centimetralibus. Paniculæ foliis supremi jugi longitudine subæquales, ramis subpatulis hirsutis, floribus ad nodos apicesque ramulorum in glomerulos congestis. Calyces breviter campanulati, dentibus interioribus rotundatis, denticulis exterioribus brevibus sed acutis et manifestis. Petala pro genere lata, ovata aut obovata, apiculo brevi acuto terminata, in flore explicato reflexa, pallide ochracea aut spurco-alba. Stamina 10 æqualia, antheris erectis breviusculis. Ovarium maxima parte adhærens, apice angustato villosulum, 3-5-loculare. Stylus gracilis exsertus, stigmate punctiformi. — In sylvis humidis Boliviæ, tractus dicti *Larecaja;* Weddell.

B. *Species ovario 3-loculari insignes.*

a. Congestifloræ. *Flores in glomerulos axillares seu verticillastra congesti aut in paniculas terminales spiciformes contractas haud raro interruptas approximati.* — Sectio a sequente non satis diversa.

10. Clidemia congestiflora †.

C. fruticosa ramosa robusta isophylla, tota setoso-strigillosa aut hirsuta; foliis breviter petiolatis ellipticis ellipticove-ovatis

inconspicue denticulatis 5-7-nerviis ; floribus in axillis foliorum sessilibus dense glomeratis verticillastra mentientibus.

Rami foliosi floriferique teretes dense ferrugineo-hirsuti, internodiis quam folia dimidio brevioribus. Folia utrinque setis seu villis setiformibus rufescentibus vestita, 5-7 centim. longa, 2-3 aut paulo amplius lata, petiolis semicentimetralibus quandoque subnullis. Florum glomeruli densiflori setoso-villosi subhemisphærici, in utraque axilla opposita sessiles, in ramis supremis spicam interruptam foliosam quodammodo fingentes. Calyx urceolato-campanulatus setoso-villosus, dentibus exterioribus triangulari-acutis breviusculis, interioribus subnullis. Petala lineari-lanceolata, acuta, inferne nonnihil angustata, 4 millim. longa. Antheræ 10 æquales subulatæ. Ovarium fere usque ad medium adhærens, globosum, apice angustatum, 3-loculare. — In provincia Brasiliæ dicta *Minas geraes;* Claussen, *Cat.* n° 1605.

11. Clidemia erostrata DC., *l. c.*, 160.

C. fruticosa erecta ramosa dense foliosa strigosa ; ramis teretibus patentim strigoso-asperrimis ; foliis breviter petiolatis late ovatis suborbicularibusve obtusis vix perspicue crenulatis 5-7-nerviis dense setoso-strigosis rigidulis ; paniculis ad apices ramorum terminalibus spicas interruptas mentientibus, haud raro purpurascentibus.

Species *C. Weddellii* affinis, sed multo vegetior et asperior. Folia 3-5 centim. longa, 3-4 lata, petiolis 3-7-millimetralibus. Paniculæ ut reliquæ partes setoso-strigillosæ, parum productæ, ut plurimum spiciformes et interruptæ. Flores verticillato-glomerati sessiles, bracteolis lanceolatis indistinctis fulcrati. Calycis tubus campanulatus, dentes exteriores acuti, interiores obsoleti. Petala lanceolata, 3-4-millim. longa. Antheræ subulatæ, connectivo basi postica nonnihil tuberculato non autem longe producto, ut ait Candollæus. Ovarium basi adhærens, 3-loculare. Quamvis plantæ nostræ non omnino conveniat Candollæi descriptio *C. erostratæ*, ei istud nomen imponere non dubitavimus, celeberrimo huic auctori multa, propter immensitatem difficultatemque operis ab illo suscepti, ignoscenda scientes. — In provincia *Minas geraes* Brasiliæ australis ; Claussen, *Cat.* n° 278, et Gaudichaud qui eam e Musæo imperiali Brasiliensi obtinuit. Variat strigis longioribus et brevioribus.

b. Paniculatæ. *Flores in paniculas terminales subterminalesve, rarius omnino axillares et laterales aut in dichotomiis ramorum alares dispositi. Frutices ut plurimum villoso-hirsuti aut hispiduli, nonnunquam subglabri. Sectio in sequentem, mediantibus paucis speciebus, gradatim transiens.*

12. Clidemia simplicicaulis †.

C. suffrutescens subherbaceave subsimplex erecta oligophylla; caule tereti inferne foliis denudato et glabrato, superne hirtello folioso; foliis brevissime petiolatis elliptico-ovatis apiculatis vix conspicue denticulatis 5 nerviis glabellis; panicula terminali parum ramosa aut spiciformi; floribus glomeratis sessilibus.

Planta pro genere debilis, fortasse multicaulis, caule caulibusve erectis aut adscendentibus, basi sæpe radicantibus, 3-4-decimetralibus. Folia subæqualia, rigidula, pagina superiore glabra aut glabrata, inferiore puberula, 4-5 centim. longa, 2-3 lata, petiolo 1-4-millimetrali. Panicula terminalis unica hirtella, ramulos paucos emittens, haud raro ad axim centralem depauperata et tunc spiciformis. Flores in ramulis et axi primario paniculæ sessiles, nonnihil verticillato-glomerati. Calyces breviter urceolati, dentibus exterioribus reflexis, interioribus obsoletis. Petala lanceolato-acuminata, 4 millim. circiter longa. Antheræ subulatæ. Ovarium a medio ad apicem liberum ovoideum 3-loculare. Stigma acutum. In provincia Brasiliæ australis *Minas geraes;* Claussen, *Cat.*, n° 1654.

13. Clidemia Weddellii †.

C. fruticosa erecta pauciramosa strigilloso-hirsuta; foliis breviter petiolatis late ovato-ellipticis suborbicularibusque apiculatis tenuissime crenulatis 5-nerviis strigilloso-scabris; panicula paniculisve terminalibus fere in spicas contractis dense villoso-strigillosis.

Planta pro genere humilis, scilicet 2-3 decim. alta, si de tota specie e speciminibus nostris judicandum est, fortassis favente terra multo elatior et magis ramosa. Caules hirsutissimi rufescentes subteretes, ramulis paucis floriferis superne ornati. Folia infima vere rotundata, suprema ovatiora, rigidula, pagina superiore præsertim strigillosa, subtus mollius villosa, 3-4 centim. circiter longa, 2 lata, petiolis 4-6-millimetralibus. Paniculæ ad apices caulis et ramulorum terminales, vix basi ramosæ et spicam interruptam mentientes. Flores glomerati sessiles. Calycis

tubus hemisphæricus campanulatus, dentes exteriores breves setosi, interiores obsoleti. Petala lanceolato-acuminata, 4 millim. circiter longa, rosea. Ovarium basi adhærens, superius liberum villosulum, 3-loculare. — In provincia *Tomina* Boliviæ, locis humidis secus rivulos ex abruptis montis *Curi* descendentes; Weddell, *Cat.*, nº 3758.

14. Clidemia polystachya †.

C. fruticosa; ramis supremis robustis subteretibus molliter hirsutis; foliis brevissime petiolatis late ovatis subacutis et obtusissimis integerrimis aut vix perspicue crenulatis basi subcordatis 5-7-nerviis scabrellis; paniculis terminalibus magnis aphyllis verticillato-ramosis, ramis mutifloris spiciformibus.

Specimen unicum habemus rami floriferi summitatem exhibens. Ramus ille hornotinus pennam cycneam crassitudine æquat, obsolete sulcatus est et obtusissime tetrahedrus aut potius subteres. Folia in eodem jugo æqualia aut saltem vix inæqualia, subsessilia, brevissime strigillosa, 5-7 centim. longa, 4-5 lata. Rami paniculæ ternati, subpatuli, ipsi simplices et dense floriferi. Flores approximati, ad apices ramorum præsertim congesti, sessiles, bracteolis indistinctis fulcrati. Calycis dentes exteriores subulati reflexi, interiores obsoleti. Petala lanceolato-acuta, 4 millim. circiter longa. Ovarium basi adhærens, 3-loculare. Fructus fere maturi calyce tunc urceolato vestiti, piso communi vix minores. — In provincia Brasiliæ *Minas geraes*, prope *Carassa;* Claussen, *Cat.* nº 355.

15. Clidemia lutescens †.

C. fruticosa ramosa robusta; ramis subteretibus ferrugineo-hirsutissimis; foliis petiolatis oblongo-ovatis acutis basi rotundatis vix non integerrimis 5-nerviis, pagina superiore dense strigillosis, inferiore lutescente hirtellis; paniculis terminalibus thyrsoideis confertifloris; floribus luteolis.

Frutex sesqui-bimetralis. Rami supremi foliosi, pilis retroflexis aut saltem patulis dense hirsuti, ferruginei aut purpureo tincti. Folia rigidula, dense villoso-strigillosa, in prima juventute purpurascentia, adulta lutescentia, 7-10 centim. longa, 3-4 lata, petiolis 1-2-centimetralibus. Paniculæ hirtæ rufescentes, floribus in ramulis sessilibus glomeratis. Calyx ante floris explicationem campanulatus, post anthesim suburceolatus, dentibus exterioribus subulatis, interioribus obtusis subobsoletis. Petala ovato-acuta, lutea aut luteola, ut nos monuit Weddellius noster.

Ovarium basi adhærens, superius liberum et setulosum, 3-loculare. — In provincia *Ynquisivi* Boliviæ, locis dumosis montium ad altitudinem 1500-2000 metrorum; Weddell, *Cat.* n° 4187.

β *Lindeniana*, foliis majoribus; panicula magis in spicam contracta; floribus purpureis. Nonne altera species? — In Republica *Caracas*, Linden; Bolivia, d'Orbigny.

16. Clidemia foveolata DC., *l. c.*, 160.

C. fruticosa ramosa robusta submacrophylla; ramis teretibus petiolis paniculisque setis longis rigidis patulis hispidissimis; foliis petiolatis ovato-oblongis ovatisve acuminatis basi cordatis aut saltem rotundatis tenuiter crenulatis 5-nerviis, pagina superiore pustulato-strigosa, inferiore setuloso-hirsuta foveolata; paniculis magnis terminalibus, ramis patulis, floribus glomeratis.

Species, ut apud Melastomeas frequens est, facie et statura variabilis, facile tamen recognoscenda. Rami foliosi calamum scriptorium circiter æquantes interdumque superantes, strigis fere aculeiformibus horridi, vetustiores magis minusve glabrati. Folia decimetrum sesquidecimetrumve et quod excedit longa, 4-6 centim. lata, petiolis 2-4-centimetralibus, pagina superiore sæpius strigis basi conicis et inflatis exasperata et quasi pustulata, inferiore in nervis setosa et inter nervos magis minusve foveolata. Paniculæ terminales et subterminales, hispidissimæ, haud infrequenter purpurascentes, ramis subpatulis, nonnumquam contractæ et thyrsoideæ. Flores ad apices ramulorum congesti, sessiles. Calycis tubus campanulatus, post anthesim suburceolatus, dentibus exterioribus subulatis, interioribus obtusis subobsoletis. Petala lanceolato-acutissima, 5-7 millim. longa, rosea aut purpurea. Ovarium apice angustato et setuloso liberum, 3-loculare. Planta variat foliis majoribus et minoribus, magis minusve pustulatis et strigosis, paniculis laxioribus et contractioribus. — In variis locis provinciæ *Minas geraes* Brasiliæ meridionalis; Vauthier, Gaudichaud, Claussen. Forte reperitur et in Brasilia septentrionali, ut videtur ex specimine uno herbarii Bonplandiani.

β *laxiflora*, paniculis laxioribus, ramulis floriferis spicas interruptas mentientibus. Varietas speciem sequentem habitu referens et quasi inter hanc et genuinam *C. foveolatam* media. — In montibus *Serra do Piedade*, provinciæ *Minas geraes*.

17. Clidemia hematostemon †.

C. fruticosa ramosa macrothyrsa polyantha; ramis pube brevi

molli rufescente aut ferruginea hirtellis; foliis petiolatis ovatis oblongove-ovatis acutis integerrimis aut tenuissime crenulatis basi subcordatis, pagina utraque hirtellis subvelutinisque; paniculis magnis terminalibus dense hirtellis, ramis erectis aut patulis sæpius spicas interruptas mentientibus.

Species multiformis est ideoque hanc jam sub pluribus nominibus, sed non quantum opus esset descriptam, suspicamur. Forte eadem est ac *C. aurea* Cham., *Linn.* X, 47, quæ tamen a nostra differt pilis seu setis ramorum longis et retrorsis. Folia sæpe lutescentia, 7-10 centim. longa, 4 ½-5 lata, petiolo ut plurimum centimetrali aut paulo longiore. Panicula terminalis laxiuscula, ramis subgracilibus; floribus sæpe verticillato-glomeratis aut ad apices ramorum congesto-capitatis, sessilibus. Calyces campanulati, dentibus exterioribus subulatis, interioribus subobsoletis. Petala lanceolato-ovata acuminata rosea aut fortassis lutescentia. Stamina intense purpurea. Ovarium paulo supra medium adhærens, apice villosulum, 3-loculare. — In provincia Brasiliæ australis *Minas geraes*, Vauthier, *Cat.* nº 8; Claussen, *Cat.* nº 573 et 1620.

β *paradoxa*, ramis strigillosis ferrugineis; foliis reticulato-bullatis, pagina superiore setoso-strigillosis, inferiore tomentosis; paniculis nunc thyrsoideis nunc spiciformibus densifloris. Forma dubia inter *C. hæmatostemonem* et *C. foveolatam* ambigens, toto habitu *Clidemiæ lutescenti* quoque proxima. Rami teretes, setis retroflexis hispidi. Folia minus strigosa quam in *C. foveolata* sed asperiora quam in *C. hæmatostemone* cujus habet flores. Utrum separanda sit ut propria species an alterutri priorum coadunanda omnino incertum est.

18. Clidemia floribunda †.

C. tota hirsuta macrophylla macrothyrsa floribunda; ramis teretibus setulis patentibus rufescentibus hirsutis; foliis ovatis acuminatis basi subcordatis subintegerrimis 7-9-nerviis; paniculis terminalibus; floribus verticillato-congestis sessilibus.

Clidemiæ hæmatostemoni forma maxime affinis, sed hirsutior et foliis multo majoribus longiusque petiolatis distincta, inflorescentia vero et florum structura simillima. Folia sesquidecimetrum et quod excedit longa, 7 centim. lata, petiolis 3-4-centimetralibus. Nonne prioris varietas?

19. Clidemia xanthopogon †.

C. fruticosa; ramis teretibus petiolisque dense ferrugineo-hirsu-

tis; foliis ovato-oblongis acuminatis integerrimis basi rotundatis fere quintuplinerviis pagina utraque villosis; paniculis terminalibus pauciramosis hirsutissimis; floribus congestis sessilibus.

Species quasi media inter *C. hæmatostemonem* et *C. rhodopogonem* Mart., cæterum ut quædam aliæ dubia. Rami pilis subreflexis densis ferrugineis hirsuti. Folia 10-12 centim. longa, circiter 4 lata, petiolis 2-centimetralibus. Rami paniculæ ut plurimum patuli, inferiores a medio ad apicem, superiores apice tantum floriferi et tunc omnes magis minusve pedunculiformes, dense rufo-hirsuti. Flores verticillato-congesti aut capitati. Calycis dentes exteriores lineares angusti reflexi, interiores obsoleti. Petala lanceolato-acuta, 5-6 millim. longa. Ovarium apice libero angustatum et setoso-penicillatum, 3-loculare. — In provincia Brasiliæ *Minas geraes*, Gaudichaud.

20. Clidemia botryophora †.

C. fruticosa ramosa; ramis subteretibus petiolis paniculisque setis longis rigidis retroflexis aut patulis hispidis; foliis oblongo-ovatis acuminatis acutissimis vix non integerrimis basi rotundatis 5-nerviis, pagina superiore setoso-villosis, inferiore in nervis bifariam hispidulis; paniculis alaribus axillaribus terminalibusve dichotome ramosis; floribus subsessilibus magis minusve glomeratis.

Species a *C. foveolata* speciebusque illi affinibus primo intuitu distincta, ipsa in varietates dividenda. Rami teretes aut in apicibus plantæ parum compressi et sulcati, setis rigidis retroflexis hispidi. Folia longiuscule petiolata, interdum in eodem jugo inæqualia, 10-15 centim. longa, 5-6 lata, petiolis 2-4-centimetralibus. Paniculæ pedunculatæ, id est non ab ipsa basi ramosæ, frequenter thyrsoideæ et confertifloræ, nonnumquam in dichotomiis ramorum alares, sæpius ad apices ramorum paniculas terminales mentientes, demum accreto uno e ramulis ad ipsarum basim axillaribus laterales, fructiferæ formam uvæ quodammodo referentes, ramulis patulis et subrefractis. Flores qui in dichotomiis ramulorum insident pedicello fere destituti, laterales quasi longius pedicellati, sæpe approximato-congesti. Calycis tubus in anthesi campanulatus, fructifer suburceolatus; dentes exteriores subulati reflexi, interiores membranacei producti, cum prioribus dorso connati iisque breviores. Petala lanceolato-acuta, 4 millim. aut amplius longa, purpurea? Ovarium fere omnino adhærens, 3-loculare. Fructus submaturi pisum crassitudine subæquan-

tes. Species variat foliis longius breviusque petiolatis, paniculis laxioribus et contractioribus, calycis dentibus interioribus longioribus aut brevioribus. Specimen unum habemus cujus dentes exteriores interioribus subbreviores sunt. Estne species nostra affinis *C. Niangæ* DC.? — In variis locis Brasiliæ meridionalis; *Serra dos Orgaos* prope *Rio de Janeiro*, Vauthier, Lalande, Guillemin; in monte *Corcovado*, d'Orbigny; necnon in insula Sanctæ Catharinæ, Gaudichaud.

21. Clidemia phæotricha †.

C. fruticosa submacrophylla; ramis teretibus petiolis paniculisque setis longis patulis refractisque hispidissimis; foliis late ovatis acutis basi cordatis crenulatis 5-7-nerviis, pagina superiore sparsim setulosis, inferiore in nervis patentim setosis; paniculis alaribus phæotrichis pauciramosis, ramis patulis dichotomis, floribus sessilibus subcongestis.

Species decora, *C. botryophoræ* habitum quodammodo retinens, ab ea omnibusque reliquis facile distinguenda. Folia ovata, haud raro cordiformia, crenulata, pagina superiore setis raris conspersa et inter setas glabra et nitidula, 10-12 centim. longa, 6-8 lata, petiolis 2-3-centimetralibus. Paniculæ alares, fortassis quoque ut in *C. botryophora* subterminales et laterales, setis fusco-purpureis hispidissimæ; ramulis patentibus, apice tantum dichotomis et floriferis. Flores parvi, laxius densiusve congesti. Calyx campanulatus, dentibus exterioribus subulatis reflexis, interioribus obsoletis. Petala ovato-acuminata, 3 millim. longa. Antheræ quam in præcedentibus speciebus breviores et obtusiores, antheris luteolis, connectivo fusco. Ovarium maxima parte adhærens, 3-loculare. — In provincia *Rio grande* Brasiliæ australis, Gaudichaud, *Cat.* n° 1361.

22. Clidemia dolichantha †.

C. fruticosa; ramis gracilibus subteretibus petiolis paniculisque setis patulis longis hispidis; foliis ovato-oblongis acuminato-acutis basi subcordatis vix conspicue crenulatis et subintegerrimis 5-nerviis, pagina superiore sparsim setulosis; paniculis axillaribus aut subterminalibus spiciformibus; calycibus oblongis urceolatis.

Specimen unicum habemus cujus trunca est inflorescentia, unde nobis affirmare non licet utrum terminalis sit an potius inflorescentiam terminalem mentiatur. Folia 10-14 centim. longa, 3-5 lata, petiolis ferme

2-centimetralibus. Paniculæ omnino spicatæ, floribus in verticillastra congestis, sessilibus (fortassis in aliis speciminibus inflorescentia ad paniculam veram revertitur). Calyces quam in cæteris speciebus fere duplo longiores, sub limbo nonnihil constricti, basi ventricosi, post anthesim omnino urceolati, dentibus exterioribus obsoletis. Petala lineari-lanceolata, acuta, 5 millim. circiter longa. Antheræ subulatæ. Ovarium maxima parte adhærens, 3-loculare. — In Brasilia? Nec locus nec inventor designantur.

23. Clidemia xanthocoma †.

C. fruticosa; ramis obscure tetrahedris petiolisque patentim hirsutis; foliis elliptico-ovatis breviter acuminatis basi subobtusis subacutisque integerrimis aut vix perspicue crenulatis, adjecto nervo utroque submarginali, 5-nerviis villosis; paniculis terminalibus alaribusve confertifloris hirsutie densa flavescente obductis.

Species maxime dubia nobis unico et manco specimine cognita, fortassis ad aliam transiens, nec cum *C. xantholasia* DC. et *C. botryophora* nostra affinitate carens. Rami foliosi setulis rufis aut ferrugineis hirsuti non autem hispidi. Folia ramorum infima 4 centim. longa, 2 lata, suprema inflorescentiæ vicina duplo majora, petiolis 1-2-centimetralibus. Panicula (in specimine nostro) terminalis, sed accreto ramulo axillari inter hanc et folium vicinum orto, mox futura lateralis, a medio circiter ramosa et idcirco quasi pedunculata, pauciramosa; ramis subpatulis brevibus. Flores sessiles, congesti. Calyx breviter campanulatus, hirsutie densa flavescente obsitus; dentibus exterioribus subulatis, interioribus obsoletis. Petala ovato-oblonga acuminata, 5-6 millim. longa. Antheræ subulatæ, intense purpureæ. Ovarium fere usque ad apicem adhærens, 3-4-loculare. — In Brasilia, loco ignoto; Sello. Planta ex herb. Bonplandiano.

24. Clidemia Miconiastrum †.

C. fruticosa isophylla; foliis ovato-acuminatis basi rotundatis aut vix subcordatis tenuissime serrulatis, pagina superiore setulis brevibus adpressis conspersa, inferiore hirtella; paniculis terminalibus pyramidatis confertifloris.

Specimen nostrum quod extrema pars est rami floriferi vix sufficit ut speciei characteres exprimantur, sed species ipsa ab omnibus hic descriptis distinctissima est. Folia oblongo-ovata et in acumen gradatim abeun-

tia, e longinquo fere glabra videntur, propius considerata setulas inter nervos et præcipue in marginibus ostendunt, decimetrum circiter longa sunt et 4 centim. aut paulo amplius lata, petiolis 1-1 ½-centimetralibus. Panicula terminalis pube rufescente hirtella, patentim ramosa, floribus ad apices ramulorum congestis. Calyx campanulatus, dentibus exterioribus brevibus subulatis, interioribus obtusis subobsoletis et fere inconspicuis. Petala lanceolato-acuminata, 3-4 millim. longa. Antheræ subulatæ. Ovarium ultra medium et fere usque ad apicem adhærens, 3-loculare. — In provincia Brasiliæ *Minas geraes*, loco haud indicato. Specimen, mediante clarissimo Gaudichaudio, e Musæo imp. Brasiliensi impetratum, *Cat.* n° 117.

25. CLIDEMIA AMBLYANDRA †.

C. nonnihil anisophylla ; ramis petiolisque patentim hirsutissimis rufescentibus ; foliis ovatis acuminatis basi rotundatis aut vix subcordatis denticulatis 5-7-nerviis, pagina superiore sparsim setulosa , inferiore adpresse puberula ; paniculis terminalibus sessilifloris densifloris.

Frutex nobis unico ramo cognitus, ut videtur *Clidemiæ staphidioidi* valde affinis. Rami quam in illa hirsutiores, folia autem multo minus pubentia imo et præter setulas quibus sparguntur quasi glabra. Paniculæ foliorum supremorum fere longitudine, pyramidatæ aut thyrsoideæ, confertifloræ. Calyces breviter campanulati, denticulis exterioribus brevissimis acutis, dentibus interioribus inconspicuis. Petala circiter bimillimetralia ovata acuta, sæpe lobulo minuto hinc auriculata, in flore explicato reflexa. Stamina 10 subæqualia, antheris breviusculis obtusis nonnihil recurvis luteolis, filamentis purpureis apice subulatis. Ovarium maxima parte adhærens 3-loculare. Stylus exsertus, stigmate obtusissimo. — In montibus novo-granatensibus, prope *Chachaputo;* Goudot.

26. CLIDEMIA MELANODESMA †.

C. fruticosa ; ramis petiolisque tomento ferrugineo obductis et præter tomentum hispidulis ; foliis longiuscule petiolatis ovato-ellipticis acuminatis basi obtusis subtiliter denticulatis aut subintegerrimis quintuplinerviis, pagina superiore scabrellis subglabrisve, inferiore furfuraceo-puberulis ; paniculis terminalibus pyramidatis hispidulis confertifloris.

Rami hornotini teretes, pennæ anatinæ crassitiem æmulantes, anno-

tini crassiores magis ac magis tomento et hirsutie nudati. Folia ut plurimum decimetralia, 4-5 centim. lata, nervis duobus intermediis cum medio paulo supra basim limbi coalitis et idcirco potius quintuplinervia quam quinquenervia, petiolis subteretibus 3-4-centimetralibus. Flores in extremis ramis ramulisque panicularum congesti, fere capitati, sessiles. Calyces campanulati, dentibus interioribus brevissimis obtusis, denticulis exterioribus subulatis, apice setosis et parum conspicuis. Petala lanceolata acutissima alba, 4 millim. circiter longa. Stamina 10 æqualia, antheris oblongo-ellipticis uniporosis rectis. Ovarium semiadhærens, apice setis coronatum. Stylus filiformis, stigmate obtuso punctiformi. — In montibus provinciæ *Mariquita* Novæ Granatæ, ad altitudinem 2500 metrorum; Linden, *Cat.* n° 1065.

27. Clidemia urticæfolia †.

C. anisophylla submacrophylla; ramis petiolis paniculisque hirtellis aut furfuraceis rufescentibus; foliis ovatis acuminatis basi subcordatis margine duplicato-serratis 5-nerviis puberulis; paniculis terminalibus thyrsoideis subconfertifloris; floribus omnibus breviter pedicellatis platypetalis.

Frutex erectus ramosus, ut videtur bimetralis aut altior. Folia longiuscule petiolata, in eodem jugo ut plurimum disparia, conspicue serrata, dentibus inæqualibus argutis, *Urticæ dioicæ* nostratis folia facie et magnitudine æmulantia, 6-12 centim. longa, 3-6-lata, petiolis 1-5-centimetralibus. Paniculæ in anthesi terminales, fortasse post anthesim laterales aut in dichotomia alares, pedunculatæ, ramis di-trichotomis. Flores pedicellis 1-3-millimetralibus suffulti. Calyces campanulati, dentibus interioribus subobsoletis, denticulis exterioribus brevibus sed acutis et subreflexis. Petala pro genere lata, ovata obovatave, apiculo acutissimo aut acumine donata, 4-5 millim. longa, in flore explicato reflexa, intense rosea aut purpurea. Stamina subæqualia, antheris lineari-subulatis, connectivo exappendiculato. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Fructus ut videtur baccatus subexsuccus aut omnino exsuccus, crassitudine seminis *Lathyri odorati*. — Inter saxa vulcanica montium circa *Xalapa* Imperii mexicani, ad altitudinem 2000 metrorum; Galeotti.

28. Clidemia subseriata †.

C. fruticosa nonnihil anisophylla; ramis teretibus petiolisque præter tomentum rufescens patentim hispidulis; foliis ovatis breviter acuminatis basi rotundatis margine crenulatis, pagina

superiore sparsim setulosis, inferiore puberulis, 5-7-nerviis; paniculis magnis terminalibus, ramis secundi ordinis di trichotomis, ramulis subsecundifloris; floribus sessilibus.

Dubiæ stirpis unicum specimen habentes non possumus quæstionem solvere utrum a *C. staphidioide* et *C. amblyandra* vere differat necne; illis saltem proxima est, sed quum facie peculiari gaudeat, nobis satius visum est hanc pro distincta habere quam alterutri incertam consociare. Folia longiuscule petiolata, circiter decimetralia, 5 centim. et quod excedit lata; petiolis molliter tomentosis, facie superiore setoso-hispidulis, 2-4-centimetralibus. Paniculæ ad apices ramorum terminales, nonnunquam etiam in dichotomiis alares, foliis longiores. Ramuli, ut in pluribus Miconiis, dichotomi aut trichotomi, floribus in quavis divisione seriatis secundis sed ut plurimum caducis, adeo ut ramuli paucos extremos tantum retineant et inferius nudati et articulati videantur. Calyces late campanulati, denticulis 5 exterioribus acutis parum conspicuis instructi. Petala ovato-triangularia, 3 millim. longa, pallide rosea. Stamina 10 æqualia; antheris ovoideo-oblongis, apice subacutis. Ovarium maxima parte adhærens, 3-loculare. Stylus gracilis, stigmate acuto punctiformi. -- Prope *Guayaval* in provincia *Mariquita* Novæ-Granatæ, ad altitudinem circiter 2000 metrorum; Linden.

29. Clidemia leandroides †.

C. fruticosa; ramis teretiusculis scabrellis; foliis petiolatis ovatis acuminatis basi rotundatis integerrimis, prætermisso nervo utroque marginali 3-nerviis, pagina superiore brevissime et adpresse setuloso-scabra, inferiore tomentoso-velutina; paniculis terminalibus pyramidatis densifloris pube candicante hirsutissimis.

Species ab omnibus hujus generis hic descriptis distinctissima, primo intuitu *Leandram involucratam* Mart. referens. Rami supremi subteretes setulis brevibus nonnihil asperati, pennam columbinam crassitudine æmulantes. Folia 7-9 centim. longa, 3-4 lata, petiolis circiter centimetrum longis. Paniculæ floriferæ terminales, fortassis fructiferæ in dichotomia alares aut abortu unius e ramulis axillaribus laterales, fere a basi ramosæ aut saltem breviter pedunculatæ, ramis brevibus patulis, floribus ad apices ramorum arcte glomeratis et quasi capitatis. Calyx campanulatus, setis brevibus creberrimis hirtus et fere velutinus, dentibus exterioribus subulatis, interioribus obtusis brevibus et cum prioribus coalitis. Petala ovato-acuminata, 3-4 millim. longa. Antheræ subulatæ. Ova-

rium fere omnino adhærens, 3-loculare. — In Brasilia meridionali, tractu dicto *Novo Friburgo*, haud procul ab urbe *Rio de Janeiro;* Claussen.

30. CLIDEMIA LINEATA †.

C. ramis strigillosis teretibus; foliis petiolatis oblongis elliptico-lanceolatis utrinque acutis integerrimis, pagina superiore setuloso-scabris, inferiore tomentoso-hirtellis aut velutinis, subtriplinerviis; paniculis terminalibus rufescenti-hirsutissimis, ramis patulis densifloris.

Planta primo intuitu *Leandræ scabræ* simillima, sed minus aspera et paniculis diversis donata. Folia adulta 6-8 centim. longa, 2-3 lata, petiolis circiter centimetralibus; juniora in ipsis marginibus villis rufescenti-sericeis lineata. Paniculæ terminales breviter pedunculatæ, ramis patulis, floribus ad apices ramorum congestis. Calyx campanulatus dense hirsutus rufescens, dentibus exterioribus subulatis reflexis, interioribus brevibus subobsoletis. Petala ovato-acuminata, 4 millim. longa. Antheræ crassiusculæ subulatæ, connectivo postica basi inconspicue tuberculato-calcarato. Ovarium fere omnino adhærens, 3-loculare. — In provincia Brasiliæ *Minas geraes.* Specimen nostrum mancum e Musæo imperiali Brasiliensi receptum est.

31. CLIDEMIA SYLVESTRIS. — *Leandra sylvestris* DC., *l. c.*, 124.

C. fruticosa divaricatim ramosa; ramis teretibus hirtellis; foliis petiolatis lanceolatis acuminatis basi subacutis serratis aut subintegerrimis, prætermisso utroque nervulo marginali triplinerviis, pagina superiore glabellis aut parce setulosis, inferiore villosulis; paniculis terminalibus a basi ramosis cinereo-hirtellis; floribus sessilibus, bracteolis obovatis caducis involucratis.

Species a Candollæo inter Leandras ordinata, sed Clidemiis omnibus tota fabrica conveniens. Rami supremi subgraciles hirtelli. Folia in eodem jugo non omnino æqualia, 1 decim. circiter longa, 2-4 centim. lata, interdum angustiora et utrinque acutissima, petiolis 5-15-millimetralibus. Paniculæ sessiles, id est a basi ramosæ, breviter pyramidatæ; ramis trichotomis, ramulis ut plurimum apice 3-floris; bracteis obovatis hirtellis caducis. Calycis campanulati hirtelli dentes exteriores breves, sub hirsutie cinerea aut albicante parum conspicui et quasi nulli; interiores prioribus paulo longiores. Petala anguste lanceolata acutissima, 2-3 millim. longa, alba aut rubentia. Antheræ subulatæ. Ovarium fere ad

apicem adhærens, 3-loculare. Planta exsiccata virorem cineraceum retinet. — In provinciis Brasiliæ meridionalis *Minas geraes* et *Rio de Janeiro;* Martius, Gaudichaud.

32. Clidemia claussenii †.

C. fruticosa ; ramis subteretibus ferrugineo-hirtellis ; foliis ovatis acuminatis basi rotundatis integerrimis tripli-quintuplinerviis, pagina superiore setuloso-scabridis et margine setoso-lineatis, inferiore tomentoso-hirtellis ; paniculis axillaribus terminalique hirsutissimis.

Species primo adspectu *C. marginatæ* similis, sed propter inflorescentiam ab ea valde diversa ; affinior est *C. lineatæ* et *C. microstachyæ* a quibus potissimum differt foliis ovatis nec lanceolatis. Rami hornotini pube ferruginea hirsuti, annotini glabrati aut subglabrati nigrescentes. Folia 6-8 centim. longa, 3-4 lata, petiolo circiter centimetrali. Paniculæ in eodem ramo plures, ex axillis foliorum oppositorum ortæ et terminales, thyrsoideæ, erectæ, circiter decimetrales ; ramulis apice confertifloris. Calyces campanulati hirsutissimi rufescentes, dentibus exterioribus subulatis setaceisve, interioribus subobsoletis. Petala ovato-acuminata, 4-5 millim. longa. Antheræ subulatæ. Ovarium fere omnino adhærens, 3-loculare. — In provincia *Minas geraes* Brasiliæ australis ; Claussen, *Cat.* n° 289.

33. Clidemia microstachya †.

C. fruticosa ; foliis lanceolatis acuminato-acutis basi subobtusis integerrimis, pagina superiore scabrellis, inferiore tomentoso-hirtellis, 3-nerviis ; paniculis spiciformibus brevibus terminalibus hirsutis.

Species maxime dubia, *C. lineatæ* proxima et fortassis ei consocianda, sed quantum patet e specimine manco inflorescentiæ forma discrepat. Folia subtriplinervia, id est nervis lateralibus paulo supra basim limbi cum medio coalitis, duobus aliis marginalibus prætermissis, juniora ut in præcedenti specie setoso-marginata, adulta 8-10 centim. longa, 2 lata, petiolis centimetralibus. In nostro specimine fragmenta inflorescentiæ tantum suppetunt, spicam seu spicas terminales fortassis secundifloras exhibentia. Flores sessiles inter se remotiusculi. Calyx campanulatus rufo-hirsutissimus, dentibus exterioribus interioribusque productis, tubum longitudine æquantibus et inter se connatis. Petala ovato-acuta.

Ovarium 3-loculare. Cætera deficiebant. — In insula Sanctæ Catharinæ, Brasiliæ australis; Gaudichaud.

34. Clidemia angustifolia †.

C. fruticulosa anisophylla; ramis lignosis apice tantum foliosis; foliis angustis linearibus utrinque acutis integerrimis 3-nerviis; pagina superiore, prætermisso margine utroque setoso, glaberrimis, inferiore sparsim setulosis; paniculis paucifloris terminalibus.

Quamvis incompletum sit specimen nostrum, sufficit ut species distinctissima dignoscatur. Planta videtur fruticulus 3-4-decimetralis, simplex aut parum ramosus, nisi nos decipiat specimen abortivum et terra inopi genitum. Folia in eodem jugo ut plurimum inæqualia, uno alterum triente aut etiam dimidio superante, interdum et æqualia; majora circiter 6-8 centim. longa, 1 lata, petiolis 5-12-millimetralibus. Panicula unica in specimine nostro terminalis, pedunculata, id est a media longitudine florifera, brevis et spiciformis, pedicellis 1-3-floris ex axilla bracteæ lanceolatæ setosæ ortis. Calyx oblongo-campanulatus suburceolatusque, setosus; dentibus exterioribus brevibus, interioribus obsoletis. Quamvis nec petala nec genitalia suppetant, de genere hujus speciei vix dubitamus. — In provincia *Goyaz* Brasiliæ australis, locis umbrosis, prope *La Concepção;* Weddell, *Cat.* nº 2644.

35. Clidemia multiplinervis †.

C. fruticosa macrophylla; ramis supremis subcompressis panicularum ramulis foliorumque nervis setuloso-hirtellis; foliis petiolatis ovato-ellipticis apice acuminatis basi longe angustata quasi in petiolum decurrentibus integerrimis quintupli-septuplinerviis sparsim setulosis; paniculis alaribus majusculis divaricatis; floribus ad apices ramulorum ut plurimum ternis.

Species insignis, primo intuitu ab omnibus aliis distinguenda. Folia 1 ½-2 decim. longa, 6-8 centim. lata (in specimine nostro), inferne angustata et quasi acuminata, ut in pluribus Miconiis; petiolis 2-3-centimetralibus. Calyces campanulati, dentibus exterioribus distantibus subulatis setulosis tubo paulo brevioribus, interioribus obtusis brevissimis. Petala ovata acutissima, circiter 4 millim. longa, rosea. Antheræ breves subrecurvæ, apice acutiusculæ. Ovarium adhærens, apice libero angustatum et in lacinias setiformes dissectum, 3-loculare. Stigma punctiforme. — In Republica mexicana, prope *Zacualpan;* Linden,

36. Clidemia sagittata †.

C. fruticosa ; ramis supremis subteretibus petiolisque hirto-rufescentibus ; foliis longiuscule petiolatis ovatis acuminatis basi rotundatis integris aut vix subcordatis interdumque in lobos duos acutos dissectis et quasi auriculatis, margine denticulatis, 5-7-nerviis, pagina utraque pilosis aut setulosis ; paniculis floribundis opposite ramosis ; floribus ad apices ramulorum extremorum ternis-septenis.

Species Miconias habitu quodammodo referens, illis etiam floris structura affinis. Folia adulta 12-15 centim. longa, 6-7 lata, in acumen subfalcatum gradatim attenuata, basi sæpius rotundata, nonnumquam vero expansionem limbi duplicem et sagittæ aculeos inferiores imitantem gerentia, petiolis subgracilibus 3-5-centimetralibus. Paniculæ in prima ætate fortasse terminales, mox accreto uno et altero ramo axillari alares aut, alterutro abortiente, laterales et quasi axillares. Calyces late campanulati, dentibus simplicibus brevissimis in setulam abeuntibus. Petala 2-2 ½ millim. longa, paulo minus lata, alba. Antheræ apice 1-poroso nonnihil recurvæ, luteæ. Ovarium apice liberum, 3-loculare. Stigma punctiforme. — In provincia *Oaxaca*, prope *Huatusco;* Ghiesbreght.

37. Clidemia dolichostachya †.

C. fruticosa ramosa fere glaberrima ; ramis subteretibus ; foliis petiolatis ovato-oblongis acuminato-acutis basi rotundatis integerrimis 5 nerviis, in prima juventute pulverulentis mox glabratis ; paniculis in dichotomiis ramorum alaribus necnon axillaribus productis pauciramosis ; floribus sessilibus subglomeratis.

Frutex metralis sesquimetralisve erectus ramosus fere macrophyllus. Rami obtuse tetrahedri subteretesque, glabri, dichotomi. Folia 10-15 centim. longa, 4-5 lata, marginibus nonnihil revoluta, subcoriacea (saltem in speciminibus exsiccatis), nervis intermediis cum medio paulo supra basim limbi coalitis, petiolis latere superiore pilosulis, 3-4-centimetralibus. Paniculæ haud raro axillares, sæpius tamen e dichotomiis ramorum ortæ, solitariæ aut geminatæ, pauciramosæ, hirtellæ, 1-2-decimetrales; ramis gracilibus patulis productis ; floribus ad apices ramulorum aut ad nodos ut plurimum aggregatis, albis. Calyx in anthesi oblongo-campanulatus, post anthesim urceolatus, dentibus exterioribus subulatis brevibus, interioribus obsoletis. Petala nec genitalia suppete-

bant. Ovarium ovoideum, apice obtusum, 3-loculare. Quamvis petala nec stamina vidimus, de locó speciei in systemate non dubitamus.—In locis umbrosis provinciæ *Minas geraes* Brasiliæ; Claussen, *Cat.* n° 390; Riedel, *Cat.* n° 1, anni 1839.

38. Clidemia ossæoides †.

C. glabra pro genere submicrophylla polystachya; foliis breviter petiolatis lanceolatis apice basique acutis et subacuminatis integerrimis triplinerviis; paniculis axillaribus terminalibusque paucifloris; floribus subsessilibus sæpius 5-meris.

Rami supremi graciles, subteretes aut sulcati, mature in lignum indurati, fere divaricati. Folia in eodem jugo sæpe inæqualia, fortassis rigidula et erecta, basi acuta, triplinervia, glaberrima, 5-8 centim. longa, 1 ½-2 lata, petiolis 2-5-millimetralibus. Paniculæ numerosæ erectæ, ut plurimum pedunculo gracili rigidulo suffultæ, foliis subæquilongæ, omnino paucifloræ. Flores 4-6-meri, sæpius 5-meri. Calyces campanulati, dentibus 5 interioribus denticulisque totidem exterioribus brevibus sed manifestis. Petala late lanceolata acutissima, 5 millim. longa, lilacina. Stamina æqualia, antheris lineari-oblongis. Ovarium maxima parte adhærens, 3-loculare. Stylus gracilis, stigmate punctiformi. — In provincia Venezuelæ dicta *Truxillo*, ad altitudinem circiter 2000 metrorum; Funck et Schlim, *Cat.* n° 747.

39. Clidemia chætodon. —*Spennera chætodon* DC., *l. c.*, 117.

C. fruticosa subglabra; ramis supremis compresso-teretibus lævibus nigrescentibus; foliis elliptico-lanceolatis acuminatis basi acutis integerrimis, præter nervos marginales, triplinerviis glabris; paniculis brevibus ut plurimum e dichotomia ramorum ortis, rarius axillaribus.

Rami subgraciles, lenti, internodiis elongatis. Folia sesquidecimetrum circiter longa, 4-6 centim. lata, in eodem jugo nunc æqualia nunc disparia, in acumen longum producta, nervis primariis in pagina inferiore ob colorem fuscum oculos allicientibus, lateralibus duobus cum medio circiter centimetrum supra basim coalitis, petiolis centimetralibus, latere superiore ciliatis. Paniculæ foliis duplo triplove breviores, ramis gracilibus divaricatis dichotomis, ramulis ut plurimum 3-floris. Calyx urceolatus, dentibus exterioribus subulatis reflexis, interioribus brevissimis obtusis. Petala lanceolata acuta, 2-3 millim. longa. Stamina non suppetebant Ovarium fere usque ad apicem adhærens 2-3-loculare. — In

Brasilia septentrionali, sylvis humidis umbrosisque, prope *Maynas alto;* Pœppig.

40. Clidemia cordifolia †.

C. fruticosa; ramis teretibus patentim setoso-hispidis; foliis cordiformi-ovatis breviter acuminatis crenato-denticulatis setuloso-hispidulis 5-7-nerviis; paniculis axillaribus subterminalibusque laxifloris oliganthis.

Frutex quodammodo faciem *Staphidii pauciflori* referens. Rami supremi petiolique setis patulis rigidulis hispidi, vetustiores verisimiliter glabrati. Folia in eodem jugo vix non æqualia, fere cordiformia, saltem ovata et basi profunde cordata, pagina utraque sed imprimis superiore setuloso-hispidula, 5-6 centim. longa, 4 et quod excedit lata, petiolo circiter centimetrum aut paulo amplius metiente. Paniculæ fructiferæ subnutantes; floriferæ erectiusculæ, primo intuitu terminales, attentius consideratæ ex axilla alterutrius e foliis supremis ortæ, demum accreta gemma terminali axillares, fortassis etiam vere terminales in ramis extremis, folia longitudine paulo superantes, trichotome ramosæ, hispidulæ. Calycis tubus campanulatus; dentes exteriores subulati tubum longitudine subæquantes, interiores prioribus duplo breviores et cum illis connati ideoque parum distincti. Petala ovata, longiuscule et acute acuminata, 5-6 millim. longa. Stamina æqualia; antheris subulatis, connectivo postica basi in tuberculum calcariforme productum. Ovarium fere ad apicem usque adhærens, 3-loculare. Fructus baccam *Vaccinii myrtilli* aut *Ribis nigri* crassitudine colore et forma æmulans. — In provincia Brasiliæ Sancti Pauli, loco haud indicato. Species e Musæo imp. Brasiliensi impetrata et a clar. Gaudichaudio relata, *Cat.* n° 796.

41. Clidemia debilis †.

C. suffruticosa aut fortassis subherbacea, pro genere microphylla, ramosa hirtella aut glabrata anisophylla; foliis petiolatis ovato-lanceolatis acuminatis basi subacutis aut rotundatis integerrimis ciliato-setulosis, prætermisso nervo utroque marginali 3-nerviis; paniculis brevibus spiciformibus subterminalibus pendulis; alabastris acutis.

Plantæ nobis duobus tantum et mancis quidem speciminibus cognita, indecora; ramis supremis gracilibus subteretibus, hirtellis aut glabratis. Folia in eodem jugo ut plurimum disparia, uno alterum triente aut quarta parte superante, 2-4 centim. longa, 1 ½ et quod excedit lata, petiolis

gracilibus inæquilongis 1-2-centimetralibus. Paniculæ primo intuitu terminales, sed ex ipsa axilla alterius e foliis supremi jugi ortæ et fortassis demum vere axillares, minutifloræ, nutantes, foliis ipsis breviores. Calyx campanulatus, dentibus exterioribus brevibus, interioribus obsoletis aut nullis. Petala in alabastro ovato-acuminata, alba aut fortassis pallide lutea. Antheræ ellipticæ obtusæ æquales. Ovarium semi-adhærens, 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. — In provincia Sancti Pauli Brasiliæ australis; Gaudichaud.

c. Ramifloræ. *Flores in cymas aut paniculas breves oliganthas axillaresque dispositi. Frutices hirsuti, setosi aut saltem pubescentes. — Sectio a præcedente non satis distincta.*

42. Clidemia marginata DC., *l. c.*, 156. — *Melastoma marginata* Desr. in Lamk. *Dict.*, IV, 32.

C. fruticosa isophylla; ramis supremis sulcatis scabridis, vetustioribus teretibus glabratis; foliis ovato-lanceolatis in acumen gradatim attenuatis basi obtusis integerrimis aut vix conspicue serrulatis tripli-quintuplinerviis, pagina superiore setuloso-scabris et in ipso margine setularum uberiore copia ornatis, inferiore tomentoso-hirtellis; cymis axillaribus multifloris hirsutissimis.

Species, ut apud Melastomeas prævalet consuetudo, omnibus partibus variabilis, his tamen agnoscenda characteribus: rami hornotini foliosi, raro et vix floriferi, setuloso-scabri; annotini teretes glabrati, ut plurimum floriferi, foliis sæpius destituti, pennam anserinam crassitudine circiter æquantes. Folia decimetrum sesquidecimetrumve longa, 4-5 centim. lata, in juventute potissimum linea marginali insignia, petiolis variabilibus, 1-4-centimetralibus. Cymæ ex axillis foliorum inferiorum ortæ aut supra nodos ramorum foliis delapsis superstites, petiolo ut plurimum breviores, divaricatim et trichotome ramosæ, hirsutie densa rufescente obductæ, 5-20-floræ. Calycis tubus campanulatus; dentes exteriores subulati reflexi tubum ipsum longitudine æquantes aut forte superantes, interiores brevissimi subnulli. Petala ovato-lanceolata acutissima reflexa, 4 millim. circiter longa. Stamina æqualia, antheris subulatis. Ovarium apice liberum, 3-loculare. Stylus fusiformis, stigmate punctiformi. — In Brasilia australi, prope urbem *Rio de Janeiro* et in insula Sanctæ Catharinæ frequens; Gaudichaud, Guillemin.

43. Clidemia althæoides †.

C. fruticosa; ramis teretibus ferrugineo-tomentosis; foliis submollibus longe graciliterque petiolatis ovatis oblongove-ovatis acuminatis denticulatis basi subobtusis subacutisque quintuplinerviis pagina utraque puberulis; cymis brevibus axillaribus hirsutis paucifloris.

Forma *C. marginatæ* proxima sed ab ea notis pluribus facile deprehendendis sejuncta. Utrum eam ad dignitatem speciei propriæ extollere an potius præcedenti utpote meram varietatem coadunare expediat non ex unico specimine statuendum est. Rami non ut in illa glabrati sed etiam postquam foliis nudati fuere hirsuto-tomentosi. Folia quam in *C. marginata* longius graciliusque petiolata, latius ovata, evidentius denticulata nec setarum serie in marginibus lineata, pube tantum brevi adpressa potissimum in pagina inferiore tomentum referente indutæ, in eodem jugo haud inconspicue disparia et inæqualiter petiolata, 7-10 centim. longa, 4-6 lata, petiolis 3-5-centimetralibus. Cymæ axillares trichotomæ, hirsutæ, petiolis triplo quadruplove breviores, 3-9-floræ, floribus quam in altera paulo minoribus. Calyces breviter campanulati, dentibus exterioribus subulatis reflexis, interioribus subobsoletis. Petala nec genitalia suppetebant. Fructus submaturi globosi, semen cannabinum paulo superantes. — In Brasilia australi, prope urbem *Rio de Janeiro;* Gaudichaud, *Cat.* n° 723.

44. Clidemia amygdaloides DC., *l. c.*, 156.

C. fruticosa ramosa isophylla rufescens; foliis lanceolato-oblongis acuminatis basi subacutis integerrimis, adjecto nervo utroque marginali quintuplinerviis, pagina superiore setulis adpressis conspersa, inferiore molliter villoso-hirtella; cymis axillaribus hirsutissimis ferrugineis paucifloris, formam paniculæ brevis depauperatæ haud raro usurpantibus.

Species polymorpha inter *C. marginatam* et *C. salicifoliam* fere media. Rami foliosi floriferique ferrugineo-hirsuti, juniores obtuse tetragoni et sulcati, vetustiores subteretes et pubem magis ac magis exuentes. Folia in eodem jugo vix non æqualia, magis minusve elongata, *Amygdali communis* folia quodammodo referentia, 6-10 centim. longa, 1 ½–2 lata, petiolo centimetrum et quod excedit longo. Cymæ floriferæ in ramulis foliosis axillares, fructiferæ super nodos ramorum vetustiorum foliis delapsis superstites, dense et molliter hirsutæ, pedunculatæ, petiolo

ut plurimum longiores, 3-9-floræ, interdum elongatæ et paniculam parvam simulantes. Calyx breviter campanulatus, dentibus exterioribus angustis subulatis reflexis, tubum longitudine æquantibus, interioribus obsoletis. Petala lanceolata acuta, 3 millim. circiter longa. Antheræ breviusculæ subulatæ. Ovarium apice libero villosulum, 3-loculare. Stylus filiformis, apice acutus, stigmate punctiformi. Fructus submaturi piso minores. Variat ramis hirsutissimis et subglabris, cymis productioribus et contractioribus necnon foliis latioribus et angustioribus. — In provinciis *Rio de Janeiro* et *Minas geraes* Brasiliæ meridionalis; occurrit et in insula Sanctæ Catharinæ; Gaudichaud.

45. Clidemia salicifolia †.

C. fruticosa; ramis teretibus gracilibus elongatis hirtellis; foliis angustis lanceolatis acuminatis basi acutis integerrimis subtriplinerviis, pagina superiore sparsim setulosa et subglabrata, inferiore hirtella; cymis axillaribus graciliter ramosis hispidulis paucifloris.

Rami pennam columbinam rarove anserinam crassitudine æquantes, pube patula rufescente aut ferruginea hispiduli, teretes aut in summitatibus plantæ sulcati. Folia fere lineari-lanceolata, salicum quarumdam folia referentia, ferme decimetrum longa, centimetrum et quod excedit lata, in eodem jugo non semper æqualia, nervis duobus lateralibus paulo supra basim cum medio coalitis et idcirco triplinervia, petiolis 5-10-millimetralibus. Cymæ floriferæ axillares, formam paniculæ laxifloræ oliganthæ haud raro usurpantes, setulis patentibus hispidulæ, folio ipso ferme dimidio breviores; ramulis filiformibus ut plurimum monanthis; floribus alaribus subsessilibus, lateralibus longiuscule pedicellatis. Calyx breviter campanulatus, dentibus exterioribus subulatis tubum longitudine æquantibus, interioribus obsoletis. Petala ovato-acuminata aut lanceolata, 2 millim. fortassis longa. Fructus nondum maturi semine cannabino paulo minores. Species non caret affinitate cum *C. amygdaloide* sed distinctissima videtur. — In Brasilia australi, prope *Rio de Janeiro*, Gaudichaud; hanc etiam habemus ex herbario Bonplandiano, sed locus natalis non indicatur.

46. Clidemia quadrisulca †.

C. fruticosa; ramis subteretibus petiolis paniculisque molliter hirsutis rufescentibus quadruplici linea longitudinaliter notatis; foliis petiolatis ovatis acuminatis serratis basi rotundatis

quinque-quintuplinerviis, pagina superiore setulosis, inferiore puberulis; paniculis axillaribus divaricatis graciliter ramosis, ramis secundifloris.

Species inflorescentia ad præcedentes nonnihil accedens, toto habitu vero ab illis remotissima, *C. sulcicaulem* contra in mentem revocans. Rami supremi, qui soli suppetunt in specimine nostro, teretiusculi, molliter hirsuti, sulco parum profundo glabro quadrifariam lineati. Folia in quovis jugo subæqualia, 7-9 centim. longa, 4-5 lata, nervis rufescentibus in pagina superiore maxime conspicuis, intermediis cum medio paulo supra basim coalitis; petiolis sesqui-bicentimetralibus. Paniculæ in axillis foliorum oppositorum solitariæ, pauciramosæ, horizontaliter dejectæ, folio ipso vix breviores; ramis patulis gracilibus secundifloris; floribus subsessilibus. Calycis tubus campanulatus; dentes exteriores breves subulati erecti, interiores obsoleti. Petala ovato-acuminata aut potius lanceolata acuta, 3 millim. circiter longa. Antheræ minus subulatæ et magis lineares quam in aliis speciebus. Ovarium usque ad medium adhærens, apice villosulum. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. — In Peruvia, prope urbem *Lima;* Cl. Gay,

III. — CLIDEMIOPSIS.

Species multiformes, a prioribus habitu nonnunquam discedentes sed propriis characteribus Clidemiæ donatæ. Propter diversitatem habitus imo et florum fabricæ in plures sectiones iterum dividentur. Ovarium ut in præcedentibus 3-loculare. Sectio fortassis delenda et ejus species in priorem distribuendæ.

a. LEPTOCLADIUM. *Paniculæ terminales aut fortassis axillares et subterminales. Calyces oblongi, in anthesi et post anthesim urceolati, dentibus brevissimis. Frutex aut suffrutex graciliter ramosus, anisophyllus. Ovarium* 3-*loculare.*

47. CLIDEMIA HETEROCLITA †.

C. suffruticosa? anisophylla; ramis supremis gracilibus nodosis hirtellis; foliis mollibus ovatis acuminatis tenuissime denticulatis basi rotundata nonnihil inæquilateris 5-nerviis parce setulosis; paniculis gracilibus pauciramosis paucifloris axillaribus subterminalibusque.

Species heteroclita a reliquis Clidemiis diversissima, nobis propter paucitatem et defectum speciminum imperfecte cognita. E summitatibus plantæ quæ nos penes sunt dijudicare non possumus utrum frutex an

suffruticulus sit. Rami supremi penna columbina graciliores, pilis adenophoris patulis hirtelli. Folia in eodem jugo maxime disparia et inæqualiter petiolata ; majorum limbo 10-12 centim. longo, 4-5 lato, minorum duplo aut etiam triplo breviore et angustiore ; petiolis 1-2-centimetralibus. Paniculæ foliis majoribus breviores , graciles , pauciramosæ, interdum spiciformes, pilis glanduliferis hirtellæ. Flores breviter pedicellati aut subsessiles. Calycis tubus oblongus suburceolatus ; dentes exteriores breves subulati setulosi, interiores subobsoleti vix perspicui. Petala nobis non reperta nec cognita. Antheræ subulatæ. Ovarium usque ad apicem adhærens, 3-loculare. An vere ad Clidemiam pertineat, haud omnino certum est. — In Guyana batavica , prope *Surinam ;* Hostman , *Cat.*, n° 1129.

b. CHÆTOPETALUM. *Paniculæ axillares. Petala longe aristata. Ovarium 3-loculare.*

48. CLIDEMIA ARISTIGERA †.

C. fruticosa ramosa macrophylla anisophylla ; ramis subteretibus petiolis paniculisque patentim hirsutis ; foliis ovatis acuminatis, basi rotundatis aut vix cordatis, margine sinuato-dentatis, 5-nerviis, sparsim pilosis ; paniculis axillaribus erectis folio brevioribus ; petalis aristatis.

Frutex habitus decore et petalorum peculiari indole inter omnes hujus generis insignis, setis patulis apice ut plurimum adenophoris hirtus aut etiam hispidulus. Folia nunc in eodem jugo subæqualia , nunc maxime disparia , sesquidecimetrum et amplius longa , fere decimetrum lata , sparsim pilosa aut subglabrata, limbo ad basim inter nervos medios nonnihil ut in Tococis tumido, petiolo 2-4-centimetrali. Paniculæ in alterna foliorum oppositorum axilla solitariæ, pyramidatæ , ramulis trichotomis , apice plerumque trifloris , floribus brevissime pedicellatis. Calyces oblongi ; dentibus exterioribus angustis subulatis, interioribus obsoletis. Petala ovato-oblonga acuta, aristam cum nervo dorsali continuam, paulo infra apicem natam, pilis glanduliferis ornatam et petalum ipsum multo superantem gerentia, 7-8-millim. longa. Antheræ æquales subulatæ. Ovarium apice liberum 3-loculare. Stylus filiformis , stigmate punctiformi. — In Peruvia prope civitatem *Lima ;* Claude Gay.

c. MICROPETALUM. *Paniculæ terminales aut subterminales. Calyx campanulatus ferme anodon. Petala minuta, pro genere lata, rhombeo-acuta. Ovarium liberum 3-loculare. Habitus et fere flores Tschudyæ.*

49. CLIDEMIA MICROPETALA.

C. fruticosa macrophylla anisophylla micrantha villoso-hirsuta; ramis teretibus petiolisque patentim hirsutissimis; foliis mollibus ellipticis obovatove-ellipticis acuminatis basi acutis aut obtusis vix non integerrimis, adjecto nervo utroque marginali 5-nerviis, villosis; paniculis terminalibus subterminalibusve divaricatis laxifloris.

Rami foliosi subgraciles, penna anatina vix crassiores. Folia in eodem jugo ut plurimum maxime disparia, rarius subæqualia; majora 1 ½-2 decim. longa, 7-9 centim. lata, petiolis sesquicentimetralibus; minora præcedentibus haud raro duplo triploque breviora et angustiora, petiolis etiam brevioribus. Paniculæ ex axillis foliorum supremorum ortæ, quasi terminales et geminatæ, fortassis etiam vere axillares et solitariæ, trichotome aut verticillatim ramosæ, hirsutæ, ramis gracilibus patulis divaricatisque 1-3-floris. Calyx campanulatus, pube glandulifera hirtellus, dentibus obsoletis. Petala minuta rhombeo-acuta glanduloso-ciliata, ½ millim. longa et lata. Antheræ subulatæ subsigmoideæ. Ovarium ovoideum, liberum, apice laciniato-setosum, 3-loculare. Fructus nondum maturi globosi, semine cannabino minores. — In provincia *Para* Brasiliæ septentrionalis, prope *Obidos*. Ex herbario clar. Spruce.

d. MICRODENDRON. *Paniculæ axillares graciles pendulæ. Calycis campanulati dentes interiores membranacei obovato-rotundati exterioribus fere tuberculiformibus multo majores. Antheræ ellipticæ subobtusæ. Ovarium 3-loculare.*

50. CLIDEMIA DENDROIDES.

C. fruticosa ramosissima pro genere macrophylla lutescens; ramis hornotinis hirsutis, vetustioribus excoriatis; foliis breviter petiolatis elliptico-ovatis subacutis subobtusisque integerrimis 3-5-nerviis, pagina superiore setuloso-scabris, inferiore hirtellis; paniculis numerosis axillaribus brevibus paucifloris, bracteolis spathulatis intermixtis.

Frutex fortasse metralis, nulli hujus generis affinis arbusculamque

forma referens, ramis lignosis subtortuosis divaricatisve. Folia breviter elliptica, ovata aut etiam obovata, sæpius subobtusa, interdum fere rotundata et obtusissima, 2-3 centim longa, 1-2 lata, petiolis 3-5-millimetralibus. Paniculæ in ramulis supremis axillares, folium longitudine æquantes aut paulo superantes, hirtellæ, graciliter et divaricatim ramosæ, ad articulationes et sub floribus bracteolis spathulatis instructæ. Calyx late campanulatus, dentibus exterioribus tuberculiformibus vix conspicuis, interioribus multo majoribus mollibus obovatis ciliolatis. Petala 3-millim. longa, lanceolato-acuta, fortassis flavicantia. Antheræ elliptico-oblongæ obtusæ. Ovarium semiadhærens ovoideum pilosulum 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus submaturi globosi, crassitudine circiter seminis cannabini. Herba exsiccata lutescit. — In Brasilia australi, Martius, *Herb.*, n° 934; provincia *Minas geraes*, Claussen, *Cat.*, n° 1662.

e. LEIOPHYLLUM. *Paniculæ axillares erectæ aut pendulæ. Calycis campanulati dentes exteriores erecti acuti, interiores subnulli inconspicui. Antheræ subulatæ. Frutices glabri aut vix pulverulenti; foliis subcoriaceis oppositis nec verticillatis. Ovarium 3-loculare.*

51. CLIDEMIA CORIACEA †.

C. fruticosa glabra aut glabrata; ramis supremis alternatim hinc et inde compressis, vestutioribus teretiusculis; foliis petiolatis erectis coriaceis rigidis ovatis apice mucronulatis integerrimis 5-nerviis; paniculis axillaribus brevibus paucifloris haud raro in cymas 3-9-floras mutatis.

Rami glaberrimi, eo minus compressi quo vetustiores sunt, ad nodos quasi articulati. Folia in prima juventute pube pulverulenta tenui afflata, mox omnino glabrata, 5-7 centim. longa, 3 lata, petiolis sesquicentimetralibus. Paniculæ in axillis foliorum solitariæ, folio ipsi æquilongæ aut paulo breviores, trichotome ramosæ, ramis complanatis 1-3-floris, bracteolis minutis subulatis ad articulationes instructæ. Calyx oblongo-campanulatus, dentibus exterioribus brevibus, interioribus obsoletis, tubo striato. Petala lanceolato-ovata acutissima, 2 millim. circiter longa. Stamina subæqualia, antheris subulatis. Ovarium semi-adhærens, apice umbilicatum, 3-loculare. Fructus submaturi globosi, semen *Lathyri odorati* crassitie æquantes. — In provincia Brasiliæ *Minas geraes;* Claussen, *Cat*,, n° 144 anni 1843, necnon n° 9 anni 1841.

52. Clidemia penduliflora †.

C. fruticosa ramosa subglabra lutescens; ramis teretibus; foliis subcoriaceis elliptico-obovatis utrinque acutis integerrimis trinerviis triplinerviisque; paniculis brevibus axillaribus ut plurimum nutantibus aut pendulis, bracteolis linearibus intermixtis.

Frutex forte metralis aut sesquimetralis subarboriformis, superne foliosus, exsiccatus lutescens, ramis vetustioribus excoriatis. Folia apice in acumen breve producta, basi gradatim attenuata acuta, in ramis primariis quam in secundariis majora, 3-5 centim. longa, 1 ½-2 lata, petiolis 3-5-millimetralibus. Paniculæ ex axillis foliorum ortæ, erectæ aut pendulæ, folio ipso subæquales interdumque longiores. Calycis tubus campanulatus, dentes simplices (id est dentibus interioribus evanidis) subulati acutissimi. Petala 2-3 millim. longa, ovato-acuminata acutissima. Antheræ breviusculæ subulatæ. Ovarium semi-adhærens 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. In provincia Brasiliæ *Minas geraes*, locis dictis *Caxoeira;* Claussen, *Cat.* n° 139 anni 1843.

53. Clidemia cinnamomifolia. — *Chrysophora cinnamomifolia Herb. Berol.*

C. fruticosa ramosa pendulifolia, tota pulvere tenuissimo afflata, cæterum glaberrima; ramis supremis hinc inde compressis; foliis ovato-lanceolatis utrinque acutis integerrimis triplinerviis subcoriaceis; paniculis numerosis axillaribus quam folia brevioribus ut plurimum nutantibus.

Rami superne foliosi et floriferi, inferne denudati, in apicibus plantæ potissimum pulverulenti. Folia circiter 5 centim. longa, 2-3 lata, petiolis centimetralibus. Paniculæ in axillis foliorum geminatæ aut solitariæ, graciliter ramosæ, ad nodos et sub floribus bracteolis minutis subulatis instructæ, floribus pedicellatis. Calycis tubus campanulatus; dentes exteriores triangulari-acuti, interiores obsoleti aut nulli. Petala ovato-acuminata aut lanceolata acutissima, 3 millim. circiter longa, patula. Antheræ subulatæ æquales. Ovarium semi-adhærens ovoideum 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. — In montibus Brasiliæ australis dictis *Serra do Piedade;* Claussen, *Cat.*, n° 217, anni 1843. Hanc etiam habemus ex herbario Berolinensi.

f. Verticillaria. *Paniculæ breves terminales. Calycis campanulati dentes exteriores breves acuti erecti, interiores inconspicui. Antheræ subulatæ. Frutex cinereo-pulverulentus, foliis ternato-verticillatis. Ovarium 3-loculare.*

54. Clidemia euphorbioides †.

C. fruticosa, pro genere microphylla, pendulifolia, tota pulvere tenuissimo candicante afflata cæterum glaberrima; caulibus gracilibus erectis superne ramosis et floribundis; folis ternatis brevissime petiolatis ovatis suborbicularibusve obtusis aut subacutis integerrimis; paniculis brevibus, ad apices ramorum aggregatis subumbellatis, sæpe nutantibus.

Fruticulus elegantissimus Euphorbiacearum quarumdam habitum præbens, foliis ternato-verticillatis inter cæteras Clidemias egregius, fortasse multicaulis. Caules teretes erecti, fere a basi foliosi, penna anatina vix crassiores, internodiis quam folia paulo longioribus aut iis subæquilongis. Folia 1 ½-2 centim. longa, 1- 1 ½ lata, petiolis circiter millimetralibus. Paniculæ terminales, ab ipsa basi ramosæ et idcirco paniculas multiplices umbellatim dispositas mentientes; ramulis gracilibus patulis aut pendulis, apice ut plurimum trifloris; bracteolis minutis subulatis. Calycis tubus campanulatus; dentes exteriores breves subulati, interiores obsoleti. Petala lineari-lanceolata acutissima reflexa 3-4 millim. longa. Antheræ subulatæ æquales. Ovarium fere usque ad apicem adhærens, 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus submaturi globosi semen *Lathyri odorati* crassitie æquantes. — In provincia Brasiliæ *Minas geraes* et *Serra de Chapada*, Riedel; et in aliis locis ejusdem provinciæ, Claussen.

g. Oxymeris. *Paniculæ terminales. Calycis dentes exteriores breves tuberculiformes callosi cum interioribus vix perspicuis connati. Antheræ ellipticæ subobtusæ. Ovarium 3-loculare.*

55. Clidemia quinquenodis. — *Oxymeris quinquenodis* Mart. *Nov. gen. et spec.*, III, 158, tab. 285. — DC., *l. c.*, 190.

C. fruticosa subarboreave glaberrima pauciramosa dolichophylla; ramis subteretibus superne sulcatis; foliis petiolatis lanceolatis utrinque acutis integerrimis 3-nerviis; paniculis terminalibus pyramidatis.

Frutex magnus 2-4-metralis, ramis supremis subvirgatis obtuse

4-gonis quadrisulcatis, veterioribus teretiusculis. Folia etiam in speciminibus exsiccatis lætum virorem retinentia, sesquidecimetrum longa, 2 ½-4 centim. lata, petiolis 1-2-centimetralibus. Paniculæ laxiusculæ, trichotome ramosæ, ad nodos et sub floribus bracteolis minutis linearibus instructæ. Calyces campanulati aut turbinati; dentibus exterioribus brevibus callosis et quasi brevissime spathulatis, interioribus obsoletis nec a prioribus distinctis. Petala ovato-acuta, 3-millim. circiter longa, alba. Antheræ æquales breviusculæ ellipticæ subtriquetræ. Ovarium paulo supra medium adhærens ovoideum 3-loculare. Stylus filiformis apice subulatus, stigmate punctiformi. — In variis locis provinciæ *Minas geraes* Brasiliæ australis, Claussen; necnon in montibus dictis *Serra da Caraça*, Martius.

56. Clidemia acutiflora †.

C. fruticosa glaberrima nonnihil anisophylla; foliis petiolatis ovato-ellipticis integerrimis utrinque acuminatis, prætermisso nervo utroque marginali, triplinerviis; paniculis terminalibus pyramidatis laxifloris.

Species præcedenti florum fabrica affinis, habitu foliorum diversa. Rami supremi subteretes sulcati. Folia 7-8 centim. longa, 2-3 lata, nervis lateralibus e medio paulo supra basim limbi ortis, petiolis gracilibus 1-2-centimetralibus. Paniculæ rami primarii graciles trichotomi subpatuli, ad nodos bracteolis vix conspicuis subulatis instructi; ramuli extremi ut plurimum 3-flori, alabastris acutis. Calyx turbinatus, dentibus exterioribus brevissimis callosis, interioribus inconspicuis aut nullis. Petala lanceolato-acutissima, 3-4 millim. longa, alba. Antheræ ellipticæ subacutæ æquales. Ovarium semiadhærens ovoideum 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. — In montibus dictis *Serra dos Orgâos*, haud procul ab urbe *Rio de Janeiro;* Vauthier.

h. Synodon. *Paniculæ terminales. Calycis dentes triangulari-acuti tubo longitudine subæquales, ex interioribus membranaceis et exterioribus subulatis sibi invicem applicatis et connatis constantes. Antheræ elliptico-subulatæ. Ovarium* 3*-loculare.*

57. Clidemia sulfurea †.

C. fruticosa; ramulis supremis apice dense foliosis petiolis calycibusque pube stellata pulverulentis; foliis petiolatis ovato-lanceolatis acuminatis integerrimis revolutis 3-nerviis, pagina

superiore glaberrima aut glabrata, inferiore pubem stellatam paucam retinente; paniculis terminalibus parvis contractis densifloris.

Rami annotini foliis denudati et glabrati, ad nodos tumidi, tortuosi, saltem non in virgam producti ut in *C. quinquenodi* et *C. acutiflora* quibus prima fronte affinis videtur. Folia circiter 4 centim. longa, 1-½ lata, in specimine exsiccato flavescentia, petiolis ½-1-centimetralibus. Paniculæ terminales, foliis supremis subæquilongæ, ramulis brevibus apice ut plurimum 3-floris, floribus sessilibus. Calycis tubus turbinatus; dentes triangulari-acuti, primo intuitu simplices sed attentius considerati e duobus sibi invicem applicatis et connatis constantes, interiore triangulari-acuto, exteriore nerviformi et interiorem paulo superante. Petala ovato-acuminata, 5 millim. longa, flava aut flavicantia (saltem in specimine exsiccato nostro). Antheræ æquales ellipticæ subacutæ recurvæ. Ovarium semiadhærens 3-loculare, stylo exserto filiformi, stigmate acuto. — In montibus Brasiliæ dictis *Serra dos Orgâos*, haud procul ab urbe *Rio de Janeiro;* Guillemin, *Cat.* n° 947.

i. Haplodon. *Paniculæ terminales breves. Calycis tubus campanulatus, dentes simplices triangulari-acuti. Antheræ lineares aut lineari-subulatæ. Ovarium 3-loculare. Frutices exsiccati nigrescentes.*

58. Clidemia strigilliflora †.

C. fruticosa trichotoma ramosa isophylla et anisophylla; foliis ovatis acuminatis basi rotundatis interdumque subacutis integerrimis quintuplinerviis, pagina utraque strigis adpressis conspersa; paniculis terminalibus brevibus longiramosis trichotomis, ramulis extremis ut plurimum 3-floris; calycibus strigillosis.

Rami teretes ut cæteræ partes plantæ strigis adpressis scabrelli trichotomi subpatuli. Folia in iisdem jugis æqualia aut parum inæqualia, marginibus ciliato-strigosa et strigis adpressis haud omnino crebris conspersa; nervis intermediis fere centimetrum supra basim limbi cum medio coalitis; limbo 7-12 centim. longo, 4-6 lato; petiolis 1-3-centimetralibus Panicularum rami graciles divaricati subpatentes, ad nodos et sub floribus bracteolis minutis subulatis setosisque instructi, floribus subsessilibus. Calycis tubus campanulatus, setis strigiformibus adpressis armatus; dentes triangulari-acuti tubum subæquantes. Petala angusta linearia acuta, ferme 5 millim. longa. Antheræ æquales, lineari subulatæ.

Ovarium basi adhærens, globosum, apice angustatum, 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. — In Brasilia australi, prope urbem *Rio de Janeiro;* Gaudichaud, Lalande.

59. Clidemia rhamnifolia †. — *Chrysophora secundifolia* in *Herb. Berol.*

C. fruticosa; ramis gracilibus teretibus radicantibus; foliis longiuscule petiolatis late ovatis breviter acuminatis basi subacutis integerrimis quintuplinerviis, pagina superiore setulis adpressis conspersa, inferiore subglabra; paniculis terminalibus brevibus trichotomis, ramulis extremis subsecundifloris; calycibus setoso-hirsutis.

Frutex fortasse scandens aut humifusus, ramis lentis radicantibus sparsim setulosis demumque glabratis, internodiis elongatis. Folia in eodem jugo nunc æqualia nunc inæqualia, 5-7 centim. longa, 3-4 lata, petiolis 1-4-centimetralibus. Paniculæ terminales breves pyramidatæ setulis rufis villosæ, ramulis dichotomis apice subsecundifloris, floribus sessilibus. Calyx campanulatus breviter 5-dentatus. Petala lanceolato-acuta, 3-4 millim. longa. Antheræ lineari-subulatæ æquales. Ovarium fere usque ad apicem adhærens 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. — Plantæ patria nobis ignota quam vero e Brasilia aut e Guyana oriundam suspicamur.

Var. β. macrodon, priori simillima, si ex unico specimine judicandum est, sed dentibus calycinis duplo majoribus distincta. — In Guyana anglica prope *Roraima;* Schomburg, *Cat.* n° 66.

60. Clidemia divaricata †.

C. fruticosa erecta aut saltem adscendens ramosa; ramis junioribus adpresse setoso-strigillosis, vetustioribus glabratis teretibus; foliis petiolatis ovatis breviter acuminatis basi obtusis interdumque subacutis tenuissime et obsolete denticulatis quintuplinerviis setulosis; paniculis terminalibus brevibus divaricatim ramosis, ramis secundifloris; floribus sessilibus rufo-villosis.

Species præcedenti affinis sed pluribus characteribus distincta. Erectior et robustior videtur, ramis minus elongatis nec radicantibus (saltem in specimine nostro), foliis brevius petiolatis et paulo minoribus, sed præsertim paniculis multo latioribus. Folia circiter 5-6 centim. longa, 2 $\frac{1}{2}$-3 lata, petiolis 1-$\frac{1}{2}$ centimetralibus. Panicularum ramuli elongati,

ut plurimum dichotomi, a dichotomia secundiflori et articulati, floribus inferioribus caducis sæpius orbi, apicales autem retinentes. Calyx campanulatus, dentibus tubo vix brevioribus. Petala angusta linearia apice acuta 3 millim. longa. Antheræ lineares æquales. Ovarium semiadhærens 3-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. — In Guyana anglica; Schomburgk, *Cat.* n° 897.

Species addendæ sed non omnes certissimæ, quædam fortassis etiam sub aliis nominibus descriptæ.

61. C. AGGREGATA Don., *l. c.* — DC., *l. c.* 156.

62. C. CONFERTIFLORA DC., *l. c.*, 156.

63. C. RETROPILA DC., *l. c.*, 156.

64. C. BRACHYSTACHYA DC., *l. c.*, 156.

65. C. SPICIFORMIS DC., *l. c.*, 160.

66. C. RHODOPOGON DC., *l. c.*, 163. — Mart. *Nov. gen.*, tab. 282.

67. C. XANTHOLASIA DC., *l. c.*, 163.

68. C. LONGIBARBIS DC., *l. c.*, 163.

69. C. STENOPETALA DC., *l. c.*, 163.

70. C. GLOMERATA DC., *l. c.*, 163.

71. C. NIANGA DC., *l. c.*, 163.

72. C. FALLAX Cham. *Linn.* X, 41.—Walp. *Repert.*, II, 138.

73. C. AUSTRALIS Cham., *l. c.*, — Walp., *l. c.*

74. C. OLIGOCHÆTA Cham., *l. c.*, 45. — Walp., *l. c.*

75. C. AUREA Cham., *l. c.*, — Walp., *l. c.*

76. C. ATRATA Spring, *Flora* XX, vol. II, p. 78.—Walp., *l. c.*

77. C. ALPESTRIS Gardner in Hook. *London. journ. of bot.*, t. IV, p. 101.

78. C. HETEROBASIS DC., *l. c.*, 164.

79. C. INTERMEDIA DC., *l. c.*, 164.

80. C. SECUNDIFLORA DC., *l. c.*, 164.

81. C. ANISOPHYLLA DC., *l. c.*, 161.

82. C. DEPAUPERATA DC., *l. c.*, 161. — *C. paupercula* DC. in *Herb.* Rich.

83. C. BIFARIA Rich. *Herb.* — Species *C. sulcicauli* aliisque affinibus proxima.

84. C.? SECUNDA Don, *l. c.* — DC., *l. c.*, 164.

85. C. QUINQUEDENTATA. —*Oxymeris quinquedentata* DC., *l. c.*

86. C. CUNEATA. — *Oxymeris cuneata* Mart., *Flora* XXIV.

87. C. MARTII. —*Oxymeris ciliata* Mart., *Flora*, *l. c.*

88. C. VELUTINA. —*Oxymeris velutina* Gardn., *l. c.*, II, 347.

89. C. MACROPHYLLA. — *Oxymeris macrophylla* Benth. *Bot. of Belch*, 95.

90. C. ? AURICOMA. —*Leandra auricoma* Spring, *Flora* XX, vol. II, p. 74.

91. C. CHAMISSOIS.—*Leandra ciliata* Cham. *Linnæa* X, p. 36.

Species e descriptionibus incompletis aut infidelibus minime dignoscendæ et ad alia genera partim ut videtur removendæ :

92. C. ERYTHROPOGON DC., *l. c.*, 157.

93. C. EPIBATERIUM DC., *l. c.*, 157.

94. C. BLEPHARODES DC., *l. c.*, 158.

95. C. DENTATA DC., *l. c.*, 158.

96. C. JAPURENSIS DC., *l. c.*, 159.

97. C. DEPENDENS Don., *l. c.* — DC., *l. c.*, 160.

98. C. CERAMICARPA DC., *l. c.*, 160.

99. C. VERTICILLATA DC., *l. c.*, 160.

100. C. DICHOTOMA Don., *l. c.* — DC., *l. c.*, 160.

101. C. PILOSA Don., *l. c.* — DC., *l. c.*, 160.

102. C. TRICHODES DC,, *l. c.*, 161.

103. C. APTERA DC., *l. c.*, 161.

104. C. PURPURASCENS DC., *l. c.*, 161.

105. C. CARASSANA DC., *l. c.*, 162.

106. C. INÆQUALIFOLIA DC., *l. c.*, 164. — Forte eadem est ac *C. anisophylla* ejusdem auctoris.

107. C. TETRAQUETRA Cham. *Linn.* X, 42.—Walp., *Repert.*, II, 138.

108. C. RARIFLORA Benth. in Hook. *Lond. journ. of bot.*, II, 308. — Walp., *l. c.*, 139. — Nonne potius Tschudyæ species?

109. C. CAMPESTRIS Benth., *l. c.* — Walp., *l. c.*

110. C. MICONIOIDES Benth., *l. c.* — Walp., *l. c.*

111. C. MACULATA Benth., *l. c.* — Walp., *l. c.*

112. C. LEPTOSTACHYA Gardner in Hook. *Lond. journ. of bot.*, I, 172. Walp., *l. c.*

113. C. INOPOGON Mart. *Flora* XX. — Walp., *l. c.*

114. C. DISPAR Gardn. in Hook. *Lond. journ of bot.*, II, 345. — Walp., *l. c.*

115. C. SCANDENS Gardn., *l. c.*, 346. — Walp., *l. c.*

116. C. HETEROPHYLLA Steud. *Flora* XXVI, 721.—Walp., *l. c.*

117. C. CYANOCARPA Benth. in *Bot. of Belch.*, 94.— Walp., *l. c.*

118. C. RENGGERI Steud. *Flora* XXVII, 721. — Walp., *l. c.*

119. C. FENESTRATA Benth. in *Bot. of Belch.*, 94.—Walp., *l. c.*

120. C. BARBINERVIS Benth., *l. c.* — Walp., *l. c.*

121. C. GLABRIFLORA Presl., *Bot. Bemerkung.*, 79.—Walp., *l. c.*

122. C. LEPTOCLADES Crüger, *Linnæa* XX, 103.—Walp., *l. c.*

123. C. ANISOTRICHA Walp.? *l. c.*, 135. — *Melastoma anisotrichum* Schlecht. *Linnæa* XIII, 427.

124. C. LAXIFLORA Walp.? *l. c.*, 135.—*Melastoma laxiflorum* Schlecht., *l. c.*, 426.

Species exclusæ :

C. rubra Mart. *Nov. gen. et spec.*, tab. 281. — STAPHIDIUM RUBRUM.

C. sericea Don., *l. c.* — DC., *l. c.* — TOPOBÆA??

C. conglomerata DC., *l. c.* — STAPHIDIUM CONGLOMERATUM.

C. ciliata Don, *l. c.* — DC., *l. c.* . . . .

C. capillaris Don, *l. c.* — DC., *l. c.* . . . . . .

C. petiolata DC., *l. c.* — STAPHIDIUM? PETIOLATUM.

C. hirta Don., *l. c.* — DC., *l. c.* — STAPHIDIUM ELEGANS.

C. pauciflora DC., *l. c.* — STAPHIDIUM PAUCIFLORUM.

C. crenata DC., *l. c.* — STAPHIDIUM PAUCIFLORUM.

C. elegans DC., *l. c.* — STAPHIDIUM ELEGANS.

C. tiliæfolia DC., *l. c.* — STAPHIDIUM? TILIÆFOLIUM.

C. urceolata DC., *l. c.* — STAPHIDIUM URCEOLATUM.

C. bullosa DC., *l. c.* — STAPHIDIUM BISERRATUM?

C. biserrata DC., *l. c.* — STAPHIDIUM BISERRATUM.

C. umbonata DC., *l. c.* — STAPHIDIUM BISERRATUM?

C. purpurea Don, *l. c.* — DC., *l. c.* — STAPHIDIUM PURPUREUM.

C. plumosa DC., *l. c.* — SAGRÆA PLUMOSA.

C. latifolia DC., *l. c.* — STAPHIDIASTRUM LATIFOLIUM.

C. diversifolia DC., *l. c.* — STAPHIDIUM DIVERSIFOLIUM.

C. spicata DC., *l. c.* — STAPHIDIUM SPICATUM.

C. pustulata DC., *l. c.* — STAPHIDIUM SPICATUM.

C. strigillosa DC., *l. c.* — STAPHIDIUM SPICATUM.

C. capitellata DC., *l. c.* — STAPHIDIUM SPICATUM.

C. neglecta Don., *l. c.* — DC., *l. c.* . . . .

C. astrotricha DC., *l. c.* — STAPHIDIUM? ASTROTRICHUM.

C. biseptena DC., *l. c.* — CLIDEMIASTRUM BISEPTENUM.

C. berbiceana DC., *l. c.* — MICONIA BERBICEANA.

C. agrestis DC. *l. c.* — STAPHIDIUM ? AGRESTE.

C. reversa DC., *l. c.* — STAPHIDIUM? REVERSUM.

C. lima DC., *l. c.* — SAGRÆA LIMA.

C. bracteata DC., *l. c.* — STAPHIDIUM TRISTE.

C. mutabilis DC., *l. c.* — STAPHIDIUM MUTABILE.

C. lappacea DC., *l. c.* — STAPHIDIUM LAPPACEUM.

C. violacea DC., *l. c.* — MICONIA SPONDYLANTHA.

C. coccinea DC., *l. c.* — MICONIA SPONDYLANTHA.

C. lanata DC., *l. c.* — STAPHIDIUM?? LANATUM.

C. obscura DC., *l. c.* — MICONIA OBSCURA.

C. involucrata DC., *l. c.* — STAPHIDIUM INVOLUCRATUM.

C. lacera DC., *l. c.* — MICONIA LACERA.

C. lambertiana DC., *l. c.* — *C. crenata* Don. — *Melastoma crenata* Ruiz et Pav. . . . .

C. quintuplinervia Steud. in Herb. Hohenacker. — STAPHIDIUM INVOLUCRATUM.

C. capitata Benth. in Hook. *Lond. journ. of bot.*, II, 307. — CAPITELLARIA BENTHAMII.

C. surinamensis Miquel, *Comment. phytogr.*, II, 82. — STAPHIDIUM SPICATUM.

C. ribesiiflora Cham. *Linnæa* X, 38. — STAPHIDIUM SPICATUM?

C. Benthamiana Miquel, *Linnæa* XVIII, 276. — STAPHIDIUM ? BENTHAMIANUM.

C. paraguayensis Steud., *Flora* XXVII, 721. — STAPHIDIUM PARAGUAYENSE.

C. triflora Scheele, *Linnœa* XVII, 338.

C. glabrata Steud., *l, c.* — MICONIA AURICULATA.

C. polyandra Benth. in *Bot. of Belch.*, 95, tab. 34. — OCTOMERIS POLYANDRA.

C. radulæfolia Benth., *l. c.* — MICONIA RADULÆFOLIA.

C. desmantha Benth. in Hook. *Lond. journ. of bot.*, II, 305. — MICONIA RHYTIDOPHYLLA.

CXXII. — *OCTOMERIS.*

OCTOMERIS Ndn., *Ann. des sc. nat.*, 3e série, IV, 52. — HETEROTRICHI species Hooker, *Bot. mag.* — CLIDEMIÆ species Bentham, in *Bot. of Belch. of the Sulph.* — MELASTOMATIS species aliorum.

Flores 6-9-meri, rarissime et tunc abortu 5-meri, amblypetali. Calycis tubus campanulatus; dentes exteriores magis minusve producti, nunc liberi subulati, nunc cum interioribus maxima parte connati et parum conspicui; interiores membranacei, nonnunquam obsoleti et in membranam continuam inter se confluentes. Petala obovata, interdum retusa et inæquilatera. Stamina 12-30 (10 in floribus 5-meris) æqualia; antheris linearibus linearive-subulatis 1-porosis, connectivo sub loculis nullo aut postica basi minute tuberculato. Ovarium tubo calycino usque ad medium aut paulo altius adhærens, 5-9-loculare. Stylus crassus carnosus, stigmate obtusissimo clavato aut etiam peltato. Fructus ut videtur baccatus.

Frutices Andium Americæ æquinoctialis indigeni, ramosi macrophylli submacranthi, hirsuti aut villosi, ferruginei vel rufescentes nunquam autem candicantes; foliis petiolatis ovatis acuminatis basi sæpe cordatis denticulatis subintegerrimisve, 5-7-9-*nerviis, rarius quintuplinerviis; floribus in paniculas parvas paucifloras terminales dispositis, rarius omnino glomeratis, albis et fortasse purpurascentibus.*

Genus haud innaturale nec cum Heterotricho commiscendum ut suasit celeberrimus Hookerius; huic tamen et Staphidio affine, nec a Miconia ipsa remotissimum.

1. Octomeris Schlimii †.

O. tota molliter hirsuta anisophylla; ramis teretibus; foliis lanceolato-ovatis acuminatis denticulatis ciliatis quintuplinerviis; floribus ad apices ramulorum solitariis-quinis 9-meris.

Rami supremi graciles, pube hirsuta molli rufescente vestiti, internodiis elongatis. Folia cujusvis jugi magis minusve inæqualia sed conformia; majora 10-15 centim. longa, 5-7 lata; minora triente aut etiam dimidio breviora et angustiora; petiolis a centimetro ad duo centimetra variantibus. Flores ut plurimum ternati, pedicellati. Calyces hirsutissimi, in planta viva fortasse colorati, dentibus interioribus triangulari-acutis exteriores subulatos subæquantibus. Petala obovata æquilatera aut saltem non manifeste inæquilatera, 12-13 millim. longa, forte bicolora (in floribus siccis ea multo intensius fusca a medio ad apicem quam reliqua parte reperimus, et quamvis ab inventore alba memorata sint ea basi tantum alba et superne purpurascentia suspicamur). Ovarium apice producto angustatum et styli basim vaginans, 9-loculare. Stigma peltatum. — In Andibus venezuelensibus provinciæ *Caracas*, prope *Guarenas*, ad altitudinem mille metrorum; Funck et Schlim, *Cat.* n° 313.

2. Octomeris bracteosa †.

O. ramis hirto-ferrugineis; foliis ovato-lanceolatis acutis basi subrotundatis subacutisve subtiliter denticulatis 5-7-nerviis, pagina superiore tenuissime bullata setulosis, inferiore punctato-foveolata villosis; paniculis terminalibus brevissimis fere in capitulum contractis bracteosis; floribus sæpius 6-meris; calycis dentibus triangulari-acutis fere simplicibus.

Folia in eodem jugo sæpius disparia, uno alterum triente aut dimidio superante, rarius subæqualia, 1-1 ½ decim. longa, sæpe breviora, 5-6 centim. lata, petiolis 1-4-centimetralibus. Flores ad apices ramorum potius glomerati quam paniculati, majusculi, bracteis obovatis sericeo-villosis fulcrati, sessiles. Calyx sericeo-villosus, dentibus triangulari-lanceolatis tubo sublongioribus, primo intuitu simplicibus, ad apicem vero denticulorum exteriorum vestigium monstrantibus. Petala obovato-cuneata retusa sesquicentimetrum longa purpurea. Stamina ut plurimum 12, subæqualia, nonnihil falcata, loculis antica basi ultra filamenti insertionem porrectis, connectivo cæterum exappendiculato. Ovarium semiadhærens, apice libero angustato styli basim vaginans, 6-loculare. Stylus brevis crassus, stigmate dilatato subpeltato. — In Andibus vene-

zuelensibus, prope *Truxillo* et *Merida*, ad altitudinem 3000-... trorum; Linden, Funck et Schlim.

3. Octomeris macrodon Ndn., *l. c.* — *Heterotrichum macrodon* Hook., *l. c.*, tab. 4421.

O. oligantha; ramis supremis petiolis calycibusque dense ferrugineo-hirsutis quandoque crinitis; foliis maximis ovatis breviter acuminatis basi nonnunquam subcordatis crenulatis 7-nerviis pagina utraque villosis tomentosisve; paniculis subumbellatis ad apices ramulorum axillaribus terminalibusve; floribus 8-meris; calycis dentibus exterioribus productis subulatis.

Folia in eodem jugo non omnino æqualia, longiuscule petiolata, 1 ½-3 decim. longa, 12-18 centim. lata, petiolis 2-10-centimetralibus. Florum pedicelli proprii ferme centimetrales. Calycis tubus campanulatus, in planta viva rubescens; dentes exteriores angusti rubri, tubo ipso paulo breviores; interiores brevissimi obtusi et inter se confluentes. Petala inæquilatera subretusa sesquicentimetrum circiter longa albo-rosea. Stamina lineari-subulata, apice præsertim falcata, loculis antice undulatis. Ovarium fere ad medium adhærens, apice libero sulcatum et styli basim vaginans, 8-9-loculare. Stigma clavato-capitatum. Planta colitur in horto Parisiensi. — In Andibus Reipublicæ venezuelensis circa urbes *Truxillo* et *Lima*, Linden; in provincia *Caracas*, Funck, *Cat.*, n° 486.

4. Octomeris rostrata, Ndn., *l. c.*, p. 53.

O. nonnunquam polyantha hirsuto-villosa rufescens aut ferruginea foliis ovatis acuminatis acutis basi subcordatis denticulatis 7-nerviis; paniculis terminalibus multifloris; floribus 8-meris; calycis dentibus exterioribus brevissimis, interioribus obsoletis; antheris in rostrum quasi attenuatis.

Species prioribus magis floribunda florisque characteribus Miconias quasdam in mentem revocans. Folia in eodem jugo manifeste inæqualia, longiuscule petiolata, majora 12-18 centim. longa, 7-10 lata, quæ sunt illis opposita quinta vel quarta parte minora; petiolis 2-4-centimetralibus. Paniculæ terminales, breves, trichotome ramosæ, dense hirsutæ. Calycis limbus quasi integer, sæpe in lobos obtusos irregulariter lacerus, denticulis exterioribus subulatis vix perspicuis. Petala obovata, retusa, subinæquilatera, centimetrum circiter longa, alba. Antheræ in rostrum

longiusculum apice attenuatæ, parum incurvæ, connectivo basi postica nonnihil incrassato. Ovarium paulo ultra medium adhærens, apice umbilicatum, 8-loculare. Stigma clavatum. Fructus nondum maturi globosi, pisum crassitudine subæquantes. Specimina quoad villositatem variant. — In provinciis *Cumana* et *Caracas;* Bonpland, Funck; Imperio novo-granatensi, Lewy.

5. OCTOMERIS TUBERCULATA Ndn., *l. c.*, p. 53.

O. tota adpresse breviterque villosa aut tomentosa rufescens; ramis teretibus; foliis ut plurimum inæqualibus oblongo-ovatis acuminatis basi integris aut vix manifeste subcordatis denticulatis 7-9-nerviis; paniculis terminalibus brevibus multifloris; floribus 8-meris; calycis dentibus exterioribus brevissimis, interioribus obsoletis; antheris falcatis basi postica tuberculatis.

Præcedenti valde affinis et paucis characteribus distincta. Folia sunt quam in illa oblongiora, longius acuminata, basi minus cordata; majora cujusque jugi 12-15 centim. longa, 5-7 lata, oppositis triente aut quarta parte longiora et latiora; petiolis 2-4-centimetralibus. Calyx ut in *O. rostrata* campanulatus, in lobos irregulares lacerus, denticulis exterioribus minutis vix perspicuis. Petala obovato-inæquilatera retusa, circiter centimetralia. Antheræ lineari-subulatæ nec in rostrum attenuatæ, connectivo postice ad basim minute tuberculato. Ovarium semiadhærens, apice umbilicatum, 8-loculare. Stigma subpeltatum. — In Andibus Reipublicæ venezuelensis, circa *Truxillo* et *Merida;* Linden.

6. OCTOMERIS PAUPERCULA †.

O. ramis supremis foliis paniculisque pube fuscescente hirtellis; foliis subæqualibus cordiformi-ovatis acuminato-acutissimis argute denticulatis 7-9-nerviis; paniculis terminalibus majusculis, ramis trichotomis; floribus 6-7-meris; calycis dentibus exterioribus a latere compressis, interioribus subobsoletis; antheris postica basi tuberculatis.

Species *O. rostratæ* etiam affinis, sed foliis basi profunde cordatis floribusque minoribus et sæpius 6-meris ab illa facile distinguenda. Diversa est pariter calycis dentium exteriorum fabrica peculiari, qui, ut in *Calycogonio stellato*, a lateribus compressi sunt et quasi complanati. Folia 10-15 centim. longa, 6-8 lata, petiolis 3-5-centimetralibus. Petala et genitalia ut in præcedentibus. Ovarium ovoideum, superne basim styli

vaginans, 6-loculare. Stigma peltatum. — In Republica novo-granatensi; Bonpland.

Species addenda:

7. O. POLYANDRA.—*Clidemia polyandra* Benth. *Bot. of Belch. of the sulph.*, p. 95, tab. 34, Species certe huic generi adscribenda, sed staminibus numerosissimis (circiter 30) inter omnes insignis.

Species exclusa:

O. Bonplandii Ndn., *l. c.*, 1845. —*Heterotrichum octonum* DC., *l. c.* — STAPHIDIUM OCTONUM Ndn., 1850.

EXTRAIT DES **ANNALES DES SCIENCES NATURELLES**, TOME XVIII,
(CAHIER n° 2.)

MELASTOMACEARUM

QUÆ IN MUSÆO PARISIENSI CONTINENTUR

MONOGRAPHICÆ DESCRIPTIONIS

ET SECUNDUM AFFINITATES DISTRIBUTIONIS

TENTAMEN.

(SEQUENTIA.)

Auctore **CAROLO NAUDIN**.

CXXIII. — *HETEROTRICHUM*.

HETEROTRICHI species DC., *Prod.*, III, 173. — Endlicher, *Gen. plant.*, n° 6245. — MELASTOMATIS species auctorum.

Flores amblypetali 6-meri aut rarius et abortu 5-meri. Calycis tubus campanulatus, post anthesim sub limbo nonnihil constrictus; dentes duplicati persistentes; exteriores producti angusti subulati, interiores membranacei obtusi breves aut subobsoleti. Petala obovata, apice rotundata aut saltem obtusa. Stamina 12 (10 in floribus 5-meris); antheris linearibus apice subulatis 1-porosis exappendiculatis. Ovarium tubo calycino magis minusve

adhærens, 6-12-loculare. Stylus gracilis exsertus, stigmate punctiformi obtuso nunquam capitato. Bacca globosa carnosa dentibus calycinis exterioribus coronata. Semina irregulariter ovoidea aut angulata.

Frutices antillani ramosi macrophylli submacranthi patentim hispidi et tomento canescentes; foliis petiolatis ovatis aut oblongis acuminatis basi cordatis integerrimis aut serrulatis; floribus in paniculas cymosas terminales dispositis, albis aut dilute roseis.

Genus subartificiale, Staphidio proximum, ab illo tamen inflorescentia et magnitudine florum discrepans.

1. HETEROTRICHUM ANGUSTIFOLIUM DC., *l. c.*, 173. — *Melastoma hirta* Desr. in Lamk, *Dict.*, IV, 43. — *M. Berteroanum* Ser., *Mss.* ex Candollæo. — Nonne etiam *M. hirta* Linn.?

H. setis rufis undique hispidum et, foliorum pagina superiore excepta, tomentoso-candicans; foliis oblongo-lanceolatis acutis basi subcordatis sinuato-crenulatis aut rarius integerrimis, præter nervulos submarginales, triplinerviis; paniculis hispidissimis; ovario 6-loculari.

Planta elegans ab altera ejusdem generis propter habitum primo intuitu distinguenda. Foliorum limbus 12-18 centim. longus, 3-4 latus; petiolus 1-3-centimetralis. Calycis tubus in anthesi nonnihil urceolatus; dentes exteriores teretes, interioribus obtusis intus coloratis fere triplo longiores. Petala circiter centimetrum aut paulo amplius longa, apice rotundata. Antheræ lineari-subulatæ, postica basi tuberculo minuto donatæ, antica breviter bilobæ. Ovarium summo apice angustatum et liberum, cæterum omnino adhærens. — In Antillis. Specimina plurima habemus ex insula *Porto-Rico;* Riedlé.

2. HETEROTRICHUM NIVEUM DC., *l.c.*, 173. — *H. patens* ejusdem, *l. c.* — *Melastoma nivea* Bonpl. *Melast.*, tab. 44, p. 102. — *M. nivea* et *M. lappacea* Desr. in Lamk. *Dict.*, IV, 42.

H. setis patulis hispidulum et pube minuta stellata magis minusve candicans; foliis late cordiformi-ovatis acuminatis tenuiter crenulatis 7-9-nerviis, pagina inferiore tomentosa, superiore

villosula ; panicularum ramis sæpe patulis ; ovario 10-12-loculari.

Frutex 2-3-metralis, ramosus, maxime quoad pubem et habitum imo et fabricam floris variabilis. Folia ut plurimum decimetrum longa, 6-8 centim. lata, petiolo 1-5-centimetrali. Paniculæ terminales setis fuscis hispidæ. Calycis dentes exteriores teretes graciles sæpe contorti, tubo calycino nunc breviores nunc longiores ; interiores membranacei obtusi breves, nonnunquam omnino obsoleti. Antheræ prorsus exappendiculatæ. Ovarium omnino adhærens, 10-12-loculare, fortassis abortu et 8-loculare, sed 6-loculare, ut ait Bonplandius, nunquam reperimus. An sub unico nomine *H. nivei* lateant plures species distinctæ adhucdum incertum est, sed *H. patens* et *H. niveum* Candollæi, permultis speciminibus observatis, in unicam speciem contrahenda censuimus. — In Antillis ; *S. Domingue*, Poiteau ; *Jamaica*, Wilson ; *Porto-Rico*, Plée ; *Cuba*, Linden, ubi specimina floribus 5-meris distincta reperiuntur.

Species exclusæ :

H. octonum DC., *l. c.* — STAPHIDIUM OCTONUM.
H. novemnervium DC., *l. c.* — STAPHIDIUM NOVEMNERVIUM.

CXXIV. — *CLIDEMIASTRUM.* Tab.

Flos 7-merus oxypetalus. Calycis campanulati dentes (scilicet interiores) triangulari-ovati, extus denticulum subulatum ipsos paulo excedentem gerentes. Petala ovato-acuminata acutissima. Stamina 14 æqualia, antheris rectis lineari-oblongis 1-porosis exappendiculatis. Ovarium subglobosum paulo supra medium adhærens 7-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus baccatus globosus.

Frutex (aut fruticulus) mexicanus monticola, Clidemias quasdam habitu referens, erectus ramosus subisophyllus micranthus ; ramis supremis subgracilibus obtuse quadrangulis hirto-puberulis, demum teretiusculis et glabratis ; foliis ovatis acuminatis basi cordatis argute denticulatis 7-nerviis, pagina utraque pube molli hirtellis et subvelutinis ; paniculis terminalibus pauciramosis, ramis patulis semel dichotomis secundifloris ; floribus sessilibus roseis.

1. CLIDEMIASTRUM MEXICANUM †.

Utrum specimina nostra e caulibus simplicibus constent an fruticis

ramosi rami sint supremi, nobis non compertum est. Folia circiter decimetrum sesquidecimetrumve longa, 5-9 centim. lata, petiolo 2-5-centimetrali. Panicula terminalis aphylla, ramulis distantibus patulis articulatis fructus paucos e numerosioribus floribus retinentibus. Flores sessiles aut vix non sessiles, dentibus calycinis interioribus majusculis, exterioribus priorum dorso connatis eosque paululo excedentibus. Petala 3 millim. circiter longa, rosea. Baccæ violaceæ. — In montibus mexicanis prope *Oaxaca*, ad altitudinem circiter 1000 metrorum; Galeotti, *Cat.*, n° 2962; necnon in paludosis prope *Teapa*; Linden.

Species fortassis hic addenda :

2. C. BISEPTENUM.—*Clidemia biseptena* DC. *Prodr.*, III, 164. Species brasiliensis nobis ignota, fortasse generis modificationem requirens.

CXXV. — *LEANDRA*.

LEANDRA Raddi *Mem. soc. ital.*, 1820, p. 6. — LEANDRÆ species DC., *Prod.*, III, 153. — Mart., *Nov. gen. et spec.*, III, 154. — Cham., *Linn.*, X. — Endlicher, *Gen. plant.*, n° 6228.

Flores 6-7-meri, oxypetali. Calycis tubus campanulatus suburceolatusve; dentes duplicati, exteriores angusti subulati, interiores membranacei magis minusve producti, nonnunquam obsoleti. Petala lanceolata acuta. Stamina 12-14 æqualia, antheris lineari-subulatis 1-porosis exappendiculatis aut connectivo postica basi tuberculato-incrassato instructis. Torus insertioni staminum inserviens non productus. Ovarium subliberum aut ad medium adhærens, apice setulosum, 4-loculare (fortassis et 6-loculare). Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus bacca subsicca, calycis limbo persistente vestita. Semina pyramidato-ovoidea, hinc raphe lineari insculpta.

Frutices brasilienses, Clidemiæ facie, recti ramosi isophylli aut nonnihil anisophylli micranthi villosi aut scabri; foliis petiolatis aut sessilibus; floribus in paniculas terminales dispositis vel rarius in axillis foliorum glomeratis, involucratis, purpureis aut albis.

Genus subartificiale, Clidemiæ conterminum et species heteromorphas includens.

1. Leandra scabra DC., *l. c.*—*Leandra melastomoides* Raddi, *l. c.* — *Melastoma acutiflorum* Schrk. et Mart. *Herb.*

L. subisophylla ; ramis asperiusculis; foliis petiolatis lanceolatis acuminatis utrinque acutis denticulatis aut integerrimis, prætermisso nervo marginali triplinerviis, pagina utraque scaberrimis; paniculis terminalibus pyramidatis confertifloris ; floribus 6-meris.

Species maxime variabilis et ab auctoribus ut videtur in plures divisa, genuinos characteres tamen adeo non exuens ut ab aliis ejusdem generis non discernatur. Rami supremi foliosi et floriferi pennam anserinam crassitie æmulantes, strigilloso-hirsuti. Folia in eodem jugo sæpius æqualia, angustiora et latiora, basi in petiolum quasi confluente sæpius acuta, pagina superiore tuberculis minutis strigosis exasperata, inferiore foveolata, sesquidecimetrum et quod excedit longa, 4-5 centim. lata, petiolis circiter centimetralibus. Paniculæ subbreves; ramis oppositis trichotomis; floribus ad apices ramulorum capitato-glomeratis; bracteis obovatis ciliatis coloratis flores ipsos in glomerulo fulcrantibus. Calyx in anthesi sub limbo parum constrictus, post explicationem floris urceolatus, dentibus omnibus tam interioribus quam exterioribus productis subæquilongis ciliatis. Petala lanceolata, ciliata, 4-5 millim. longa. Antheræ nonnihil recurvæ, connectivo basi postica obtuse breviterque calcarato. Ovarium semiadhærens, 4-loculare. — In permultis locis Brasiliæ australis et septentrionalis frequens; Martius, Vauthier, Claussen, Bonpland, Guillemin, Gaudichaud, Pœppig.

2. Leandra sericea DC., *l. c.*, 154.

L. isophylla; ramis supremis hirsutis; foliis petiolatis ovatis oblongove-ovatis acuminatis basi obtusis et subacutis vix conspicue denticulatis, præter nervos marginales quintuplinerviis, pagina superiore scabrellis, inferiore tomentoso velutinis; paniculis terminalibus brevibus abbreviatione ramulorum fere spiciformibus confertifloris ; floribus 6-7-meris.

Species Martianæ speciei *L. involucratæ* valde affinis, imo unam et eamdem speciem esse suspicamur, quamvis in nostra dentes calycini breviores sint et bracteæ flores involucrantes angustiores quam in *L. involucrata* quæ floribus 6-meris et 7-meris pariter gaudet. Folia *L. sericeæ* 10-14 centim. longa, 4-6 lata, petiolis sesqui-bicentimetralibus. Paniculæ magis minusve coarctatæ, hirsutæ; floribus ad apices ramulorum

brevium glomeratis; bracteis ovatis. Calycis campanulati dentes interiores triangulari-ovati obtusi, exteriores breviores acuti. Petala angusta acutissima, 4-5 millim. longa. Ovarium maxima parte liberum, apice setosum, 4-loculare. In provincia *Rio de Janeiro*, loco dicto *Novo Friburgo;* Claussen.

3. LEANDRA? ANGUSTIFOLIA DC., *l, c.*, 154.

L. nonnihil anisophylla ramiflora tota scabrella; foliis petiolatis elliptico-oblongis utrinque integerrimis 3-nerviis, pagina superiore brevissime et adpresse setuloso-scabrellis, inferiore mollius hirtellis; glomerulis paucifloris bracteatis in axillis foliorum sessilibus; floribus 6-meris.

Ex auctoritate Candollæi hanc speciem, etsi dubitanter, ad *Leandram* retulimus quamvis a reliquis discedat habitu inflorescentia et calycis fabrica ut jamjam patebit. Flores completi cæterum nobis non suppetebant ut illi locum aptiorem adscriberemus. Rami teretes breviter strigillosi demum glabrati, etiam delapsis foliis flores aut saltem florum vestigia retinentes. Folia 7-10 centim. longa, 2 et quod excedit lata, petiolis circiter centimetralibus. Flores in axillis foliorum interdum solitarii, sessiles, sæpius glomerati, bracteolis ovatis involucrati. Calycis dentes exteriores angusti lineares tubum longitudine subæquantes, interiores obsoleti inconspicui. Petala nec stamina nobis cognita. Ovarium semi-adhærens, apice obtusum, 4-loculare. — In provincia *Rio de Janeiro;* Vauthier.

Species addendæ quarum vero plures incertissimæ sunt.

4. L.? AMPLEXICAULIS DC., *l. c.*

5. L. PAULINA DC., *l. c*,

6. L. UMBELLATA DC., *l. c.*

7. L. INVOLUCRATA DC., *l. c.* — Mart., *l. c.*, tab. 283. — Fortassis eadem species ac *L. sericea* ut supra monuimus.

8. L. VILLOSA DC., *l. c.*

9. L. DUBIA DC., *l. c.*

10. L. HIRTA DC., *l. c.* — Nonne potius *Clidemiæ* species?

11. L. ASPERIFOLIA Cham. *Linnæa* X, p. 33. — Forte eadem ac *L. scabra*.

Species exclusæ aut excludendæ:

L. sylvestris DC. — CLIDEMIA SYLVESTRIS.

L. racemifera DC. — SAGRÆA? RACEMIFERA.

L. auricoma Spring. *Flora* XX, vol. II, p. 74. — CLIDEMIA? AURICOMA.

L. ciliata Cham. *Linn.* X, 36. — CLIDEMIA CHAMISSOIS.

CXXVI. *TSCHUDYA.*

TSCHUDYÆ spec. DC. *Prod.* III, 155. — CLIDEMIÆ species Endl. et aliorum.

Flos 5-merus oxypetalus. Calycis tubus breviter campanulatus; limbus subnullus, dentibus interioribus obsoletis, denticulis exterioribus brevissimis aut tuberculiformibus, sub hirsutie inconspicuis. Petala minuta, ovato-acuminata, apice setoso-aristata, marginibus setoso-ciliata, caduca. Stamina 10 æqualia, antheris linearibus, apice nonnihil recurvis, basi exappendiculatis. Torus in insertione staminum fimbriatus, limbo calycino fere contiguus. Ovarium liberum aut ima basi adhærens, ovoideum, 5-loculare. Stylus gracilis filiformis, stigmate capitellato. Fructus bacca sphærica carnosula. Semina angulato-pyramidata, incurva, appendice minuta membranacea ad apicem instructa.

Frutices guyanenses et brasilienses, erecti ramosi hirsuti macrophylli nonnihil anisophylli micranthi; ramis teretibus; foliis subbreviter petiolatis ovato-lanceolatis acuminatis serrulatis 5-nerviis; paniculis terminalibus, divaricatim ramosissimis; floribus ad apices ramulorum ternis aut subsecundis.

Genus subartificiale, Clidemiæ propinquum, quod tamen, invitis auctoribus qui opus Candollæanum emendaverunt, hic ob memoriam celeberrimi auctoris cui dicatum est servavimus.

1. TSCHUDYA ASPERIUSCULA DC., *l. c.* — *Clidemia solenispora* DC., in *Herb. mus. Par.* per errorem.

T. macrophylla; foliis æqualibus et inæqualibus lanceolato-ellipticis oblongove-obovatis acuminatis obsolete denticulatis crenulatisve 3-5-nerviis; paniculis terminalibus hirsutis, ramulis patulis multifloris.

Planta in herbario nostro ad Clidemiam dubitanter a Candollæo relata,

sed in herbario Richardiano sub nomine *T. asperiusculæ* ab ipso laudatissimo auctore melius inscripta, cujus descriptioni cæterum convenit. Rami supremi teretes hirsuti rufescentes. Folia in eodem jugo sæpe inæqualia inæqualiterque petiolata, 3-5-nervia, 1 ½-2 decim. et quod excedit longa, 7-12 centim. lata, petiolis 1-3-centimetralibus. Paniculæ hirsutæ rufescentes; ramulis inferioribus trichotome divisis, patulis, paniculas minores sæpe fingentibus, non autem articulatis nec secundifloris. Flores dichotomiarum sessiles, laterales longiuscule pedicellati. Petala, præter setam terminalem, vix ½ millim longa. Ovarium basi adhærens, apice villorum coma styli basim tegente coronatum, 5-loculare. Fructus submaturi globosi, crassitudine seminis cannabini. Semina cuneiformia, hinc uncinata. — In Brasilia septentrionali loco nec inventore indicatis; Guyana gallica prope *Cayenne*, Le Prieur, Mélinon.

Species addendæ :

2. T. VERTICILLATA DC., *l. c.*

3. T. RUFESCENS DC., *l. c.* — *Melastoma rufidula* Rich. *Herb.* — Species *T. asperiusculæ* valde affinis aut potius, ut opinamur, non ab illa distinguenda.

Species excludenda :

T. pulverulenta DC., *l. c.* — *Melastoma pulverulenta* Rich. *Herb.* — Species a Tschudyis veris propter habitum differentem, florem tetramerum, calycemque a Tschudyarum calyce fabrica diversum, separanda, sed quum specimen quod in herbario Richardiano vidimus petalis genitalibusque careret, quis sit ei locus adscribendus in systemate nescimus. Estne Staphidium?

CXXVII. *SAGRÆA.*

SAGRÆÆ, OSSÆÆ et CLIDEMIÆ spec. DC., *Prod.*, III. — MELASTOMATIS spec., Linn. — Endlicher, *Gen. plant.*, n° 6248.

Flores 4-meri (aut fortassis et raro quidem hypertrophia 5-meri) oxypetali. Calycis campanulati dentes exteriores sæpius producti subulati, nonnunquam omnino obsoleti et nulli; interiores breves obtusi, cum prioribus maxima parte concreti, interdum quoque confluentes et limbum integrum efficientes. Petala ovato-acuta aut lanceolata, ut plurimum acutissima, haud raro in anthesi reflexa.

Stamina 8 æqualia, antheris oblongo-ovoideis aut subulatis 1-porosis, connectivo indistincto vel postice inconspicue tuberculato. Ovarium fere omnino adhærens, sæpius 4-loculare. Stylus fusiformis filiformisve, stigmate punctiformi. Fructus baccatus carnosulus. Semina irregulariter polyhedra pyramidata aut angulato-ovoidea.

Frutices in Antillis et America continente indigeni, micranthi, hirsuti aut strigillosi, rarius glabri; foliis petiolatis ovatis crenulatis integerrimisve 3-5-nerviis vel etiam tripli-quintuplinerviis; floribus in axillis foliorum aut in dichotomiis nunc cymosis nunc aggregatis, nonnunquam in nodis ramorum annotinorum supra cicatrices foliis delapsis succedentes fasciculatis, raro terminalibus, albis aut roseis.

Genus artificiale debile species habitu maxime heteromorphas includens, fortassis melius in plura genera dividendum, hinc Staphidiastro, illinc Clidemiæ affine; a priore necnon et ab Ossæa differt petalis acutis, a posteriore flore 4-mero.

a. *Flores in cymas seu paniculas paucifloras breves axillares dispositi, nunquam vere terminales.*

1. SAGRÆA PLUMOSA. — *Clidemia plumosa* DC., *l. c.*, 159. — *Melastoma plumosa* Lamk. *Dict.* IV, p. 31.

S. macrophylla anisophylla; ramis supremis teretibus petiolisque dense ferrugineo-hirsutis; foliis inæqualiter petiolatis, ovatis acuminatis argute denticulatis 5-nerviis pagina utraque villosis; paniculis axillaribus brevibus pedicellatis villoso-hirsutissimis.

Planta a Candollæo et auctoribus *Encyclopædiæ botanicæ* 5-mera reputata, nobis 4-mera reperta et idcirco inter Sagræas ordinata. Frutex est robustus, ramis teretibus dense et intense ferrugineo-villosis, foliis in eodem jugo nunc disparibus, nunc subæqualibus, adultis longitudine sesqui-bidecimetralibus, latitudine 9-10 centimetra et interdum amplius explentibus. Petioli longitudine maxime variabiles, adsunt enim centimetrales et decimetrales. Paniculæ pedicellatæ trichotome ramosæ, in utraque axilla opposita solitariæ, foliis multoties breviores, villis purpurascentibus in calyce potissimum fasciculato-plumosis hirsutissimæ. Calycis

tubus campanulatus; dentes exteriores angusti fere setacei, sub hirsutie difficile conspicui; interiores obsoleti, in membranam continuam brevem confluentes. Petala adulta obovato-acuminata, 3 millim. longa. Ovarium apice libero angustatum, 4-loculare, interdumque 3-loculare. Species cum Staphidiis quibusdam analogiam servans. — In insula Haitensi Antillarum, Poiteau. Hanc etiam habemus ex herbario Bonplandiano, sed locus natalis non indicatur.

2. SAGRÆA NEVROCARPA. — *Melastoma micranthum* DC., *l. c.*, 198. — Swartz *Prod. Flor. Ind. occ.*, II, 803.

S. fruticosa ramosa glabra aut glabrata; foliis oblongo-ellipticis, apice in acumen angustum productis, basi subacutis subobtusisve, marginibus obsolete denticulatis, 3-5-nerviis; cymis seu potius paniculis axillaribus sessilibus, ramis divaricatis trichotomis apice floriferis.

Rami supremi (qui soli suppetunt in herbario nostro) graciles, teretes, glabri aut in prima juventute pube inconspicua cito caduca albicantes. Folia in eodem jugo subæqualia, acumine sæpe angusto producto quasi caudata, elliptica aut elliptico-lanceolata, haud raro subintegerrima, frequentius sinuato-denticulata, 1-1 ½ decim. longa, 4-6 centim. lata, petiolis 1 ½-2-centimetralibus. Paniculæ foliis multo breviores, a basi ramosæ, ramis trichotomis, ramulis apice 3-floris, flore medio subsessili, lateralibus breviter pedicellatis. Calycis tubus globosus, dentes exteriores breves subobsoleti cum interioribus connati. Petala ovato-acuminata, 3 millim. circiter longa. Ovarium fere omnino adhærens, 4-5-loculare. Fructus bacca est exsucca, globosa, 8-costata, semine cannabino vix crassior. — In montibus Reipublicæ novo-granatensis, Goudot, Bonpland; in Jamaica, Swartz. Specimina habemus ex utraque patria.

3. SAGRÆA GUADALUPENSIS DC., *l. c.*, 170.

S. submacrophylla subglabra; ramis supremis obscure 4-gonis sulcatis pulverulentis; foliis in eodem jugo nunc æqualibus nunc manifeste disparibus ovatis acuminatis acutissimis, basi rotundatis, tenuissime serrulatis interdumque subintegerrimis, quintuplinerviis; paniculis axillaribus gracilibus paucifloris trichotome et verticillatim ramosis, haud raro racemiformibus, erectis.

Species a reliquis hujus generis potissimum discrepans petalis ovatis

et parum acutis. Folia in prima juventute pube pulveracea sicut rami et paniculæ obducta, demum subglabrata, adulta tamen breviter ciliolata et setulis raris sub lente visibilibus conspersa, 10-15 centim. longa, 6-7 lata, petiolis 1-2-centimetralibus. Paniculæ in axillis oppositis solitariæ, stipite gracili suffultæ, sub insertione ramulorum bracteis lanceolatis caducis instructæ. Calyces campanulati pulverulenti, dentibus exterioribus subulatis tubo multo brevioribus, interioribus obtusissimis subobsoletis. Petala ovata, apice subacuta, ferme 2 millim. longa (in floribus nondum omnino explicatis). Stamina 8 æqualia, antheris linearibus obtusis. Ovarium omnino adhærens. Stigma punctiforme obtusum. Baccæ globosæ, *Vaccinii myrtilli* baccas colore et crassitudine æmulantes. — In ruderatis et locis montosis insulæ Guadalupæ frequens ; L'Herminier.

4. Sagræa microphylla DC., *l. c.*, 171.

S. fruticulosa di-trichotome ramosa submicrophylla micrantha; ramis ferrugineo hirtellis; foliis ovatis acutis subobtusisque vix conspicue crenulatis breviter hirtellis triplinerviis ; cymis paucifloris, florum pedicellis filiformibus.

Folia 1 ½-3 centim. longa, 1-1 ½ lata, petiolis 2-4-millimetralibus. Pedunculi floriferi graciles, nonnunquam monanthi, sæpius tri aut pluriflori; pedicelli proprii circiter centimetrales. Calyces hirsutissimi minuti. Petala ovata in acumen acutissimum producta. Antheræ pro genere breviusculæ. Stylus fusiformis apice subulatus. — In insula Jamaica, Purdie ; hanc etiam habemus ex herbario Bonplandiano.

b. *Flores in axillis foliorum sessiles aut breviter pedicellati, non autem in cymas dispositi.*

5. Sagræa scalpta. — *Ossæa scalpta* DC., *l. c.*, 168. — *Melastoma acutipetala* Rich. in Bonpl. *Melast.*, tab. 38. — *Maieta scalpta* Ventenat, *Choix*, tab. 33.

S. ramis hornotinis petiolisque ferrugineo-tomentosis ; foliis oblongo-ovatis subellipticisque acutis basi rotundatis integerrimis aut obsolete et vix manifeste crenulatis 3-nerviis, pagina superiore reticulato-bullata, inferiore foveolis quadratis insculpta, utraque puberula aut glabrata ; floribus in axillis foliorum aggregatis, trinis septenisque, breviter pedicellatis.

Species toto habitu facile a reliquis distinguenda. Rami juniores ferrugineo-tomentosi, vetustiores floriferi, nudati et subglabrati. Folia

magis minusve reticulato-bullata, 5-6 centim. longa, ut plurimum 2 lata, petiolis ferme centimetralibus. Flores minuti, in axillis foliorum aut supra cicatrices foliorum delapsorum glomerati, pauci, breviter pedicellati. Calyx campanulatus, dentibus brevibus, vix conspicue duplicatis. Petala lanceolata acutissima. Antheræ oblongo-ovoideæ, apice postico 1-porosæ. Ovarium apice libero styli basim vaginans, 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Bacca sphærica cærulea, vix crassitudine seminis cannabini. — In insula Haitensi Antillarum; Poiteau, Beauvois, Bonpland.

6. Sagræa Lindeniana †.

S. ramis petiolisque dense strigilloso-hirsutis; foliis cujusvis jugi æqualibus aut vix disparibus ovatis subobtusis denticulatis basi subrotundatis, præter nervulos duos marginales quintuplinerviis, pagina superiore strigis conicis brevibus asperata, inferiore scabrida et tenuiter foveolata; florum glomerulis paucifloris brevissimis.

Rami subteretes, superius foliosi et strigilloso-hirsuti, inferius denudati et glabrati, nodosi, foliis jam delapsis florum fructuumve glomerulos retinentes; internodiis bi-quadricentimetralibus. Folia ut plurimum late ovata, non vere acuminata, interdum acuta, sæpius subobtusa, crenato-denticulata, superne exasperata, 5-7 centim. longa, 3 4 lata; petiolis sesquicentimetrum et quod excedit longis. Flores minuti, in axillis foliorum aut supra nodos ramorum nudatorum sessiles, terni-quini aut etiam pauciores. Petala ovato-acuminata, 1 millim. vel paulo amplius longa, alba. Antheræ ovoideo-oblongæ. Ovarium excepto apice conico libero adhærens. Stylus filiformis. — In insula Cuba, prope urbem *San Yago*; Linden, *Cat.* n° 2126.

7. Sagræa glomerata †.

S. ramis obtuse 4-gonis, apice foliosis et strigillosis, inferius denudatis et glabratis, nodosis; foliis oblongo-ovatis ellipticisve utrinque subacutis aut etiam basi subrotundatis crenulatis quintuplinerviis, pagina superiore strigis brevibus crassis conicis asperata, inferiore villoso-hirsuta fuscescente; glomerulis multifloris globosis villosis.

Species indecora, male nobis ex unico et incompleto specimine cognita, præcedenti affinis. A. *S. Lindeniana* potissimum differt foliis oblongio-

ibus breviusque petiolatis et florum glomerulis globosis multifloris, supra nodum quemlibet verticillum seu potius verticillastrum ut in *Labiatis* mentientibus. Folia 4-5 centim. longa, 2-3 lata, petiolis circiter semicentimetralibus. Glomeruli 8-15-flori, ut plurimum supra nodos ramorum foliis denudatorum sessiles. Petala ovato-acuminata, 2-3 millim. longa. Cætera ut in præcedente. — In Antillis loco haud indicato; Lee. Planta ex herbario Bonplandii ad nostrum migrata.

8. Sagræa scabrosa. — *Ossæa scabrosa* DC., *l. c.* — *Melastoma scabrosa* Bonpl., *ined.* — *Melastoma scabrosa* Willdn., *spec.*, 598. — Non *M. scabrosa* Brown. *Jam.* 219, tab. 24.

Planta in herbario nostro valde manca, inter *S. Lindenianam* et *S. glomeratam* fere media, neutri tamen adeo similis ut pro alterutrius varietate habeatur. Folia quam in illis majora, ovato-oblonga acuminata crenato-denticulata tripli-quintuplinervia, pagina superiore strigis crassis brevibus asperata, inferiore setuloso-scabra, 8-10 centim. longa, 3-4 lata, petiolis circiter centimetralibus. Glomeruli pauciflori (3-7-flori?), villosi. Petala ovato-lanceolata, acutissima. Cætera ut in præcedentibus. Fortassis variat foliis septupli-nonuplinerviis, si chirographo Bonplandii credendum sit. — In Antillis. Locus non designatur, sed e montibus Jamaicæ oriundam esse refert Willdenowius.

9. Sagræa lanata †.

S. ramis hornotinis foliosis petiolisque hirsutissimis rufescentibus, annotinis et vetustioribus glabratis floriferis; foliis ovato-lanceolatis ellipticisque acutis crenato-denticulatis, prætermisso nervo utroque submarginali triplinerviis, pagina superiore strigillosis, inferiore hirsuto-lanatis rufescentibus; glomerulis globosis multifloris hirsuto-villosissimi

Species præcedentibus affinis sed propter vestitum primo intuitu recognoscenda. Rami annotini glabrati et foliis destituti, supra nodos floriferi, juniores foliosi hirsutissimi ut plurimum floribus destituti. Folia 6-8 centim. longa, 2 $\frac{1}{2}$-3 lata, petiolis semicentimetrum et quod excedit longis. Glomeruli 5-15-flori, verticillastra mentientes. Calyces hirsutissimi, dentibus exterioribus subulatis reflexis, interioribus cum prioribus connatis et indistinctis. Petala lanceolato-acuminata acutissima, 4 millim. circiter longa, alba. Antheræ ellipticæ, æquales. Ovarium omnino adhærens, apice setis styli basim circumdantibus coronatum, 4-loculare. Stylus nonnihil fusiformis, apice subulatus, stigmate acuto vel punctiformi. — In insula Cuba, prope urbem *San-Yago*; Linden, *Cat.*, n° 2104.

10. Sagræa heteronervis †.

S. pro genere macrophylla subisophylla; ramis petiolisque molliter ferrugineo-hirsutis; foliis lanceolato-ellipticis obovatisque, acuminatis, basi ut plurimum subacutis, denticulatis, quintupli-septuplinerviis, pagina superiore corrugato-bullatis setulosis, inferiore hirtellis foveolatis; floribus in quovis glomerulo trinis-septenis axillaribus sessilibus.

Species ab omnibus congeneribus distinctissima, *Sagreæ* vero ingenuos characteres exhibens. Rami apice solummodo foliosi, inferius denudati, obscure 4-goni aut potius subteretes. Folia 9-12 centim. longa, 5-6 lata, pagina superiore bulloso-tuberculata, inferiore rufescente hirtella foveolata, nervorum lateralium pari supremo fere ad mediam limbi longitudinem vel ad tertiam partem supra basim e rachi orto, petiolis bi-tricentimetralibus. Calyces villosi, dentibus interioribus brevibus obtusis, denticulis exterioribus subulatis priores paulo excedentibus. Petala elliptico-lanceolata acuta, 2-3 millim. longa, in flore explicato reflexa. Stamina æqualia. Ovarium excepto summo apice adhærens, 3-4-loculare. Stylus exsertus filiformis, stigmate punctiformi. — In Peruvia, prope *Limam;* Claude Gay.

11. Sagræa sparsiflora.— *Ossæa sparsiflora* DC., *l. c.*, 169.

S. oligophylla micrantha ramiflora floribunda; ramis apice tantum foliosis tortuosis; foliis obovatis breviter et abrupte acuminatis, basi gradatim attenuata acutis et in petiolum confluentibus, integerrimis aut sinuato-denticulatis, triplinerviis, sparsim setulosis glabratisve; fasciculis 7-15-floris, e nodis ramorum annotinorum prosilientibus; floribus graciliter pedicellatis.

Quamvis hujus insignis speciei nec petala nec genitalia nobis occurrerint, non dubitamus quin in isto genere locus sit illi adscribendus, quod quidem tota facies habitus et inflorescentia satis revelant. Rami in summo apice folia pauca retinentes, inferius omnino aphylli, indecori, sed per longum spatium floribundi, calamum scriptorium crassitie circiter æquantes, nodosi et tortuosi. Folia 5-6 centim. longa, 2-3 lata, petiolo ferme centimetrali. Florum pedicelli graciles, 4-5 millim. longi. Calyces breviter campanulati, limbo subintegro aut vix manifeste 4-sinuato, tuberculis externis quatuor punctiformibus indistinctis notato. Ovarium globosum fere omnino adhærens, apice umbilicatum, 4-loculare. Fructus submaturi semen raphaninum crassitudine ferme æquantes; maturi,

ut videtur, baccæ sunt exsuccæ. Semina ovoideo-pyramidata.—In montibus Guadalupæ Antillarum, ad altitudinem circiter 1000 metrorum; Beaupertuis.

12. Sagræa acutiflora. — Eademne est ac *Melastoma ramiflora* Swartz, *Flor. Ind. occ.*, II, 812?

S. submacrophylla ramiflora floribunda; ramis supremis seu hornotinis pube densa ferruginea hirsutis foliosis; annotinis nudatis glabratisque sed floriferis; foliis late ellipticis ovatisve utrinque acutis integerrimis, adjecto utroque nervulo submarginali quintuplinerviis aut prætermisso triplinerviis, pagina superiore in nervis præsertim setuloso-scabra, inferiore mollius pubescente; fasciculis 5-15-floris vel etiam ditioribus; alabastris acutissimis; floribus 4-5-meris.

Species fortassis flores 5-meros sæpius quam 4-meros exhibens, sed ab hoc genere non ideo removenda, cui enim convenit forma petalorum et inflorescentia. Rami annotini in lignum indurati per longum spatium floriferi. Folia ut plurimum decimetralia, 5-6 centim. lata, petiolo centimetrum et quod excedit longo, ferrugineo-hirsuto. Pedicelli florum graciles, 3-4-millimetrales. Calyces breviter 4-5-dentati, denticulis exterioribus subobsoletis. Petala 4-5-millim. longa, ovato-acuminata, acutissima. Ovarium 4-5-loculare. Fructus bacca pulposa crassitudine seminis *Lathyri odorati* aut pisi minoris. — In insulis *Porto-Rico* et Jamaica Antillarum; Plée; Wilson.

c. *Flores in dichotomiis alares aut terminales, rarius et axillares.*

13. Sagræa lima. — *Clidemia lima* DC., *l. c.*, p. 161.

S. fruticosa; ramis teretibus scaberrimis; foliis petiolatis ovato-acutis serratis 3-nerviis, pagina superiore glabella bullatis, inferiore pulverulenta foveolatis; paniculis brevibus paucira-mosis paucifloris, floriferis terminalibus, fructiferis in dichotomia alaribus.

Rami supremi (qui nobis soli suppetunt) teretes, ut et petioli, panicularum ramuli et calices strigis brevibus crassis adpressis exasperati, internodiis sæpe elongatis. Folia in pagina superiore bullis pyramidatis sæpe tetrahedris acutis ornata, pagina inferiore reticulato-foveolata et sub lente lepidoto-furfuracea, 2-4 centim. longa, 1 ½-2 lata, petiolis 4-5-

millimetralibus. Paniculæ nonnunquam axillares (si auctoribus *Encyclopædiæ* credatur), frequentius terminales aut alares, ramulis apice tantum floriferis, floribus sessilibus aggregatis. Calycis tubus campanulatus, dentibus exterioribus callosis reflexis, interioribus obsoletis. Petala ovato-acutissima, in flore aperto reflexa, 3-4 millim. longa. Antheræ breves, antice visæ ovoideo-ellipticæ, a latere autem securiformes; connectivo postice in tuberculum fere calcariforme sed obtusum producto. Ovarium omnino adhærens, 4-loculare. Stylus crassiusculus fusiformis, stigmate punctiformi. — In insula Haitensi, loco nec collectore cognitis.

14. Sagræa pauciflora †.

S. tota, calycibus, exceptis, glaberrima submicrophylla; ramis teretiusculis, junioribus pube inconspicua furfuracea mox caduca obductis; foliis ellipticis, apice ut plurimum obtusis, basi interdum acutis, integerrimis, triplinerviis; pedunculis ad apices ramorum ramulorumque terminalibus 1-3-floris; calycibus hirsutissimis.

Species a reliquis Sagræis habitu et inflorescentia recedens et ad aliud genus fortassis melius abducenda. Folia adulta glaberrima, primo intuitu uninervia, nervis duobus lateralibus margini proximis et subobsoletis paulo supra basim limbi cum nervo medio coalitis, 3-5 centim. longa, 1-1 $\frac{1}{2}$ et quod excedit lata, petiolis 5-10-millimetralibus. Pedunculi terminales, ut plurimum triflori. Calyces hirsutissimi sæpe purpurascentes, dentibus exterioribus brevibus, interioribus obsoletis. Petala ovato-acuminata. Antheræ ovoideo-oblongæ obtusæ. Ovarium omnino adhærens, 4-loculare. Stylus fusiformis, stigmate punctiformi. — In insula Cuba, prope *San-Yago* et *Pinal*; Linden, *Cat.* nº 1971.

15. Sagræa hæretica †.

S. fere glaberrima; ramis gracilibus teretiusculis; foliis petiolatis in eodem jugo æqualibus aut disparibus late lanceolatis acuminatis basi subobtusis subacutisve margine integerrimis, prætermisso utroque nervo marginali triplinerviis; paniculis terminalibus alaribusque laxifloris oliganthis; floribus brevius longiusve pedicellatis, ut plurimum tetrameris.

Frutex ut videtur gracilis, ramis supremis foliisque novellis pube furfuracea rufescente obsitis mox glabratis. Folia magnitudine mediocria,

5-8 centim. longa, 2-2 ½ lata, in herbario nigrescentia, petiolis gracilibus, sæpe in eodem jugo inæqualibus, 1-3-centimetralibus. Paniculæ pauciflora, in anthesi terminales, demum ramis lateralibus accretis in dichotomia alares, foliis ut plurimum breviores, ramis fere filiformibus, ramulis extremis 1-3-floris, floribus nunc subsessilibus nunc longiuscule pedicellatis. Calyces oblongo-campanulati 4-dentati, dentibus interioribus exterioribusque brevibus sed manifestis. Petala lanceolato-oblonga subacuta acutave, 6 millim. longa, rubra. Stamina 8 (10 in floribus 5-meris) æqualia, antheris oblongis subrectis subobtusis. Ovarium omnino adhærens 4-loculare. Stylus gracilis, stigmate obtuso aut inconspicue capitellato. Species a congenerum maximo numero discrepans, ad aliud genus olim forte removenda. — In montibus mexicanis prope *Xalapa* ad altitudinem 1200 metrorum; Galeotti.

d. *Species loci incerti propter incompletum statum speciminum nostrorum.*

16. Sagræa hirsuta DC., *l. c.*, 171. — *Melastoma hirsuta* Willd. *Spec.*, III, 594.

S. sæpius anisophylla; ramis gracilibus subgracilibusve, hornotinis petiolis calycibusque patentim hirsutis; foliis ovato-lanceolatis acuminatis basi rotundatis remote et obsolete denticulatis 3-5-nerviis villosis; cymis 3-7-floris, terminalibus?; calycis dentibus setaceis tubo longioribus.

Species uti præcedens ab omnibus speciebus hic collocatis habitu diversissima, inter Sagræas propter flores 4-meros et petala acuta ordinata. Folia 5-8 centim. longa, 1 ½-3 lata, petiolis semicentimetrum aut centimetrum longis. Cymæ ut videtur terminales (quod ex speciminibus truncis affirmare nequimus), flore medio breviter, lateralibus autem longe et graciliter pedicellatis. Calycis hispidi aut saltem hirsuti dentes exteriores setacei sæpe contorti, interiores obsoleti aut nulli. Petala lanceolato-acutissima (quantum id in alabastro tenerrimo prospicere potuimus). Ovarium 4-loculare. — In insula Jamaica, sed locus proprius non indicatur. Ex herbario Bonplandiano.

Species addendæ, sed omnes incertissimæ:

17. S. hirtella DC., *l. c.*
18. S.?? capillaris DC., *l. c.*
19. S.?? Domingensis DC., *l. c.*
20. S.?? tetragona DC., *l. c.*

21. S.? ACUMINATA. — *Ossæa acuminata* DC., *l. c.*

22. S.? RACEMIFERA. — *Leandra racemifera* DC., *l. c.*

23. S.?? COGNATA Steud. *Flora*, XXVII, 722. Species ex descriptione auctoris minime dignoscenda.

Species exclusæ :

S. columnœæfolia DC. — STAPHIDIASTRUM RUBRUM.
S. sessiliflora DC. — STAPHIDIASTRUM RUBRUM.
S. fascicularis DC. — STAPHIDIASTRUM FASCICULARE.
S. scabrida DC. — STAPHIDIASTRUM?? SCABRIDUM.
S. umbrosa DC. — STAPHIDIASTRUM UMBROSUM.
S. pilosa DC. — STAPHIDIASTRUM ? PILOSUM.
S. Berterii DC. — STAPHIDIASTRUM BERTERII.
S. rariflora DC. — STAPHIDIASTRUM ? RARIFLORUM.

CXXVIII. *DICLEMIA.*

Flos 4-merus oxypetalus. Calycis breviter campanulati dentes exteriores breves subulati, interiores subobsoleti cum prioribus connati. Petala lanceolata acutissima. Stamina 8 æqualia, antheris ovoideis oblongove-ovoideis obtusis 1-porosis, connectivo incrassato infra loculos antice breviter bilobulato, postice tuberculato. Ovarium semiadhærens 4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus baccatus. Semina dimidiato-ovoidea et subreniformia.

Arbuscula seu frutex magnus bolivianus, Clidemiæ facie, macrophyllus subisophyllus micranthus; ramis obscure 4-gonis villoso-hirtellis; foliis longe petiolatis ovatis acuminatis integerrimis basi rotundatis 5-nerviis subtus villoso-sericeis; paniculis axillaribus divaricatim ramosis, ramis secundifloris, floribus sessilibus virescenti-luteis aut flavescentibus.

Genus Clidemiæ affine, sed diversum numero partium floris, antherarum fabrica necnon ovario 4-loculari. A Sagræa etiam recedit antheris habitu et patria. Nomen a *Clidemia* interversis litteris desumptum.

1. Diclemia petiolaris †.

Frutex circiter 3-metralis, ramis floriferis pennam anserinam crassitie vix æquantibus. Folia 10-15 centim. longa, 5-7 lata, petiolis gracilibus 6-10-centimetralibus, pagina superiore hirtella, inferiore mollissime villosa aut omnino sericea et nitida. Paniculæ villosæ circiter petiolorum longitudine, ramis gracilibus divaricatis subtortuosisque. Flores sessiles, minuti. Petala 3-4 millim. longa, 1 lata, acutissima. Fructus maturi globosi, semine cannabino paulo crassiores. — In vallibus umbrosis et humidis provinciarum *Larecaja* et *Caupolican*, Reipublicæ bolivianæ, inter *Tipoani* et *Apolobamba*, Weddell; necnon prope *Coroico*, Pentland.

CXXIX. *CAPITELLARIA.*

Clidemiæ species Benth. in Hook, *Journ. of Bot.*, II, p. 307. — Walp. *Repert.*, II, 139.

Flos 4-merus. Calycis oblongo-campanulati dentes interiores majusculi triangulari-acuti callosi dorso denticulum exteriorem subulatum gerentes. Petala obovata subacuta. Stamina 8 parum inæqualia, antheris lineari-subulatis 1-porosis, connectivo non producto nec appendiculato. Torus ante basim staminum non productus. Ovarium liberum aut ima basi tantum adhærens oblongo-ovoideum 3-4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus ignotus.

Frutex guyanensis isophyllus strigillosus micranthus; foliis breviuscule petiolatis ovatis acutis nonnihilque acuminatis basi rotundatis ciliato-denticulatis subintegerrimisve 5-nerviis; floribus ad apices ramulorum aphyllorum pedunculiformiumque dense capitatis bracteatis purpureis.

1. Capitellaria Benthamii. — *Clidemia capitata* Benth., *l. c.*

Rami supremi obtuse 4-goni strigillosi ut folia ipsa juniora purpurascentes. Folia rigidula, pagina superiore præsertim setoso-strigillosa aut strigosa, 4-6 centim. longa, 2-3 lata, petiolis 5-10-millimetralibus. Pedunculi communes axillares et in dichotomiis alares, 4-8 centim. longi. Capituli confertiflori, foliolis 4-6 bracteiformibus ovatis fulcrati, inter flores sessiles bracteolis minoribus intermixti. Calyces villoso-hirsuti purpurascentes, denticulis exterioribus inter villos parum distinctis et primo intuitu nullis. Petala obovata, 2-3 millim. longa. Ovarium triloculare

reperimus sed hoc etiam 4-loculare suspicamur, fere omnino liberum, setulis glandulosis apice ornatum. — In Guyana anglica prope *Roraima;* Schomburgk, *Cat.* n° 716.

CXXX. *HENRIETTEA.*

HENRIETTEA et PHYLLOPUS DC., *Prod.*, III, 178. — Mart., *Nov. gen. et spec*, III. — Ndn., *Ann. des sc. nat.*, 1845, IV, 56. — Walp., *Repert. Bot.*, V, 716. — CASARETTO, *Novar. stirp. Brasil.*, 85. — MELASTOMATIS spec. Aublet, *Guyane*, I. 418. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6252.

Flos 5-6-merus. Calycis campanulati tubus inferne carnosus, dentes membranacei obtusi infra apicem denticulo exteriore acuto instructi. Petala obovata subinæquilatera seta terminali sæpe (fortassis semper) apiculata. Stamina 10-12 æqualia; antheris lineari-subulatis apice quasi in rostrum attenuato 1-porosis nonnihil incurvis, connectivo nec producto nec appendiculato. Ovarium tubo calycino usque ad apicem adhærens 5-6-loculare. Stylus crassiusculus sæpe hirtellus, sub stigmate obtuso parum incrassatus. Placentæ lamelliformes margine magis minusve incrassatæ. Fructus (saltem in *H. succosa*) baccatus; semina ignota.

Frutices subarborescentes, Americæ æquinoctialis indigeni, sæpe macrophylli ramiflori, interdum submacranthi; ramis junioribus strigillosis, vetustioribus glabratis; foliis breviter petiolatis ovatis oblongisve acutis integerrimis tri-triplinerviis; floribus in axillis foliorum aut supra cicatrices ramorum foliis jam destitutorum solitariis-aggregatis, breviter pedicellatis aut subsessilibus; alabastris obovoideis, in juventute fere omnino clausis.

1. HENRIETTEA SUCCOSA DC., *l. c.*, —*Melastoma succosa* Aubl., *l. c.*, tab. 162. — *Melastoma brunneum* DC., *l. c.*, 201.

H. macrophylla macrantha 5-mera; foliis ellipticis ellipticove-obovatis breviter et abrupte acuminatis, prætermisso utroque nervulo marginali triplinerviis, pagina superiore scabriusculis, inferiore rufescenti-puberulis; floribus solitariis-quinis; calycibus adpresse setosis.

Folia 1 ½-2 decim. longa, 8-10 centim. lata, petiolo triquetro rufo-villoso circiter centimetrali. Nervi laterales e medio circiter centimetrum

aut sesquicentimetrum supra basim limbi orientes. Flores magnitudine variare videntur, calyces tamen in explicatione ut plurimum centimetrum et quod excedit longitudine metiuntur. Denticuli exteriores minuti, interiores membranaceos obtusos subirregularesque paulo superantes. Petala carnosula, ferme 2 centim. longa. Antheræ crassiusculæ, in rostrum gracile nonnihil inflexum angustatæ. — In Guyana gallica et anglica, Bonpland, Martin, Poiteau; Brasilia australi, Dupré.

Var. β. *Kappleriana* Steud. non differt a var. α, nisi fortasse floribus paulo minoribus.

2. Henriettea multiflora †.

H. macrophylla pro genere submicrantha 5-mera; foliis elliptico-obovatis breviter et abrupte apiculatis interdumque apiculo deficiente obtusissimis basi subacutis triplinerviis pagina utraque subglabris; fasciculis 5-9-floris; calycibus breviter et adpresse strigillosis.

Species quoad habitum et faciem præcedenti simillima sed floribus multo minoribus et in quovis fasciculo numerosioribus distincta. Folia 1 ½-2 decim. longa, 8-10 centim. lata, petiolo bicentimetrali. Florum fasciculi supra foliorum delapsorum cicatrices orti strigillosi. Florum pedicelli 5-10 millimetra longi; calyces quam in *H. succosa* dimidio breviores et tenuiores, tubo oblongo-campanulato infra limbum nonnihil constricto, limbo breviter et obtuse 5-lobo. Stamina 10 æqualia, antheris oblique rostratis. Cætera ut in præcedente. — In Guyana anglica; Schomburgk, *Cat.*, nº 199.

3. Henriettea trinervia †.

H. submacrophylla pro genere micrantha 5-mera; foliis ellipticis ellipticove-obovatis acuminatis trinerviis, pagina superiore sparsim breviterque strigillosis aut glabratis, inferiore pubentibus; calycibus adpresse setulosis.

Planta a præcedente primo obtutui non diversa, attentius considerata dissimilis. Differt potissimum foliis ab ipsa basi trinervibus nec triplinerviis et floribus multo (fortassis triplo) quam in illa minoribus. Explicatos cæterum non vidimus, in nostro specimine enim alabastra tantum nec matura quidem suppetebant. — In Guyana batavica prope *Surinam*; Hostmann, *Cat.* nº 373.

4. Henriettea Martii. — *Phyllopus Martii* DC., *l. c.*, 178.

— Mart. *Nov. gen. et spec.*, III, 143, tab. 275. — *Henriettea oblongifolia* Ndn., *l. c.*, 57.

H. substenophylla macrantha 6-mera et 5-mera; foliis lanceolato-oblongis acuminatis acutissimis basi subobtusis marginibus tenuissime crenulatis integerrimisve triplinerviis, pagina superiore pilis rufescentibus sparsis villosula, inferiore pube stellata adpressissima obducta; floribus ad apices ramulorum axillarium terminalibus solitariis-ternis.

Species ab omnibus ejusdem generis distinctissima. Frutex est circiter 3-metralis, ramis teretibus, supremis rufescenti-setosis. Folia 1 ½-2 decim. longa, 2-4 centim. lata, petiolo 1-1 ½-centimetrali. Ramuli floriferi ex axillis foliorum nondum delapsorum orti, 1-3 centim. longi. Calyces villosissimi ferruginei illos *H. succosæ* magnitudine nonnihil superantes, dentibus mollibus obtusis. Petala obovata apiculata subinæquilatera sesquicentimetrum longa purpurea. Genitalia ut in præcedentibus. — In Brasilia, loco haud designato. Specimen nostrum e Musæo lusitanico missum est.

5. HENRIETTEA ORINOCENSIS Ndn., *l. c.*

H. stenophylla macrantha 6-mera; foliis oblongis acuminatis basi acutis triplinerviis glabratis; floribus axillaribus ut plurimum solitariis; calycibus rufescenti-hirsutissimis.

Folia 1-2 decim. longa, 3-4 centim. lata, petiolo sesquicentimetrali, nervis lateralibus circiter sesquicentimetrum supra basim limbi e nervo medio ortis, pagina superiore glaberrima aut glabrata, inferiore adpresse tomentella rufescente. Calyces dense villoso-hirsuti 6-meri (interdumque 5-meri), dentibus interioribus brevibus obtusis dorso denticulatis. Ovarium 6-loculare. Flores aperti non suppetebant. — In America æquinoctiali, secus ripas fluminis Orinoci; Bonpland.

Species addenda :

6. H.? BRASILIENSIS Casaretto, *l. c.*

Species exclusæ :

H. Patrisiana DC. — HENRIETTELLA PATRISIANA.

H. ramiflora DC. — HENRIETTELLA RAMIFLORA.

CXXXI. *HENRIETTELLA.*

Henrietteæ spec. DC., *Prod.*, III, 178.

Flores 5-meri, amblypetali et oxypetali. Calycis tubus campanulatus; limbus breviter et obtuse dentatus aut sinuatus, denticulis exterioribus minutis aut saltem tuberculis instructus. Petala diversiformia, ovata lanceolataque, nonnunquam in acumen producta. Stamina 10 æqualia, inter se conformia; antheris linearibus, apice obtusis aut subulatis non autem in rostrum attenuatis, 1-porosis; connectivo nec producto nec appendiculato. Ovarium maxima parte adhærens, 5-4-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus baccatus. Semina in pulpa nidulantia, irregulariter obovato-angulata..

Frutices in America æquatoriali crescentes, ramiflori micranthi; ramis annotinis supra cicatrices foliis delapsis succedentes floriferis; foliis petiolatis ovatis ovatove-ellipticis sæpe acuminatis, integerrimis aut inconspicue denticulatis, tri-triplinerviis; floribus in fasciculos aggregatis pedicellatis aut subsessilibus, albis vel rubentibus.

Henriettella, qualem hic instituimus, genus est subartificiale sed habitu specierum plane homogenum. Species amblypetalæ florum charactere Miconiis conveniunt, dum Clidemiis oxypetalæ, quas tamen utrique generi alienas inflorescentia ramiflora satis indicat. Ad Sagræas tendunt florum dispositione, ab illis floris partium numero quinario discedunt, nec magis cum Henriettea confundentur quippe quæ flores multo majores antherasque in rostrum apice attenuatas habeat.

1. Henriettella Patrisiana. — *Henriettea? Patrisiana* DC., *l. c.*, 178.

H. ramis supremis obscure 4-gonis mox subteretibus; foliis ovatis acutis subacuminatisque basi rotundatis integerrimis ciliatis, prætermisso utroque nervulo submarginali triplinerviis, pagina superiore glabrata aut setulis malpighiaceis conspersa,

inferiore pilis stellatis minutis punctulata ; nervis strigillosis ; fasciculis 3-7-floris.

Rami annotini floriferi pennam anserinam crassitudine vix æquantes. Folia 7-12 centim. longa , 4-7 lata , petiolis circiter centimetralibus. Florum pedicelli crassi millimetrales aut vix productiores. Calycis lobi obtusi sed distincti, denticulo exteriore manifesto instructi. Petala elliptico-ovata subacuta. Ovarium 5-loculare. — In Guyana gallica, Poiteau ; batavica, Hostman, *Cat.* n. 360 et 999.

2. HENRIETTELLA SEEMANNII †.

H. ramis floriferis subvirgatis apice tantummodo foliosis obscure 4-gonis strigillosis ; foliis oblongo-ovatis acutis basi rotundatis 3-nerviis sparsim setulosis, marginibus villoso-ciliatis ; fasciculis 3-5-floris strigillosis ; floribus brevissime pedicellatis.

Species *H. Patrisianæ* habitu fere similis sed ut videtur ab ea distinguenda. Rami quam in illa lentiores et minus foliosi ; folia etiam longiora et gracilius petiolata , trinervia nec triplinervia , decimetrum et quod excedit longitudine metientia, latitudine 4-5-centimetralia ; petiolis 2 centimetra longis , villosis. Calyces ut in præcedente specie sed villosiores. Petala obovato-oblonga subacuta 4-5 millim. longa. Ovarium 5-loculare. — In America centrali prope *Panama;* Seemann. Planta a clarissimo Hooker Musæo parisiensi communicata.

3. HENRIETTELLA GOUDOTIANA †.

H. ramis hornotinis strigillosis foliosis, annotinis teretibus glabratis floriferis ; foliis ovato-ellipticis vix acuminatis acutis integerrimis 3-nerviis subtiliter et sparsim setulosis ; fasciculis 3-5-floris ; petalis 5-lobis.

Specimen nostrum ramulus est e frutice 3-4-metrali decerptus , calamum scriptorium crassitudine vix æmulans. Folia 5-7 centim. longa, 2-3 lata , limbo basi subacuto , petiolo ferme centimetrali , nervis tribus ex ipsa basi limbi ortis. Flores subsessiles aut pedicello vix millimetrali instructi. Calycis dentes obtusi, extus denticulo punctiformi armati. Petala ovata, utroque latere bidentata aut biloba, adjectoque lobo intermedio terminali obtuso lateralibus majore 5-loba. Stamina apice poro subextrorso aperta, obtusa. Ovarium 4-loculare (fortassis etiam 5-loculare). Semina dimidiato-ovoidea. — In montibus Reipublicæ novo-granatensis prope *Chaparal ;* Goudot.

CXXXII. *LOREYA.*

LOREYA DC., *Prod.*, III, 178. — MELASTOMATIS spec. Aubl., *Guyane*. I, 420. — Endlicher, *Gen. plant.*, n° 6253.

Flos 5-merus. Calyx late campanulatus, limbo integro aut vix conspicue sinuato-dentato denticulis exterioribus destituto. Petala oblongo-obovata obtusa nonnunquam apiculata. Stamina 10 æqualia; antheris oblongis 1-porosis, connectivo infra loculos nec producto nec appendiculato. Ovarium in fundo calycis omnino adhærens depressum 5-loculare. Stylus filiformis, stigmate clavato aut capitellato. Fructus baccatus calycis limbo coronatus. Semina minuta numerosa ovoideo-angulata.

Arbores et arbusculæ fruticosæ guyanenses et antillanæ, macrophyllæ micranthæ; ramis hornotinis ad apices foliosis, vetustioribus denudatis et floriferis; foliis elliptico-ovatis obovatisve integerrimis tripli-quintuplinerviis glabris; floribus in cymas paniculiformes breves densifloras seu fasciculos foliis delapsis succedentes congestis pedicellatis, albis aut fortasse roseis; fructibus nonnunquam edulibus, pulpa grate saccharina refertis.

Loreya genus est artificiale cujus species statura et habitu inter se discrepant, sibi autem fabrica florum melius conveniunt. Generibus ramifloris et imprimis Henriettellæ affinis est.

1. LOREYA ARBORESCENS DC., *l. c.* — *Melastoma arborescens* Aubl., *l. c.*, tab. 163.

L. arborea; foliis petiolatis late ellipticis basi subrotundatis ut plurimum quintuplinerviis glabris aut glabratis; floribus in cymas seu paniculas breves corymbiformes dispositis; antherarum loculis undulatis; stigmate capitellato-peltato.

Species inter Melastomeas statura procera circiter 20-metrali et trunco semimetrum diametro æquante maxime conspicua. Rami floriferi digitum crassitudine æmulantes (saltem in specimine nostro), cortice rugoso vestiti, nodosi. Folia late ovata et sæpe suborbicularia, 1-1 ½ decim. longa, 8-10 centim. lata, interdum minora, quintuplinervia. Cymæ supra cicatrices foliis delapsis succedentes e ramis annotinis ortæ, solitariæ-

ternæ, breviter pedunculatæ, trichotome divisæ. Florum pedicelli proprii 2-4-millimetrales. Bacca matura, si Aubletio credatur, pomi *Mespili germanicæ* crassitiem refert et ab incolis Guyanæ gallicæ, ubi indigena est arbor, comeditur. Specimen unicum habemus ex herbario Bonplandiano.

2. L. Loreya fasciculiflora †.

L. fruticosa? fere glaberrima; foliis subsessilibus elliptico-obovatis apiculatis basi angustata cuneatis, prætermisso nervo utroque submarginali insigniter triplinerviis; floribus in fasciculos paucifloros supra cicatrices foliis delapsis succedentes digestis graciliter pedicellatis; antheris lævigatis; stigmate clavato.

Speciem egregiam et a *Loreya arborescente* plurimis notis discedentem pro typo generis proprii sub nomine *Aphanodontis* primo habueramus, postea vero quum consideravimus quantula esset differentia inter illius flores et *Loreyæ arborescentis*, quantusque generum jam descriptorum numerus, satius visum est eas duas formas, etsi non omnino sibi invicem convenientes, in eodem genere includere.

Loreya fasciculiflora ut videtur frutex est nec arbor. Folia maxima sunt, id est 2 decimetra et quod excedit longa, 1 lata; petiolo brevissimo crasso triquetro furfuraceo; nervis marginalibus tenuibus in parte basali limbi evanidis; intermediis duobus robustis, e nervo medio circiter 4 centimetra supra limbi basim attenuatam exeuntibus. Florum fasciculi pedunculo communi destituti, e ramis annotinis supra cicatrices maximas triangulares foliis delapsis succedentes orti. Pedicelli proprii graciles centimetrum et quod excedit longi. Calyx omnino campanulatus, limbo integerrimo. Petala ferme centimetralia apiculata aut obtusa. Antheræ oblongæ, loculis lævigatis aut saltem non manifeste undulatis. Stigma capitellato-clavatum. — In insula Jamaica. Specimen a celeberrimo Hookerio nobis communicatum est.

Species ut videtur addendæ :

3. L. flavescens. — *Ossæa flavescens* DC. Prod., III, 169. — *Melastoma flavescens* Aublet. *Guyane, l. c.*

4. L. Trinitensis H. Crüger, *Linnæa* XX, 108. — Walp., *Ann. bot. syst.*, 301.

Genus incomplete descriptum, maxime dubium, in hac subtribu fortasse collocandum:

CXXXIII. — *TRUNCARIA*.

TRUNCARIA DC., *Prod.*, III, 106. — Endlicher, *Gen. plant.*, nº 6182.

1. TRUNCARIA CARYOPHYLLÆA DC., *l. c.*

Subtribus IV. — CHARIANTHEÆ.

Frutices americani, floribus 4-meris antherisque longitudinaliter birimosis insignes. Subtribus hæc adhucdum unicum genus continet ; id est :

Charianthus.

CXXXIV. *CHARIANTHUS*.

CHARIANTHUS Don., *Mem. Wern. soc.*, IV, 327. — DC., *Prod.*, III, 196. — MELASTOMATIS spec., Vahl, *Icon. Amer.*, tab. 16. — Bonpland, *Melast.*, tab. 44. — Endlicher, *Gen. plant.*, nº 6263.

Flos 4-merus. Calycis tubus campanulatus, limbus dilatatus 4-lobus, lobis obtusis extus denticulo tuberculiformi parum distincto instructis. Petala exserta ovata obtusissima. Stamina 8 æqualia aut subæqualia, in flore explicato longe exserta ; antheris oblongo-ovoideis rima duplici dehiscentibus, connectivo haud producto nec appendiculato, filamentis crassiusculis. Ovarium ad apicem usque adhærens 4-loculare, placentis parum productis. Stylus filiformis longus, stigmate obtusissimo. Capsula subbaccata ? globosa, calycis limbo persistente coronata, 4-valvis?. Semina pyramidato-ovoidea, raphe laterali nigra notata.

Frutices utriusque Americæ et Antillarum indigeni, monticolæ, habitu florumque abundantia et decore insignes, ramosi glabri aut setosi; foliis subcoriaceis petiolatis ovatis aut suborbicularibus 5-*nerviis ; paniculis cymosis corymbiformibus terminalibus, fructiferis demum alaribus ; floribus pedicellatis purpureis.*

1. CHARIANTHUS COCCINEUS Don., *l. c.* — DC., *l. c.*

C. ramis subteretibus lignosis glabris aut glabratis; foliis ovatis

acuminatis acutis integerrimis subquintuplinerviis, pagina superiore glaberrimis, inferiore in prima juventute pube stellata minima conspersis moxque glabratis; cymis majusculis corymbiformibus terminalibus.

Folia quoad formam et magnitudinem variant; adsunt longiora et breviora, imo apud quædam specimina in eodem verticillo ternata reperiuntur, 5-8 centim. ut plurimum longa, 3-5 lata, petiolo 1-2-centimetrali, nervis tribus intermediis sæpissime paulo supra basim coalitis unde triplinervia fiunt. Lobi calycini sæpe obsoleti. Petala 12-13 millim. longa, interdum fere dimidio breviora. — In excelsioribus jugis Guadalupæ et Martinicæ, ad altitudinem circiter 1000 metrorum; Beaupertuis, Lherminier, Perrottet, de Badier, Plée, etc. Specimen quoque habemus e Carolina Americæ borealis a clar. Noisette collectum in quo nullum cum specie antillana discrimen a nobis repertum est.

Chariantihus ciliatus DC., *l. c.*

C. ramis supremis strigoso-hispidissimis interdumque glaberrimis; foliis coriaceis rotundato-ovatis obovatisve apiculatis margine strigoso-serrulatis ciliatisque 5-nerviis, in prima juventute supra viscidulis, subtus hispidis, demum subglabratis; corymbis lateralibus?

Species *C. coccineo* proxima cui tamen non adjungenda est, sed ipsa variat, siquidem specimina habemus quorum rami glaberrimi sunt et alia in quibus setis rigidis densis horrescunt, omnia tamen foliorum facie et vestitu secum invicem quadrant. Folia 4-5 centim. longa, 3-4 lata, petiolo crasso circiter centimetrali, in speciminibus setoso-hispidis pariter hispido, nervis subtus prominentibus, nec supra basim, ut in præcedente specie inter se coalitis. E speciminibus nostris unum tantum floriferum cymam corymbiformem setoso-hispidulam, in parte rami vetustiore foliisque nudata lateraliter insidentem exhibet, quod fortasse casu factum est et meram exceptionem demonstrat. Flores ut in *C. coccineo*, sed limbus calycinus amplior ejusque lobi productiores quam in illo videntur. Species ad *C. ciliatum* DC. dubitanter relata. — In montosis insulæ Martinicæ, dictis *Montagne pelée*; Clarissima virago Rivoire.

3. Chariantihus crinitus †.

C. macrophyllus; ramis supremis dense setoso-crinitis; foliis ut plurimum obovatis acuminatis basi subcordatis integerrimis

aut obsolete sinuato-crenatis setoso-ciliatis cæterum glabris glabratisve 5-nerviis; paniculis corymbiformibus terminalibus ad nodos præsertim setoso-crinitis.

Rami supremi floriferi, qui nobis soli suppetunt, crassiusculi obtuse tetragoni, setis longis rufescentibus criniformibus dense obsiti, vetustiores vellus exuentes et tunc tuberculis setarum delapsarum vestigiis exasperati. Folia quam in præcedentibus speciebus majora, 1-1 ½ decimetrum longa, 6-8 centim. et quod excedit lata, petiolo hirsutissimo 3-4-centimetrali, nervis in pagina inferiore passim hispidis. Paniculæ ut in *C. coccineo* terminales, trichotome ramosæ, ramis hirsutis aut crinitis. Flores ut in præcedentibus. Affinis videtur *C. purpureo*. — Planta ex herbario Bonplandiano ad nostrum migrata, Americæ meridionalis indigena, sed ex qua parte oriunda sit haud indicatum est; speciem antillanam suspicamur.

Species addendæ sed non omnino certæ :

4. C. GLABERRIMUS DC., *l. c.* — *C. Berteroanus* Seringe, *mss.*
5. C. LINIFOLIUS Don., *l. c.* — DC., *l. c.*
6. C. PURPUREUS Don., *l. c.* — DC., *l. c.*

Subtribus V. — DAVYEÆ.

Arbusculæ, frutices rariusque suffrutices, in utraque America et Antillis indigeni. Flores 4-5-6-meri. Calycis limbus nunc integer, nunc in lobos divisus aut etiam in calyptram conflatus, denticulis externis instructus aut destitutus. Stamina petalorum numero dupla, æqualia aut parum disparia ; antheris in filamento magis minusve inflexis, ut plurimum extrorsum recurvis, 1-2-porosis, connectivo postica basi in calcar acutum aut saltem tuberculum crassum nonnunquamque in vesicam desinente, dorso appendicem diversiformem adscendentem haud raro gerente. Ovarium liberum, rarius basi adhærens, 3-7-loculare. Fructus capsularis, in maturitate loculicide 3-7-valvis. Semina oblonga angulato-pyramidata. — Subtribus maxime naturalis est.

Conspectus generum :

Platycentrum.
Calyptrella.
Graffenrieda.

Cycnopodium.
Chastenæa.
Axinæa.
Meriania.
Brachycentrum.
Notocentrum.
Calyptraria.
Davya.
Centronia.
Leiostegia.

Genus dubiæ affinitatis :

Sarmentaria.

CXXXV. *PLATYCENTRUM.* Tab. V, fig. 1.

Flos 5-merus. Calycis campanulati dentes exteriores late ovati acuti apice in setam abeuntes , interiores membranacei prioribus breviores obtusi et parum conspicui. Petala ovato-oblonga subacuta. Stamina 10 æqualia aut vix non æqualia ; antheris lineari-subulatis erectis apice 1-porosis , loculis transversim corrugatis ; connectivo infra loculos non producto, basi postica appendicem ovato-ellipticam applanatam subobtusam sursum erectam antheris ipsis dimidio breviorem gerente ; filamentis complanatis. Ovarium ovoideum liberum 3-loculare. Stylus filiformis , stigmate obtuso punctiformi. Fructus ignotus, fortasse capsularis.

Frutex guyanensis ramosus submacrophyllus micranthus micropetalus ; ramis subgracilibus teretiusculis sparsim setulosis ; foliis petiolatis in eodem jugo non omnino æqualibus ovato-ellipticis aut late lanceolatis acuminatis basi acutis integerrimis setuloso-ciliolatis, prætermisso nervo utroque submarginali, triplinerviis ; paniculis terminalibus pyramidatis multifloris ; floribus breviter pedicellatis et sessilibus.

Genus ad Clidemieas et Davyeas fere æqualiter pertinens, vinculumque naturale inter illas subtribus constituens.

1. Platycentrum clidemioides †.

Rami supremi foliosi penna anatina vix crassiores, in prima juventute pauci-setulosi , adulti magis minusve glabrati. Folia primo intuitu sub-

glabra, in nervis primariis densius setulosa, in herbario virorem retinentia, 1 ½-2 decim. longa, 5-7 centim. lata, petiolo 1-2-centimetrali. Paniculæ circiter foliorum longitudine, opposite ramosæ, ramis gracilibus, ramulis extremis 1-3-floris. Petala minuta pellucida erecta, 1 ½ millim. longa, ut videtur alba. Antheræ rectæ, non autem recurvæ nec in filamentum geniculato-inflexæ ut in pluribus Davyearum generibus, appendice postica linguiformi connectivi dorso applicata. — In Guyana gallica; Mélinon.

CXXXVI. *CALYPTRELLA.*

Flos 6-merus. Calyx inapertus ovoideus; limbo calyptriformi acuminato sub anthesi circumscisso et deciduo, tubo persistente hemisphærico. Petala ovato-lanceolata acuminata. Stamina 12 subæqualia aut æqualia; antheris lineari-oblongis apice 1-porosis nonnihil recurvis suberectis, connectivo infra loculos modice producto et postice ultra filamenti insertionem in calcar acutissimum porrecto. Ovarium ovoideum liberum 4-loculare. Fructus ut videtur capsularis.

Frutex? mexicanus monticola, macrophyllus micranthus subglaber aut in summitatibus pulverulentus; ramis supremis teretibus fistulosis aut saltem medullosis; foliis longe petiolatis late ovatis obovatisve breviter acuminatis basi rotundatis integerrimis aut vix conspicue crenulatis, prætermisso nervulo utroque marginali, 5-*nerviis; paniculis terminalibus maximis pyramidatis opposite ramosis; floribus in ramulis extremis solitariis aut glomeratis, pedicellatis et sessilibus.*

1. Calyptrella Galeottii †.

Rami supremi etiam sub panicula pennam cycneam crassitudine æmulantes, in herbario fistulosi. Folia (duo tantum supersunt in specimine nostro) glabra aut potius pube pulverulenta pauca (sub ipsa lente vitrea vix conspicua) punctulata, sesquidecimetrum circiter longa, 8-9 centim. lata, petiolis gracilibus 6-8-centimetralibus. Panicula ampla (3 decim. longa et lata in specimine nostro) laxa, ramis obtuse tetrahedris et sulcatis. Calyces sub anthesi 5-6 millim. longi. Petala pariter 5-6-millimetralia, rosea. Fructus maturi non suppetebant. — In montibus prope *Oaxaca*, ad altitudinem 1000 metrorum; Galeotti.

CXXXVII. *GRAFFENRIEDA*. Tab. V, fig. 4.

Graffenrieda DC. *Prodr.*, III, 105. — Non Mart., *Nov. gen.*, III, 145. — Rhexiæ spec., Bonpl., *Rhex.*, 56, tab. 25. — Endlich., *Gen. plant.*, n 61 75.

Flores 4-5-meri. Calyx oblongo-campanulatus, limbo in lobos breviores aut productiores diviso, denticulis externis obsoletis aut brevissimis. Petala obovata, apice rotundata aut acuta. Stamina 8-10 æqualia vel subæqualia; antheris lineari-subulatis extrorsum recurvis 1-porosis antice undulatis, connectivo postica basi in calcar acutum cum ipsa filamenti summitate quasi concretum porrecto, appendice dorsali destituto. Ovarium ovoideum liberum aut basi adhærens 3-5-loculare. Stylus filiformis gracilis, stigmate punctiformi. Capsula calyce persistente circumdata, 3-5-valvis. Semina oblonga pyramidata.

Frutices austro-americani macrophylli micranthi aut submicranthi; foliis petiolatis ovatis obovatisve aut etiam rotundatis 3-5-7-nerviis integerrimis glabris vel glabratis; paniculis terminalibus; floribus roseis purpureis aut albis.

Species hic inclusas, quamvis habitu notisque majoris momenti a se invicem discedant, in unum genus coadunare maluimus quam totidem genera condere, rati ea jam in hac familia plantarum debito numerosiora esse. Fortassis et melius esset si his etiam Cycnopodium jungeretur.

1. Graffenrieda rotundifolia DC., *l. c.*, 106. — *Rhexia rotundifolia* Bonpl., *l. c.*, tab. 25.

G. glabra aut saltem mature glabrata; foliis breviter petiolatis latissime ovatis aut subrotundatis 3-nerviis, nervis duobus lateralibus margini proximis, ideoque primo adspectu fere penninerviis; floribus pedicellatis 5-meris, calycis limbo subintegro.

Frutex, ex auctoritate Bonplandii, bimetralis, a basi ramosus, habitu floribusque pariter decorus. Rami supremi crassiusculi, subteretes, foliosi. Folia 10-12 centim. longa et lata, nervis duobus lateralibus fere

sub ipso margine excurrentibus, nervis transversis prominentibus, petiolo uni-sesquicentimetrali. Paniculæ pyramidatæ circiter 2 decimetra longæ. Florum pedicelli proprii 3-5-millimetrales. Calyces oblongo-campanulati, limbo nonnihil dilatato, obtusissime et brevissime 5-lobo, denticulis exterioribus punctiformibus. Petala obovata, centimetrum et quod excedit longa. Ovarium 3-4-5-loculare, ex ipsa basi liberum. Stylus gracilis longe exsertus. — In montibus Reipublicæ venezuelensis prope *Caripe*, ad altitudinem 900-1000 metrorum; Bonpland.

2. Graffenrieda ovalifolia †.

G. glabra aut in summitatibus ramulorum subpulverulenta; foliis ovatis abrupte breviterque acuminatis, basi nonnunquam subcordatis, rigidulis 5-7-nerviis; paniculis brevibus thyrsoideis; floribus 5-meris, calycis limbo profunde 5-dentato.

Frutex arbusculam statura fortassis æmulans, ramis supremis floriferis foliosisque calamum scriptorium crassitudine subæquantibus. Folia omnino ovata, basi integra aut vix subcordata, apice in acumen 1-1 ½-centimetrale abrupte angustata, 10-13 centim. longa, 6-8 lata, in eodem jugo non omnino æqualia, pagina superiore nitidula, petiolis circiter 2-centimetralibus, nervulis transversis parallelis rectis subtus prominentibus. Flores breviter pedicellati et subsessiles. Dentes calycini acuti, sub apice tuberculo exteriore minuto vix perspicuo et quasi nullo instructi. Petala ovata acuta, 8 millim. circiter longa. Stamina æqualia, connectivo postice in calcar acutum porrecto et paulo supra basim calloso-incrassato. Ovarium liberum 3-4-loculare. — In Guyana anglica, prope *Roraima*, Schomburgk, *Cat.* n° 568.

3. Graffenrieda Weddellii †.

G. foliis ovatis acutis basi cordatis 5-nerviis in utraque pagina albentibus; paniculis subbrevibus pyramidatis; floribus subsessilibus 5-meris, calycis dentibus productis triangulari-acutissimis.

Frutex 1-2-metralis, a præcedente vix distinctus eique fortasse coadunandus. Ab illo tamen differt foliis basi cordatioribus aut omnino cordiformibus magis albentibus, tomentum adpressum brevissimum in pagina inferiore monstrantibus; petalis obovato-acutis demumque staminibus alternatim manifeste inæqualibus. Folia 6-8 centim. longa, 5-6 lata. Flores brevissime pedicellati aut subsessiles. Petala obovata apiculata, 5-6 millim. longa, alba. Ovarium liberum 3-loculare. — In Brasilia occi-

dentali ad scatebras fluminis dicti *Paraguay*, prope pagum vulgo *Diamantino*, provinciæ *Matò grosso;* Weddell, *Cat.* n° 3050.

4. GRAFFENRIEDA MICONIOIDES †.

G. macrophylla micrantha floribunda; ramis teretibus glabris aut in prima juventute pulverulentis moxque glabratis; foliis petiolatis obovatis ovatisque breviter acuminatis trinerviis glabris; paniculis terminalibus pyramidatis thyrsoideisve; floribus brevissime pedicellatis 4-meris.

Frutex toto habitu et inflorescentia Miconias referens, Davyeis autem propter staminum fabricam merito addictus. Rami supremi teretes, pennam cycneam crassitudine subæquantes, in prima juventute ut panicula ipsa furfure tenui cinerescente afflàti, mox glabrati. Folia sesquidecimetrum et quod excedit longa, 8-10 centim. lata, integerrima, pagina superiore nitida in herbariis nigrescente, nervis lateralibus duobus margini proximis, petiolis 2-3-centimetralibus. Paniculæ terminales magnæ, id est sesquidecimetrum et quod excedit longæ et latæ, quasi pedunculatæ, opposite ramosæ, rachi ramisque obtuse tetrahedris. Flores in ramulis subfasciculati aut saltem subverticillato-aggregati, pedicellis 1-2-millimetralibus suffulti. Calyces oblongo-campanulati, limbo 4-lobo, denticulis externis nullis. Petala late obovata, ferme 6 millim. longa et lata. Stamina æqualia, antheris lineari-subulatis valde recurvis luteolis, connectivo postica basi in calcar acutissimum producto. Ovarium basi adhærens, superius liberum, 3-loculare. Fructus ignotus sed hunc capsularem suspicamur. — In Brasilia, secus ripas fluminis dicti *Rio negro;* Bonpland.

Species exclusæ:

G. jucunda Mart. *Nov. gen. et spec.*, III, 145. — MICONIA STAMINEA.

G. excelsa DC., *l. c.* BRACHYCENTRUM EXCELSUM.

CXXXVIII. *CYCNOPODIUM.*

CYCNOPODIUM Ndn., *Ann. des sc. nat.*, 3ᵉ série, IV, 52. — Delessert, *Icon. select.*, V, 1, tab. 3.

Flos 4-merus. Calycis campanulati tubus 8-costatus, limbus 4-dentatus, dentibus triangulari-acutis simplicibus aut sub apice tuberculo minuto vix perspicuo instructis. Petala obovata retusa.

Stamina 8 subæqualia conformia; antheris oblongis extrorsum recurvis uniporosis, connectivo postica basi in calcar acutum porrecto. Ovarium liberum ovoideum apice obtusum biloculare. Stylus filiformis, stigmate subulato. Capsula calyce persistente velata loculicide bivalvis. Placentæ centrales parum productæ. Semina numerosa oblongo-pyramidata, hilo apicali, raphe lineari hinc excurrente.

Frutex (*nonne potius arbuscula?*) *antillanus glaber macrophyllus micranthus; ramis subteretibus aut obscure et obtuse 4-gonis; foliis longe petiolatis latissime ovatis aut potius suborbiculatis obtusis interdumque acutiusculis integerrimis* 7-9-*nerviis; paniculis magnis multifloris terminalibus; floribus brevissime pedicellatis aut subsessilibus.* — Nomen a vocibus græcis foliorum cum pede cycneo similitudinem indicantibus ductum.

1. Cycnopodium latifolium Ndn., *l. c.*

Folia ut plurimum 12-14 centim. longa et lata, haud raro paulo latiora quam longiora, petiolis 5-7-centimetralibus. Flores minuti. Calyces fructiferi semine cannabino vix crassiores. — In insula S.-Vincentii Antillarum; Anderson. Hanc plantam habemus ex herbario Bonplandiano.

CXXXIX. *CHASTENÆA.*

Chastenæa DC., *Prod.*, III, 102. — Ndn., *Ann. des sc. nat.*, 1845, t. IV, 54. — Benth., *Plant. Harweg.*, 182. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6171. — Pachymeria Benth., *l. c.*, 130. — Axinææ spec., Ruiz et Pav., *Flor. Per. ined.*

Flores 5-meri (fortassis et abortu 4-meri). Calycis tubus late campanulatus hemisphæricus aut dilatato-disciformis; limbus integerrimus vel brevissime et obtuse 5-lobus, denticulis externis obsoletis tuberculiformibus aut nullis. Petala obovata retusa aut emarginata, ante floris explicationem exserta. Stamina 10 (vel 8 in floribus 4-meris) æqualia aut vix non æqualia; antheris lineari-subulatis rectis aut parum recurvis 1-porosis in anthesi inflexis, connectivo postica basi in calcaneum sæpius tumidum obtusum aut acutum producto, nonnunquam paulo supra basim inflato-vesiculoso; filamento brevi complanato. Ovarium liberum

5-costatum apice truncato umbilicatum 5-loculare. Stylus crassiusculus, stigmate obtuso punctiformi. Capsula calyce persistente circumdata loculicide 5-valvis, placentis productis margine incrassatis. Semina oblongo-pyramidata, hilo basilari.

Frutices austro-americani monticolæ, glabri aut in novellis parce furfuracei; foliis subcoriaceis petiolatis elliptico-ovatis obovatisque acutis denticulatis 3-5-*nerviis*, *nervulis transversis subapproximatis parallelis; paniculis brevibus subcorymbiformibus*, *ramulis ut plurimum* 3-*floris; floribus pedicellatis.*

Genus Merianiæ proximum, ab ea vix satis diversum limbo calycino integro dentibusque externis obsoletis.

1. Chastenæa Merianiæ DC., *l. c.* — Decaisne, *Deless. Icon. select. plant.*, V, tab. 2.

C. glaberrima ; foliis late ellipticis apice acutis basi subacuminatis serratis tripli-quintuplinerviis ; paniculis suboliganthis ; calycibus depressis ; antherarum vesicula postica rotundata obtusa terminali.

Folia 4-6 centim. longa, 2-3 lata, adjecto utroque nervo marginali quintuplinervia aut prætermisso triplinervia, petiolis sesquicentimetrum et quod excedit longis. Paniculæ aphyllæ breves nonnihil corymbiformes, ramulis 3-floris, pedicellis florum propriis circiter centimetralibus. Calyces latissime campanulati idcircoque quasi depressi, limbo vix perspicue 5-sinuato, extus tuberculis totidem denticulorum externorum rudimentis instructo. Petala late retusa subinæquilatera concava, circiter sesquicentimetrum longa, sub anthesi exsertissima, alba aut rosea. — In monte *Saraguru* Reipublicæ novo-granatensis ; Bonpland.

2. Chastenæa affinis †.

C. præcedenti fere simillima, glabra ; foliis longiuscule petiolatis late ovatis subacutis remote sinuato-dentatis, adjecto nervo utroque submarginali 5-nerviis; calycibus depressis ; antherarum vesicula ovoidea postice apiculata.

Species primo obtutu *C. Merianiæ* similis, ab ea tamen characteribus paucis sed facile deprehendendis distinguenda. Folia quam in illa latiora,

basi minus angustata nec quintuplinervia, nervis utriusque paris lateralis basi inter se coalitis, nervulis transversis non omnino approximatis ut in altera specie, 5 centim. circiter longa, 2 ½-3 lata, petiolis sesquibicentimetralibus. Cymæ terminales pauciflorae, pedicellis florum propriis fere centimetrum longis. Calycis depressi late campanulati limbus integerrimus, denticulis externis indistinctis aut potius nullis. Petala obovata retusa sesquicentimetrum et quod excedit longa, purpurea. Antheræ in ipsa anthesi inflexæ breviusculæ, vesica crassa postice apiculo terminata. — In montibus Reipublicæ venezuelensis, provinciæ *Truxillo*, ad altitudinem 2000-2500 metrorum; Funck et Schlim, *Cat.* n° 737.

3. CHASTENÆA LEPIDOTA Benth. *Plant. Hartw.*, p. 152. — *C. coriacea* Ndn., *l. c.*, p, 55. — Walp. *Repert. bot.*, V, 577.

C. non omnino glabra; foliis coriaceis ellipticis utrinque subacutis subobtusisve margine nonnunquam subrevoluto remote denticulatis rarius omnino integerrimis tri-triplinerviis, pagina superiore glaberrimis, inferiore tomento lepidoto albido conspersis aut glabratis; calycibus hemisphæricis; antherarum vesicula apiculata.

Species facie variabilis, folia latiora aut angustiora, glabra aut lepidota, flores majores minoresque secundum loca ostendens, ab utraque præcedente specie foliis coriaceis potissimum diversa. Foliorum limbus 3-5 centim. longus, 1-3 latus, fere triplinervius scilicet nervis lateralibus duobus e medio millimetrum et quod excedit supra basim ortis. Calyx hemisphæricus rugosus obsolete 10-costatus, denticulorum externorum rudimentis indistinctis aut nullis. Petala sesquicentimetrum et quod excedit longa obovata emarginata. — In montibus novo-granatensibus et columbianis; Bonpland, Hartweg.

4. CHASTENÆA MACROPHYLLA Ndn., *l. c.*, 55. — Walp. *Repert. bot.*, V, 677.

C. glaberrima; foliis late ellipticis apiculatis, basi in petiolum breviter decurrente reflexis, remote dentatis, prætermisso nervulo utroque submarginali 5-nerviis; cymis terminalibus 3-floris in paniculam brevem confertis; calycibus hemisphæricis; antherarum vesicula postice apiculata.

Folia quam in præcedentibus paulo majora, 7-9 centim. longa, 4-5 lata, fere 7-nervia, nervulis transversis nonnihil reticulatis, petiolis

2-3-centimetralibus. Florum pedicelli centimetrum et quod excedit longi. Calyces late campanulati non autem depressi ut in *C. Merianiæ*, limbo vix conspicue sinuato, tuberculis externis non omnino inconspicuis. Petala obovato-cordiformia circiter sesquicentimetralia.— In montibus Reipublicæ novo-granatensis prope *Bogota*, loco dicto *La Pena vieja;* Goudot. Hanc speciem etiam habemus ex herbario Bonplandiano.

5. Chastenæa grandifolia †.

C. macrophylla multiflora; ramis supremis petiolisque pulverulentis mox glabratis; foliis ovatis obtuse apiculatis sinuato-dentatis 5-nerviis, marginibus basi tantum reflexis, limbi pagina superiore in ipsa insertione petioli tuberculo semiannulari instructa; paniculis terminalibus corymbosis.

Planta *C. macrophyllam* habitu quodammodo referens sed foliis multo majoribus et, ut videtur, floribus minoribus et numerosioribus distincta. Rami supremi foliosi et floriferi calamum scriptorium crassitudine æquantes aut superantes. Folia, quæ in eodem jugo nonnihil sunt disparia, a decimetro ad duo decimetra longitudinem variant, decimetrum latitudine sæpe etiam metiuntur, petiolis 3-4-centimetralibus, apice ubi in limbum explicantur tuberculum transversum ex ipsa basi limbi conflatum gerentibus. Panicularum ramuli tri-multiflori, pedicellis propriis 6-10-millim. longis. Calyx late campanulatus, limbo integerrimo, denticulis externis destituto. Petala obovata inæquilatera retusa, centimetrum circiter longa, purpurea. Antherarum vesica ovoidea postice apiculata. — In provincia Meridæ Reipublicæ venezuelensis, loco dicto *Paramo del Zumbadar*, ad altitudinem 2000-2500 metrorum; Funck et Schlim, *Cat.* nº 1250.

6. Chastenæa floribunda †.

C. macrophylla; ramis supremis petiolisque pulverulentis demum glabratis; foliis elliptico-ovatis obovatisque apiculatis interdumque breviter et abrupte acuminatis basi nonnihil acutis aut rotundatis sinuato-dentatis, prætermisso utroque nervulo marginali, 5-nerviis; paniculis terminalibus corymbosis multifloris; floribus pro genere parvis.

Planta *C. grandifoliæ* valde affinis et ab ea fortassis non dissocianda. Differt potissimum foliorum limbo basi nudo nec ut in illa tuberculo semiannulari petiolum circumdante instructo. Folia cæterum illis alterius speciei propemodum conformia sed paulo minora, limbo decime-

trum aut sesquidecimetrum longo, 6-8 centim. lato, petiolo circiter 3-centimetrali. Paniculæ magnæ, ramulis multifloris et quasi umbellatis, pedicellis 5-6-millimetralibus. Calyces calycibus *C. grandifoliæ* paulo minores (saltem in speciminibus nostris) sed illis omnino conformes. Petala obovata, apice rotundata, centimetralia, rubra. Stamina ovariumque ut in altera specie, sed stylus gracilior et longior.—In Republica novo-granatensi, locis umbrosis, circa urbem *Pamplona*, ad altitudinem 2000-2500 metrorum ; Linden, *Cat.* n° 768, Funck et Schlim, *Cat.* n° 1477.

Species addendæ sed incertæ et fortassis sub aliis nominibus descriptæ :

7. C. LANCEOLATA, — *Axinæa lanceolata* Ruiz et Pav., *l. c.*, tab. 512.—Don, *Mem. Wern. soc.*, IV, 319.—DC., *l. c.*, 101.

8. C. GLANDULOSA. — *Axinæa glandulosa* Ruiz et Pav., *l. c.*, tab. 412. — Don, *l. c.*, 321. — DC., *l. c.*, 101.

9. C. RIGIDA. — *Pachymeria rigida* Benth., *l. c.*, 130. — Walp., *Repert. bot.*, V, 677.

Species exclusæ :

C. longifolia Ndn., *l. c.*, 1845. — MERIANIA KARSTENII.

CXL. *AXINÆA.*

AXINÆA Ruiz et Pavon, *Prod.*, 57, tab. 12. — *Syst.*, 122. — Don in *Mem. Wern. soc.*, IV, 319. — DC., *Prod.*, III, 101. — Benth., *Plant. Hartw.*, 130. — Endlicher, *Gen. plant.*, n° 6170.

Genus reformandum et fortassis in futurum omnino delendum, quippe quod e speciebus sibi invicem heterogenis hucusque constiterit. Quasdam et nobis quidem imperfecte cognitas ad alia genera jam removimus. Hic maneant reliquæ dum melius innotescant, scilicet :

1. A.? PURPUREA Ruiz et Pav. *Syst.*, I, 122. — DC., *l. c.*, 101.

2. A.? MURICATA Don, *l. c.*, 321. — DC., *l. c.*

3. A.? RADULA Benth., *l. c.*, 130. — Walp., *Repert. bot.*, V, 676.

Species exclusæ :

A. lanceolata Ruiz et Pav. *Flor. Per. ined.*, tab. 409. — DC., *l. c.* — CHASTENÆA LANCEOLATA.

A. glandulosa Ruiz et Pav., *l. c.*, tab. 412. — DC., *l. c.* — CHASTENÆA GLANDULOSA.

A. dependens Ruiz et Pav., *l. c.*, tab. 411. — DC., *l. c.* — MERIANIA DEPENDENS.

CXLI. *MERIANIA*. Tab. V, fig. 2.

MERIANIA Swartz, *Flor. Ind. occ.*, II, 824, tab. 15. — Don, *Mem. Wern. soc.*, 322. — Tussac, *Flore des Antilles*, tab. 6. — DC., *Prod.*, III, 100. — WRIGHTIA, Solander, *mss.* — SCHWERINIA Karsten, *Auswahl neu. Gew. Venez.*, I, 12. — CHASTENÆÆ spec. Ndn., *Ann. des sc. nat.*, 1845. — CHÆTOGASTRÆ spec. DC., *Prod.*, III, 131 — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6169.

Flores 5-meri. Calyx late turbinato-campanulatus, limbo membranaceo in lobos 5 obtusos diviso, denticulis exterioribus subulatis cum dentibus interioribus basi concretis raro obsoletis instructo. Petala obovata rotundata aut apiculata. Stamina 10 æqualia aut vix non æqualia declinata, antheris in flore inflexis lineari-subulatis 1-2-porosis, apice nonnunquam subbirostellatis, connectivo postica basi sæpius in calcar crassum conicum acutum producto, rarius incrassato et mutico, appendice dorsali destituto aut illius rudimentum vix ostendente. Ovarium liberum globosum 5-lobum 5-loculare. Stylus crassiusculus, stigmate obtuso punctiformi. Capsula apice 5-loba, loculicide 5-valvis. Semina oblonga angulata pyramidata.

Arbusculæ aut arbores mediocris altitudinis, in Antillis et America continente intertropica indigenæ, glaberrimæ aut pubescentes, macranthæ; foliis petiolatis ellipticis ovatisve 3-5-*nerviis, nervulis transversis approximatis parallelis; floribus ad apices ramorum solitariis-ternis, rarius paniculatis aut cymosis, albis roseis vel purpureis, fortassis et aurantiacis.*

Merianiæ genus, quamvis sit subartificiale et species includat

sibi invicem antherarum fabrica non omnino convenientes, minime in genera nova disrumpendum consemus.

a. EUMERIANIA, *scilicet species quarum antherarum connectivum postica basi bituberculatum aut parum productum est.*

1. MERIANIA INVOLUCRATA. — *M. obtusifolia* DC., *l. c.*, 101. — *Melastoma involucrata* Desr. in Lamk. *Dict.*, IV, 35.

M. glaberrima; ramis teretibus; foliis breviter petiolatis ovatis ellipticisque subacutis aut retusis subtiliter denticulatis trinerviis; floribus ad apices ramulorum terminalibus solitariis-ternis, bracteis quatuor obovatis subrotundatisque involucratis.

Rami supremi floriferi lignosi, crassitie pennam anatinam æmulantes aut paulo crassiores, internodiis sesqui-tricentimetralibus. Folia forma variabilia, nunc elliptico-oblonga acuta, nunc late elliptica aut subrotundata retusa, ut plurimum 3-5 centim. longa, 2-3 lata, interdum tamen multo minora, petiolo 5-10-millimetrali. Florum pedicelli 2-5-centimetrales. Involucri bracteæ extus nervosæ rigidæ, calycem in flore aperto æquantes aut etiam excedentes. Petala in alabastro sese mox explicaturo centimetrum et quod excedit longa, in flore omnino explicato fortassis duplo majora. Stamina subæqualia, antheris alternatim calcaratis et ecaudatis. Stylus a basi ad apicem subulatus. Color petalorum incertus, fortassis, ut aiunt botanici, e rubro in luteum transiens, nos purpureum suspicamur. — In insula Haitensi; Beauvois.

2. MERIANIA PURPUREA Tussac, *Flor. des Ant.*, I. 79, tab. 7. — DC., *l. c.*, 101.

M. glabra; ramis supremis subteretibus apice dense foliosis inferius denudatis; foliis ovatis obovatisque apiculatis basi subacutis tenuissime serrulatis aut vix non integerrimis 3-nerviis, pagina superiore in angulis nervorum lateralium cum medio coeuntium bibullatis; floribus ad apices ramorum axillaribus solitariis, bracteola duplici vel quadruplici lineari-spathulata ornatis.

Quamvis specimen nostrum e Guyana oriundum referatur (quod fortassis errore dictum est) minime dubitamus quin ad eam speciem perti

neat quam sub nomine *M. purpureæ* supra memorati auctores descripsere. Folia circiter 5 centim. longa, 2 ½ - 3 lata, basi inter nervos bullis duabus minutis oblongis vix perspicuis quales in quibusdam speciebus Tococæ reperimus ornatæ, petiolo gracili centimetrum sæpius excedente. Pedicelli e ramulo axillari constantes sesqui-tricentimetrales, paulo infra florem articulato-nodosi bracteisque ut plurimum quaternis angustis apice spathulatis uninerviis calycemque longitudine subæquantibus instructi. Calycis dentes interiores membranacei obtusi denticulis exterioribus subulatis multo breviores et cum illis basi concreti. Petala rotundato-obovata, 2 centim. longa. Antheræ haud omnino consimiles; quæ cum petalis alternant cæteris paulo majores sunt et apice quasi birostellatæ et biporosæ, connectivo basi postica bituberculato; quæ vero petalis oppositæ sunt apice simplici subuniporoso gaudent necnon connectivo postica basi obtuse conico. Capsula 5-loba, apice umbilicata. — In Guyana anglica, prope *Demerari*. Specimen unicum habemus ex herbario Bonplandiano.

3. Meriania rosea Tussac. *Flor. des Ant.*, I, p. 78, tab. 6. — DC., *l. c.*, 101. — *Wrightia coccinea* Soland. ? *mss.* ex herbario Bonplandiano.

M. glaberrima submacrophylla; foliis late ellipticis ovatis obovatisve acutis et subobtusis subtiliter denticulatis aut integerrimis 3-nerviis pagina utraque nitentibus; floribus axillaribus solitariis bractea duplici elliptica aut spathulata instructis.

Frutex nitore foliorum æque ac pulchritudine florum egregius, adspectu nonnihil variabilis. Folia pro genere majuscula, decimetrum sesquidecimetrumve longa, nonnunquam minora, 4-6 centim. et quod excedit lata, petiolis sesqui-tricentimetralibus. Pedicelli florum in ramis supremis axillares, petiolis paulo longiores, infra calycem foliolis duobus seu bracteis 3-nerviis centimetrum circiter longis instructi. Calycis dentes interiores magis minusve obsoleti, denticulis exterioribus subulatis multo breviores. Petala carnosula obovata, in flore aperto 3-centimetralia, purpurea aut rarius alba. Stamina, ovarium et fructus ut in *M. purpurea*.— In montibus Antillarum frequens. Specimina pauca habemus ex herbario Bonplandiano.

4. Meriania nana. — *Wrightia nana* Solander? *mss.*

M. glabra; ramis supremis teretibus; foliis elliptico-oblongis oblongove-ovatis acutis serratis 3-nerviis; floribus axillaribus

subterminalibusque solitariis; pedicello foliolis 2 aut 4 bracteiformibus ornato.

Species *M. roseæ* maxime affinis, ut videtur tamen ab ea distincta. Rami floriferi pennam anatinam crassitudine æquantes aut graciliores. Folia 5-7 centim. longa, 1 ½-2 ½ centim. lata, petiolis centimetralibus. Pedicelli petiolo longiores, in media longitudine aut paulo altius bractearum pari uno aut altero instructi; bracteis inferioribus petiolatis ellipticis trinerviis, superioribus angustioribus spatulatis acutis. Calycis dentes exteriores subulati, interiores membranacei obtusi inter se confluentes exterioribus dimidio breviores et cum iis partim concreti. Petala obovata sesquicentimetralia. Antheræ ut in *M. rosea*, id est alternatim birostellata et basi postica bituberculata. — In Antillis, loco haud indicato. Planta ex herbario Bonplandiano ad parisiense migrata.

5. Meriania bifrons †.

M. glabra macrantha; foliis late elliptico-ovatis acutis subintegerrimis aut vix conspicue serrulatis 3-nerviis; floribus axillaribus solitariis bractea ut plurimum quadruplici spathulata ornatis; calycis dentibus exterioribus subulatis longis.

Species staminum fabrica inter Merianias hujus sectionis et sequentis media, utrique enim pariter convenit et jam Schweriniæ calcar crassum acutum ad basim posticam antherarum exhibet, dum etiam Notocentro quadam ratione affinis est connectivo postice incrassato et prominente, tanquam appendicis dorsalis quam in illo aliisque generibus contermினis animadvertimus rudimentum proferre velit. Frutex cæterum Eumerianiis et Schweriniis habitu simillimus vel etiam primo intuitu cum *M. purpurea* confundendus. Folia 5-8 centim. longa, 3 et quod excedit lata, petiolo sesqui-tricentimetrali. Florum pedicelli 3-4-centimetrales, sub flore bracteolis binis quaternisve apice spatulatis basi in petiolum gradatim attenuatis 3-nerviis calyci longitudine subæqualibus ornati. Calycis dentes exteriores angusti subulati longe producti, tubum ipsum longitudine fere excedentes, interiores membranacei, prioribus triplo breviores et cum iis usque ad medium concreti, apice liberi. Petala obovata apice rotundata, 3 centim. et fortassis amplius longa, fere tantumdem lata. Stamina subæqualia, antherarum connectivo postica basi in calcem brevem acutum producto et dorso (saltem in 5 majoribus) nonnihil tuberculato-incrassato. Cætera ut in præcedentibus. — In montibus Jamaicæ Antillarum, ad altitudinem 1000-1200 metrorum; Linden, *Cat.* n° 1674. Specimen quoque habemus sed valde mancum et loci ignoti ex herbario Bonplandiano.

b. SCHWERINIA. *Species antherarum connectivo postica basi in calcar crassum acutum producto insignes.*

6. MERIANIA KARSTENII. —*Chastenæa longifolia* Ndn., *l. c.*, 1845. —*Schwerinia superba* Karsten, *l. c.*, tab. 4. — Walp. *Annal. bot. syst.*, I, 296.

M. glabra macrantha; ramis supremis hinc et inde alternatim compressis et sulcatis demum subteretibus; foliis oblongis aut lanceolato-ellipticis acuminatis basi obtusis aut subacutis marginibus serrulatis 3-nerviis; floribus ad apices ramorum terminalibus axillaribusque solitariis-ternis longe pedicellatis.

Folia 7-10 centim. longa, 3 et quod excedit lata, petiolo 1-1 ½-centimetrali. Pedunculi ut videtur sæpius 1-flori quam 3-flori, 3-5 centimetra longi, paulo infra florem articulati, fortassis et bracteolis caducis in prima juventute caducis ornati. Calyx late campanulatus, limbo membranaceo dilatato, in dentes seu lobos 5 obtusos diviso, denticulis exterioribus brevissimis et quasi nullis. Petala nec genitalia suppetebant. Calyx fructiferus depressus, capsula 5-loba in medio umbilicata et demum loculicide 5-valvi brevior. — In provincia Americæ æquinoctialis dicta *Caracas;* Linden, *Cat.* n. 35 et 1509; Funck et Schlim, *Cat.* n. 98.

7. MERIANIA SPECIOSA. —*Chætogastra speciosa* DC., *l. c.*, 131. — *Rhexia speciosa* Bonpl. *Rhex.*, tab. 4.

M. glabra vel parum pubescens macrantha; foliis coriaceis oblongo-ellipticis breviter acuminatis aut acutis basi obtusis margine serrulatis 3-nerviis; floribus terminalibus paucis cymosis, rarius solitariis.

Species egregia floribus maximis superbiens, nunc glaberrima et foliis lucidis distincta, nunc in ramulis supremis nervisque foliorum pubescens. Folia ferme decimetrum longa, 2-3 centim. lata, magis minusve conspicue serrulata, nonnunquam subintegerrima aut serrato-ciliata, petiolis 1-1 ½-centimetralibus. Flores in apicibus ramorum terminales aut in axillis foliorum supremorum laterales, cymam oligantham aggregatione mentientes, nonnunquam et omnino solitarii, pedicellis 2-3-centimetralibus. Calyces turbinati aut late campanulati, dentibus interioribus triangularibus acutis aut subacutis, denticulis exterioribus subulatis priores longitudine æquantibus aut superantibus. Petala, secundum varietates, 3-4 centim. longa, obovata, sæpius apice retusa, purpurea. Antheræ apice

subbiporosæ, calcare postico crasso acuto nonnihil incurvo. Stylus crassus subsigmoideus, stigmate obtusissimo. Capsula globosa 5-valvis. — In montibus Columbiæ et Novæ-Granatæ ubi haud rara crescit et ab incolis vulgo *Flor de Mayo* nuncupatur. — Bonpland; Goudot; Funck et Schlim, *Cat.* n. 1276; Linden, *Cat.* n. 821; Hartweg, n. 1002.

8. Meriania quintuplinervis †.

M. macrophylla pubescens; foliis ovato-ellipticis acutis subintegris aut infra apicem serrulatis, prætermisso utroque nervulo marginali, quintuplinerviis, pagina superiore glabrata, inferiore præsertim in nervis hirtella; floribus paniculatis; calycis dentibus externis productis.

Species nulli præcedentium affinis et habitum peculiarem præ se ferens. Ramuli juniores petioli nervique foliorum hirtelli et nonnihil rufescentes. Folia pro genere magna, 12-15 centim. longa, 5-6 lata, petiolis 2-4-centimetralibus. Paniculæ terminales breves oliganthæ, ramis ut plurimum 3-floris. Calyx campanulatus, dentibus exterioribus subulatis productis, lobis interioribus brevissimis obtusis et fere indistinctis. Petala obovata, circiter 2 centim. longa. Antheræ subulatæ 1-porosæ, calcare postico acuto recto. Ovarium ovoideum apice umbilicatum. — In monte *Quindiu* prope *Popayan*; Bonpland.

Species addendæ sed incertissimæ et fortassis jam sub aliis nominibus descriptæ :

9. M. leucantha Swartz, *l. c.* — DC., *l. c.* — Ut videtur eadem est ac *M. rosea*.

10. M. majalis Benth. *Plant. Hartw.*, 180.

11. M. barbinervis. — *Schwerinia barbinervis* Klotzsch *mss.* in Karst. *Auswahl neu Gewæch. Venez.*, *l. c.* — Differtne a *M. speciosa?*

12. M. dependens. — *Axinæa dependens* Ruiz et Pav., *Flor. Per. ined.*, tab. 411. — DC., *l. c.*

Species ut videtur e genere excludendæ :

M. prunifolia Don, *l. c.* — DC., *l. c.*
M. parviflora Don, *l. c.* — DC., *l. c.*

CXLII. *BRACHYCENTRUM.*

Brachycentrum Meisn., *Gen.*, 114. — Graffenriedæ spec. DC., III, 105. — Rhexiæ spec., Bonpl., *Rhex.*, tab. 34.

Flos 5-6-merus (rarius 7-merus). Calyx campanulatus, limbo membranaceo in dentes breves triangulares simplices (id est denticulo externo destitutos)? deciduos diviso. Petala rotundato-obovata. Stamina 10-12 (rarius 14) æqualia declinata, antheris linearibus 1-porosis extrorsum arcuatis, connectivo postica basi in appendicem brevem obtusam sursum vergentem producto. Ovarium liberum (fortasse potius ad basim adhærens), apice 5-7-lobum, 5-7-loculare. Stylus filiformis, stigmate nonnihil incrassato obtuso. Capsula subglobosa calycis tubo persistente vestita, loculicide 5-7-valvis. Semina pyramidata recta.

Herba fortassis suffrutescens, peruana monticola 2-3-metralis multicaulis macrophylla macrantha; caulibus elatis glabratis; ramis ramulis petiolis paniculisque tomento furfuraceo ferrugineo obductis; foliis ovatis acutis aut breviter acuminatis crenulatis, basi interdum subcordatis, septuplinerviis, pagina superiore glabra reticulato-bullatis, inferiore foveolata dense molliterque tomentosis; paniculis terminalibus paucifloris; floribus purpureis aut purpurascentibus.

1 Brachycentrum excelsum Meisn., *l. c.* — *Graffenrieda excelsa* DC., *l. c.*, 106.—*Rhexia excelsa* Bonpl., *Rhex.*, tab. 34. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6179.

Speciminum Bonplandianorum fragmenta habemus quæ nobis nec flores completos nec fructus præbuerunt, unde factum est ut genericam descriptionem supra allatam non de visu sed ex auctorum documentis instituere licuerit. De loco Brachycentri in hac tribu tamen non dubitamus, nec miraremur quidem istud genus cum Meriania ipsa, neglecta utriusque habitus diversitate, olim coadunandum esse.

Rami floriferi pennam cycneam crassitudine subæquantes, internodiis uni-sesquidecimetralibus. Folia sesquidecimetrum longa, sæpe breviora, raro longiora, 7-10 centim. lata, petiolo 2-5-centimetrali. Paniculæ simplices, ramis erectis pedunculiformibus, infimis 3-floris, supremis 1-floris. — In montibus Peruviæ, circa Loxam; Bonpland.

Inter Bonplandiana specimina unum reperimus cæteris toto habitu simillimum cui superest, e pluribus, alabastrum unicum integrum cujus limbus in calyptram conflatus undique clausus est ut in Calyptraria. Utrum alia sit species Brachycentrum habitu mentiens, Calyptrariæ autem conveniens, an potius Brachycentrum ipsum cujus flores ante explicationem hucusque male observati fuere, nos omnino fugit; quæstionem solvendam posterioribus melastomatographis relinquimus.

CXLIII. *NOTOCENTRUM.*

Flos 5-merus. Calycis oblongo-campanulati dentes exteriores subulati a lateribus compressi, basi cum lobis interioribus membranaceo-carnosis obtusis brevibus arcte connati. Petala obovata. Stamina 10 parum inæqualia ; antheris 1-porosis linearibus longis, ab antica facie ad posticam compressis, loculis lateralibus connectivo intermedio longitudinaliter separatis, connectivo postice in calcar obtusum deorsum producto et appendice brevi obtusa sursum vergente, in 5 majoribus staminibus potissimum manifesta, instructo. Ovarium ad medium usque septis 10 antheras in præfloratione inflexas separantibus adhærens, 5-loculare ; placentis productis lamellosis margine libero carnoso-incrassatis. Stylus crassiusculus filiformis, stigmate punctiformi. Fructus ignotus.

Arbor novo-granatensis andicola, 7-8-metralis, submacrophylla submacrantha ; ramis in prima juventute pulverulentis mox glabratis teretibus ; foliis petiolatis ovatis obovatisque apiculatis crenatis 5-nerviis, pagina superiore cito glabrata reticulato-bullata, inferiore tomentosa canescente aut rufescente inter nervorum reticulum foveolata ; floribus in paniculas paucifloras quasi dispositis, rubris aut purpureis.

1. Notocentrum arboreum †.

Rami floriferi et foliosi crassitudine circiter calami scriptorii. Folia decimetrum et quod excedit longa, 5-7 centim. lata, pagina superiore sublucida, bullis sæpe in quatuor partes nervulo duplici decussato divisis, petiolis 3-4-centimetralibus. Ramuli floriferi terminales aut in paniculam approximati ut plurimum triflori aphylli rufo-pulverulenti.

Calycis dentes exteriores producti unguem passerinum forma referentes, basi cum lobis interioribus limbi adeo arcte connati ut dentes esse duplices minime suspicaretur. Petala sesquicentimetrum et quod excedit longa, obovata. — In monte *Quindiu* Reipublicæ novo-granatensis ; Goudot.

CXLIV. *CALYPTRARIA*. Tab.

Conostegiæ species DC., *Prod.*, III. — Melastomatis species Bonpl., *Melast.*

Flores 5-6-7-meri. Calycis limbus ante explicationem floris inapertus conicus calyptriformis, sub anthesi irregulariter lacerus aut basi regulariter circumscissus. Petala obovata, apice rotundata aut apiculata. Stamina petalorum numero dupla, æqualia ; antheris inflexis lineari-subulatis 1-porosis, connectivo postica basi in calcar acutum producto, nonnunquam etiam appendicem dorsalem brevem acutam sursum spectantem gerente. Ovarium ovoideum aut subglobosum, liberum vel paulo supra basim adhærens, 5-6-7-loculare. Stylus crassus sigmoideus, stigmate obtuso pruinoso. Fructus ut videtur capsularis.

Arbores aut arbusculæ novo-granatenses, andinæ, ramosæ macranthæ; ramis supremis tomentoso-furfuraceis aut hispidulis; foliis petiolatis; floribus ad apices ramorum supremorum vel pedunculorum axillarium in paniculas paucifloras dispositis, purpureis aut violaceis, interdum et albis.

Genus hinc Merianiæ illinc Davyæ conterminum.

1. Calyptraria Mutisii.—*Conostegia Mutisii* DC., *l. c.*, 174. —*Melastoma Mutisii* Bonpl., *Melast.*, p. 136, tab. 58, cujus icon incompleta est.

C. arborea macrophylla ; ramis supremis petiolisque setoso-hispidis ; foliis late ovatis apiculatis basi subcordatis argute dentatis 7-nerviis, pagina superiore glabris aut glabratis, inferiore hispidulis ; pedunculis axillaribus 3-7-floris ; floribus 5-meris et 6-meris.

Arbor 6-7-metralis, fronde luxuriante superbiens, trunco erecto crassitiem cruris humani æquante, inferius simplici, superius in ramos diviso. Rami supremi foliosi et floriferi setis patulis hispidi et inter setas

pube minuta lepidota obducti; vetustiores glabrati. Folia 15-18 centim. longa, decimetrum et quod excedit lata, petiolis 4-6-centimetralibus. Alabastra ovoidea apice conica hispidula, demum in medio circumscissa. Petala (quæ tantum in flore inexplicato vidimus) obovata, apice subretuso apiculata, alba, 2-3 centim. fortassis longa in flore aperto. Antherarum calcar acutissimum; connectivum appendice dorsali destitutum. Ovarium basi lata in fundo calycis sessile, apice in 5-6 lacinias acutas dissectum, 5-6-loculare. — In monte *Quindiu*, ad altitudinem 1500 metrorum; Bonpland.

2. Calyptraria eximia †.

C. ramis supremis petiolisque pube furfuracea tenui obductis et sparsim hispidulis; foliis subcoriaceis ovato-ellipticis obtusis subacutisve crenato-denticulatis quintuplinerviis, pagina superiore glabratis, nervulis transversis approximatis parallelis; paniculis terminalibus oliganthis 6-7-meris.

Rami supremi foliosi inter nodos fere complanati, vetustiores foliis denudati subteretes. Foliorum limbus circiter decimetralis, 4-5 centim. latus; petiolus 2-3-centimetralis; nervi primarii subtus ad basim setis patulis densis horridi. Panicula florens terminalis, fructifera fortasse alaris, brevis pauciramosa; ramis 1-3-floris; floribus breviter pedicellatis. Calyces Conostegiarum quarumdam calycibus similes sed multo majores, sub anthesi ferme 2 ½ centim. longi, diametro centimetrum et quod excedit crassi. Petala fere 3 centim longa, purpurea. Stamina illis Schweriniarum simillima, quibus etiam foliorum compage planta accedit. — In monte *Quindiu*, Bonpland.

3. Calyptraria insignis †.

C. macrophylla; ramis supremis petiolis nervisque foliorum ferrugineo-furfuraceis; foliis obovatis apice rotundatis subintegerrimis aut obsolete sinuato-denticulatis 5-nerviis, pagina superiore glabrata, inferiore pubem rufescentem retinente; paniculis terminalibus paucifloris; calycibus dense rufo-velutinis; floribus 5-meris.

Rami supremi subteretes aut obtuse tetragoni, tomento furfuraceo denso obducti, annotini magis minusve glabrati. Folia 12-15 centim. longa (saltem in specimine nostro), 8-10 lata, petiolo 3-4-centimetrali, nervulis transversis in pagina inferiore prominentibus. Panicula sesquidecimetrum longa, ramulis 3-7-floris aut abortu 1-floris. Alabastra paulo

ante explicationem ovoidea aut potius obovoidea, apice obtuse conica, crassitudine nucem Avellanæ æmulantia, tubo post circumcisionem limbi calyptriformis hemisphærico. Petala obovata purpurea, 2 ½ centim. longa, 1 ½ lata. Antheræ appendicis dorsalis vestigium gerentes, recurvæ, loculis undulatis. — In montibus provinciæ vulgo dicta *Pamplona*, ad altitudinem 2000 metrorum ; Funck et Schlim.

4. Calyptraria brachycera †.

C. ramis supremis novellis paniculisque tomentoso-pulverulentis ; foliis longiuscule petiolatis subcoriaceis elliptico-oblongis obtusis et subacutis basi rotundatis crenato-dentatis 5-nerviis, pagina superiore glabrata, inferiore pulverulento-rufescente ; paniculis terminalibus paucifloris ; floribus 6-7-meris.

Rami hornotini compressi et subcomplanati, annotini irregulariter teretes nodosi et glabrati. Folia 1 decim et quod excedit longa, 4-5 centim. lata, petiolis 3-5-centimetralibus. Panicularum rami ut plurimum 3-flori, pedicellis propriis fere centimetrum longis. Calyces inaperti obovoidei, apice obtusi, limbo membranaceo in anthesi irregulariter lacero, lobis pannosis demum a tubo hemisphærico carnoso secedentibus. Petala late obovata, 2 ½ centim. longa, paulo minus lata ; cærulea dicuntur, sed ea violacea credimus. Antheræ nonnihil sigmoideæ, appendice dorsali brevi acuta instructæ. Ovarium globosum 5-6-loculare. Capsula 5-6-valvis.— In provincia *Pamplona*, loco dicto *La Baja*, ad altitudinem circiter 3000 metrorum, ubi ab incolis vulgo nuncupatur *Aracache ;* Funck et Schlim. Planta nobis a clar. Linden communicata est.

CXLV. *DAVYA.*

Davya et Adelobotrys DC., *Prod.*, III. — Mart., *Nov. gen. et spec.*, III, 124. — Ndn., *Ann. des sc. nat.*, 1844. — Adelbertia, Meisner, *Gen.*, CXIV, 81. — Endlicher, *Gen. plant.*, n^is 6173, 6174 et 6207. — Sphanellolepis, Steud., *Herb.*

Flores 5-meri. Calycis limbus nunc membranaceus integer, nunc 5-lobus, rarius calyptriformis et sub anthesi irregulariter lacerus, denticulis externis productis aut obsoletis. Petala obovata, apice rotundata aut apiculata, nonnunquam retusa. Stamina 10 æqualia aut parum inæqualia, conformia; antheris linearibus, apice ut plurimum subulatis, antice undulatis, extrorsum recurvis, apice 1-porosis ; connectivo postica basi in cornu obtusum

aut acutum porrecto, supra basim appendicem linearem adscendentem antheræ ipsi parallelam in dorso gerente. Ovarium liberum aut ima basi adhærens, 3-5-loculare. Stylus filiformis, stigmate punctiformi. Capsula calyce persistente circumdata globosa umbilicata 5-locularis loculicide 5-valvis. Placentæ lamelliformes productæ, margine libero incrassatæ. Semina oblonga, irregulariter pyramidato-angulata.

Arbusculæ austro-americanæ, glabræ aut in novellis villosæ et pulverulentæ, rarius fruticantes et scandentes; ramis teretibus; foliis tri-quinquenerviis; floribus paniculatis aut capitatis, luteis, roseis vel purpureis.

Davyæ genus, quale huc in medium ferimus, habitu et calycis structura multiforme est, cæteris characteribus autem homogenum. Hujus species in plura genera merito distribuendas negamus, subgenera tamen admittimus. Appendicem posticam antherarum e connectivo assurgentem pro majore generis charactere habemus.

A. Eudavya. *Calycis tubus late campanulatus aut subhemisphæricus; limbus obscure* 5-*lobus aut calyptriformis; denticuli externi nulli aut subnulli. Ovarium* 5-*loculare.*

1. Davya glabra DC., *l. c.*, 105. — Nonne eadem ac *D. paniculata* Mart.?

D. glabra submacrophylla oligantha; ramis subgracilibus; foliis petiolatis ellipticis ellipticove-obovatis aut late lanceolatis acuminatis integerrimis vel indistincte sinuatis tri-triplinerviis; floribus ad apices ramulorum paniculæ congestis, breviter pedicellatis; calycis limbo subintegro.

Folia 1-1 ½ decim. longa, 5-6 centim. lata, petiolo sesqui-tricentimetrali. Paniculæ breves, 5-15-floræ. Calyces campanulati, obscure 5-lobi, denticulis externis punctiformibus obsoletis. Petala circiter 12 millim. longa, obovata, ut videtur (ex siccis speciminibus) lutea aut aurantiaca. Capsulæ crassitudine pisi majoris. — In Brasilia meridionali, præsertim frequens in vicinia urbis *Rio de Janeiro;* Martius, Vauthier, Guillemin.

2. DAVYA CLAUSSENII Ndn., *Ann. des sc. nat.*. 1844.

D. glabra submacrophylla floribenda ; ramis obtuse tetrahedris quadrisulcatis mox teretibus ; foliis petiolatis lanceolato-ellipticis utrinque acutis sinuato-serratis adjecto utroque nervo submarginali quintuplinerviis ; paniculis magnis fere corymbiformibus ; floribus ad apices ramulorum subumbellatis pedicellatis ; calycis limbo subintegro.

Folia sesquidecimetrum et quod excedit longa, 5-6 centim. lata, petiolo circiter 3-centimetrali. Paniculæ terminales late pyramidatæ aut fere in corymbum dilatatæ. floribus ad apices ramulorum sæpius quinis, pedicello 6-10-millimetrali suffultis. Calyx hemisphæricus, limbo vix non integerrimo. Petala obovato-oblonga margine crispula, circiter sesquicentimetralia, ut videtur aurantiaca (saltem si ex specimine sicco judicandum sit). — In provincia *Rio de Janeiro* Brasiliæ australis, loco dicto *Novo-Friburgo ;* Claussen.

3. DAVYA CALYPTRATA †.

D. glabra oligantha nonnihil anisophylla ; ramis gracilibus subteretibus ; foliis petiolatis ovato-ellipticis aut late lanceolatis acuminatis basi subacutis margine integerrimis aut vix conspicue undulatis adjecto nervo utroque marginali 5-nerviis ; cymis terminalibus paucifloris ; calycibus ante floris explicationem calyptratis, limbo demum irregulariter lacero.

Species primo intuitu *Davyæ glabræ* simillima, diversissima autem si attentius consideretur. Rami quam in illa graciliores sunt et cymarum ramuli fere filiformes. Folia in eodem jugo sæpe disparia, uno alterum quinta aut quarta parte rarius triente excedente, decimetrum aut paulo amplius longo, 4-5 centim. lato, petiolis 1-1 $\frac{1}{2}$-centimetralibus. Cymæ ad apices ramorum terminales et in axillis foliorum supremi jugi axillares, pedunculatæ, ramis gracilibus ut plurimum trifloris, floribus pedicellatis. Calycis tubus hemisphæricus, limbus membranaceus mollis subpellucidus, in juventute calyptriformis, sub anthesi in lobos pannosos persistentes irregulariter lacerus. Petala et stamina ut in *D. glabra*, sed appendix dorsalis antherarum quam in illa gracilior videtur. — In locis umbrosis humidisque montium, prope *Ubatuba* Brasiliæ meridionalis ; De Pissis.

B. Adelobotrys. *Calycis tubus suburceolatus aut oblongo-campanulatus; limbus subinteger vel obscure 5-lobus, denticulis externis acutis brevibus sed distinctis et limbi marginem paulo excedentibus. Ovarium 5-loculare.*

4. Davya ciliata. — *Sphanellolepis ciliata* Steud., in *Herb.*

D. anisophylla; ramis teretibus glabratis; foliis petiolatis late ovatis acuminatis acutis subtiliter serrulatis ciliolatis quandoque subintegerrimis 5-nerviis, in prima juventute rufo-villosis, mox glabratis et tunc tenuissime punctulatis; paniculis terminalibus brevibus paucifloris; floribus subsessilibus.

Frutex fortasse scandens, ramis subsarmentosis, a Davyis præcedentis sectionis habitu tamen non omnino alienus. Rami supremi penna anatina vix crassiores, teretes. Folia majora 8-10 centim. longa, 5 circiter lata, minora prioribus in quovis jugo opposita triente aut etiam dimidio breviora sed illis conformia, petiolis ½-1- centimetralibus. Calyces ut rami panicularum villosuli, tubo oblongo, limbo dilatato vix manifeste 5-lobo, denticulis externis sæpe setulosis. Petala cuneato-oblonga, apice subretusa, in speciminibus exsiccatis luteola, sed in planta viva, si collectori credatur, rosea. — In Guyana batavica secus flumen *Carouany;* Kappler, *Cat.*, nº 1682.

5. Davya scandens. — *Adelobotrys scandens* DC., *l. c.*, 127. — *Melastoma scandens* Aubl., *Guyane*, I, 435, tab. 172.

D. fruticosa sarmentosa scandens; ramis gracilibus teretibus radicantibus hirsutis; foliis petiolatis in eodem jugo æqualibus aut disparibus ovatis breviter acuminatis subtiliter serrulatis 5-nerviis villosis; floribus ad apices ramorum ramulorumque capitatis subsessilibus.

Frutex habitu singulari ab Eudavyis diversissimus, *Davyæ ciliatæ* forma affinior, cæterum typicos characteres subgeneris in flore et fructu retinens. Rami pennam anatinam crassitie æmulantes aut paulo crassiores, pube rufa demum caduca hirsuti, haud raro bifariam radicantes, internodiis elongatis. Folia in eodem jugo nunc æqualia nunc manifeste disparia, 4-5 centim. longa, 2-3 lata, acuta, basi rotundata, nervis subtus rufo-villosis, petiolis centimetro ut plurimum brevioribus. Flores in capitula hemisphærica bracteis ovatis quatuor aut pluribus fulcrata congesti, subsessiles aut vix conspicue pedicellati. Calyces oblongo-campanulati villosi, denticulis externis quinque limbum subintegrum paulo

excedentibus instructi. Petala (ut videtur ex alabastro tenerrimo) obovata, alba. Stamina, stylus et ovarium ut in *D. glabra*. Semina oblonga angulato-pyramidata. — In variis locis Guyanæ gallicæ ; Leprieur, Perrottet, Leschenault.

C. Siderophyllum. *Calycis tubus oblongo-campanulatus ; limbus* 5-*lobus*, *denticulis externis punctiformibus obsoletis. Ovarium* 3-*loculare.*

6. Davya sclerophylla †.

D. glabrata ; ramis in prima juventute compressis mox teretibus ; foliis maxime coriaceis subsessilibus ovatis acutis basi cordatis margine integerrimis pagina superiore nitentibus adjecto nervo utroque marginali 5-nerviis ; paniculis terminalibus pauciramosis ; floribus ad apices ramorum subcongestis breviter pedicellatis.

Rami supremi, qui in herbario nostro soli suppetunt, fruticem aut arbusculam indicant. Folia petiolo crasso brevissimo suffulta, rigida, in specimine exsiccato quasi lignosa, apice acuto subpungentia, nonnunquam etiam obtusa, pagina superiore lævigata, inferiore subtiliter reticulata, caduca, 8-10 centim. longa, 5-6 lata, nervis primariis validis subtus prominentibus. Calyces pube pulverulenta atro-rubente obducti. Petala carnosula cuneato-obovata inæquilatera retusa, sesquicentimetrum longa, in sicco specimine colorem album aut luteolum mentientia, fortassis in planta viva purpurea. Antherarum appendix dorsalis gracilis producta apice breviter bifurca. Ovarium liberum cylindricum 3-loculare, stylo subulato. — In Guyana anglica prope *Roraima;* Schomburgk ; *Cat.*, n° 956.

D. Sclerosarcus. *Calycis tubus campanulatus carnosus ; limbus in prima juventute clausus, sub anthesi in lobos irregulares lacerus, denticulis externis nullis. Ovarium* 3-*loculare.*

7. Davya crassiramis †.

D. macrophylla macrantha ; ramis supremis crassis subteretibus furfure pulverulento ferrugineo obductis ; foliis petiolatis carnoso coriaceis late ellipticis obovatisve utrinque obtusis integerrimis 5-nerviis ; floribus ad apices ramorum paucis confertis ; calycibus rufo-villosis.

Fortassis arbuscula. Rami supremi foliosi digitum auricularem mulier-

culæ crassitudine æmulantes, in juventute a nodo ad nodum longitudinaliter sulcati, demum teretes, tomento furfuraceo denso obducti. Folia insigniter carnosa, in herbario coriacea omninoque rigida et fragilia, in primaætate pube stellato-lepidota conspersa, mox pagina superiore glabrata et nitida, inferiore autem tomentum furfuraceum rufum retinentia, nervis validis subtus prominentibus, petiolis crassis lignosis subtriquetris circiter 2-centimetralibus. Flores subsessiles, ad apices ramorum terminales, pauci, fere in paniculæ rudimentum dispositi, bracteis oblongis rufo-villosis fulcrati. Calyces crassi, sub anthesi fere 2 centimetra longi, villosissimi. Petala cuneato-obovata, apice truncato subretusa, 2-centimetralia, marginibus undulata, ut videtur purpurea. Antherarum appendices dorsales fere subulatæ. — In Guyana anglica prope *Roraima;* Schomburgk; *Cat.* n° 671.

E. ADELBERTIA. *Calycis tubus campanulatus; dentes exteriores angusti producti subulati, cum interioribus indistinctis basi concreti. Ovarium 3-loculare.*

8. DAVYA CALOPHYLLA Cham., *Linnæa* IX, 372. — *Adelbertia calophylla* Meisner, *Gen.*, CXIV, 81.

D. macrantha; ramis subteretibus paniculis foliorumque pagina inferiore pube furfuracea adpressa ferruginea obductis; foliis petiolatis coriaceis elliptico-oblongis subacutis integerrimis 3-nerviis, pagina superiore mature glabrata lucidis; paniculis terminalibus paucifloris; floribus breviter pedicellatis.

Arbuscula elegans 3-4 metralis aut etiam altior. Folia longiuscule petiolata rigida coriacea, 10-14 centim. longa, 4-5 lata, petiolis ut plurimum 4-centimetralibus. Panicularum rami inferiores 3-5-flori, superiores 1-flori. Flores breviter et crasse pedicellati. Calycis dentes exteriores dimidium tubum longitudine æquantes, cum interioribus triplo brevioribus arcte connati. Petala obovato-cuneata, apice retusa, subinæquilatera, fere 3 centim. longa, in sicco specimine colorem purpureum revelantia. Stamina non omnino æqualia, antheris linearibus apice subulatis, appendice dorsali subulata circiter 3 millim. longa. Cætera ut in præcedentibus. — In Brasilia meridionali, loco haud indicato; Sellow.

Species fortassis addendæ:

9. D. PANICULATA Mart., *l. c.*, tab. 261. — DC., *l. c.* — Ex icone Martiana non differre videtur a *D. glabra.*

10. D.? GUYANENSIS DC., *l. c.* — Nonne species affinis *D. ciliatæ?*

11. D.? PERUVIANA DC., *l. c.*

CXLVI. *CENTRONIA.*

CENTRONIA Don, *Mem. Wern. soc.*, IV, 314. — DC., *Prod.*, III, 106. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6181.

1. CENTRONIA LAURIFOLIA Don, *l. c.*, 315. — DC., *l. c.*, 106.

CXLVII. *LEIOSTEGIA.*

LEIOSTEGIA Bentham in Hook., *Lond. journ. of bot.*, II, 294. — Walpers, *Repert.*, V, 699. — Endlicher, *Gen. plant. supp.*, II, p. 94.

1. L. VERNICOSA Benth., *l. c.* — Walp., *l. c.*

CXLVIII. — *SARMENTARIA.*

Flos 5-merus. Calycis tubus (saltem fructiferi) ovoideus, nervis 10 robustis prominentibus costatus, limbus in lobos 5 rotundatos breves denticulo externo tuberculiformi instructos divisus. Petala genitaliaque ignota. Capsula calycis tubo inclusa ejusque dentibus coronata, loculicide 5-valvis, demum in fragmenta secedens. Placentæ elongatæ sed a columella parum productæ, undique spermophoræ. Semina numerosissima minuta linearia aut potius acicularia, embryonem in medio tantum monstrantia. Nervi calycini, parenchymate intermedio soluto, in lignum indurati persistentes, apicibus alternatim bifurcis nervulo transverso inter se concatenati et locellum 10-fenestratum fructus formam adhuc retinentem formantes.

Suffrutex? guyanensis sarmentosus scandens? macrophyllus glabratus, ramis herbaceis teretibus lævibus; foliis oppositis ovatis acuminatis integerrimis aut tenuiter sinuato-denticulatis 5-*nerviis; paniculis terminalibus magnis thyrsoideis multifloris.*

Speciei adhucdum indescriptæ duo specimina nostra fructifera floribus autem destituta a laudatissimo Candollæo cum Blakea in

Musæo parisiensi commixta fuerant, quamvis habitu, inflorescentia, calycis et fructus compage huic generi nequaquam convenirent. Novi generis characteres, etsi incomplete, delineare maluimus quam plantam elegantem et forma conspicuam prætermittere. Quod si huic subtribui genus non satis cognitum adscripsimus, id dubitanter fecimus, non minus ducti nescimus qua habitus et vultus analogia quam fructus capsularis seminumque lineari-attenuatorum charactere.

1. Sarmentaria decora †.

Folia 1-1 ½-decimetralia, 6-8 centim. lata, petiolo 3 centim. et quod excedit longo. Panicula longe pedunculata terminalis, opposite ramosa aphylla (saltem fructifera). Flores singuli pedicello fere centimetrali instructi, in ramulis approximato-umbellati. Calyces fructiferi centimetrum longitudine paululo excedentes. — In Guyana gallica prope urbem *Cayenne ;* Martin.

Subtribus VI. — **PYXIDANTHEÆ.**

Frutices americani et sundaici. Flores in generibus americanis 6-meri, in asiatico 4-meri, bracteis duabus aut quatuor per paria oppositis involucrati. Calycis limbus simplex aut denticulis subobsoletis instructus. Stamina petalorum numero dupla ; antheris sæpius crassis obtusis, rarius elongatis linearibus, apice biporosis (nonne etiam longitudinaliter birimosis?); connectivo postica basi in calcar producto aut saltem tuberculato. Fructus nondum satis noti. — Subtribus non omnino naturalis est ; fortassis immerito genus asiaticum includit.

Conspectus generum :

GENERA AMERICANA.	GENUS ASIATICUM.
Blakea.	. . . . . .
Topobea.	. . . . . .
Pyxidanthus. . . .	Creochiton.

CXLIX. *BLAKEA*. Tab.

Blakea Linn., *Gen.*, n° 810. — Blakeæ species Don, *Mem. Wern. soc.*, IV, 323 — Valdesia Ruiz et Pav., *Prod.*, p. 67, tab. 11, et *Syst.*, I, 121. — Blakeæ spec., DC., *Prod.*, III, 195. —Endlicher, *Gen. plant.*, n° 6261. — Non Blakea Aubl. — Drepanandrum Neck., *Elem.*, n° 793.

Flos 6-merus, bracteis quatuor subcoriaceis per paria oppositis liberis involucratus. Calyx late campanulatus, dentibus membranaceis simplicibus tubo ipso paulo brevioribus. Petala ovata aut obovata. Stamina 12 æqualia, antheris crassis brevibus, ante floris explicationem ab utroque latere compressis, in anthesi inflexis, poris duobus tenuibus apice apertis, connectivo postice in calcar conicum obtusum aut acutum producto. Ovarium subdepressum adhærens, excepto summo apice omnino adhærens, 6-loculare. Stylus crassiusculus, stigmate punctiformi. Capsula baccata? globosa calyce carnosulo circumdata. Semina ovoideo-pyramidata.

Frutices (fortassis et arbusculæ) in America meridionali et Antillis indigeni, macranthi, oliganthi; foliis subcoriaceis petiolatis elliptico-ovatis acutis integerrimis 3-5-nerviis transversim subtiliter et parallele nervulosis; floribus axillaribus solitariis (fortasse nonnunquam geminatis) pedicellatis, roseis purpureis aut albis.

De Linnæano *Blakeæ* genere infeliciter Candollæus et post hunc Endlicherius Donæi vestigia legentes disseruerunt, qui characteres heterogenos trium aut fortassis quatuor generum commiscuerunt. Topobeam olim ab Aubletio institutam Belluciamque sub nomine Apatitiæ recentius a Desvauxio descriptam, quæ sibi propriorum generum ademptos honores reposcebant, in pristina jura restauravimus, neglecta tamen Valdesia, quæ a Blakea nullius momenti discrimine recedit. Drepanandrum pariter rejicimus ut servetur lex quæ apud botanicos jure prævalet.

1. Blakea trinervia Linn., *Spec.*, 635. — DC., *l. c.*, 195.

B. fruticosa; ramis nodosis, junioribus tetrahedris ad apices pube

ferruginea caduca obductis; foliis coriaceis ovatis acuminatis basi obtusis margine crispulis, prætermisso utroque nervulo submarginali 3-nerviis, glabris; floribus solitariis longe pedunculatis; bracteis involucri nervoso-striatis; antheris subbirostellatis.

Frutex in horto Musæi parisiensis cultus circiter metralis, in patria forte multo elatior. Folia ut plurimum 7-8 centim. longa, nonnunquam decimetralia, 4-5 centim. lata, petiolo 2-3-centimetrali, nervulis transversis creberrimis vix dimidio millimetro inter se distantibus. Pedunculi 4-5 centim. longi. Bracteæ involucri ovatæ fere sesquicentimetrales, parallele nervosæ. Calycis dentes lati acuti ciliolati simplices. Petala 2 ½ centim. longa, obovata, obtusa, longitudinaliter nervosa. Antheræ rostellis duobus brevibus apice anguste porosis terminatæ. — In Antillis, sed quo loco nobis non compertum est.

2. BLAKEA GRANATENSIS †.

B. fruticosa macrantha; ramis supremis subteretibus nodosis puberulis moxque glabratis; foliis obovatis ellipticove-obovatis abrupte acuminatis, prætermisso utroque nervulo submarginali, 3-nerviis glabris caducis; floribus solitariis longissime pedunculatis albis; bracteis involucri obovatis acuminatis; antheris apice obtusis.

Species habitu *B. trinerviæ* proxima cujus folia suis fere simillima sunt quoad formam compagem et magnitudinem. Pedunculi in quavis axilla foliorum superiorum aut supra cicatrices foliis delapsis succedentes solitarii, 4-6 centim. longi. Calyces late campanulati pubescentes, involucro 4-phyllo breviores, dentibus tubo brevioribus. Petala carnosula obovata apice rotundata alba, fere 3 cent. longa et lata. Antheræ apice obtusissimæ, calcare postico acutissimo. — In nemoribus humidis prope *Bogota* Reipublicæ novo-granatensis, ad altitudinem 2000 metrorum; Linden, *Cat.* n. 822.

3. BLAKEA LAURIFOLIA †.

B. fruticosa glabra aut glabrata; foliis obovatis acuminatis basi acutis integerrimis 3-nerviis; floribus axillaribus solitariis longe pedunculatis; calyce campanulato 6-denticulato.

Plantæ nobis incomplete descriptæ manca tantum suppetunt specimina, speciem a præcedente quidem distinctam revelantia sed ingenuos characte-

res non satis exhibentia. Rami vetustiores subteretes, juniores subtetragoni, ananthorum internodiis elongatis fere sesquidecimetralibus, floriferorum abbreviatis vix centimetralibus. Folia 8-10 cent. longa, 4 lata, petiolo circiter 2-centimetrali, nervulis transversis pro genere remotis, 1-3 millimetris a se invicem distantibus. Pedicelli 3-4 centim. longi. Involucri bracteæ ovatæ, sesquicentimetrales, calycem subæquantes. Dentes calycini simplices triangulares subacuti, tubo ipso multo breviores. Cætera non suppetebant. — In collibus insulæ Guadalupæ, ad altitudinem 2:0 vel 300 metrorum ; Beaupertuis.

4. Blakea brevipes †.

B. fruticosa; ramis supremis pube squamuloso-pulverulenta hirsutis, ad nodos longius setosis, demum glabratis ; foliis ovato-ellipticis ellipticove-lanceolatis apice interdumque basi acutis, prætermisso nervulo marginali 3-5-nerviis glabris aut glabratis ; floribus in quavis axilla solitariis breviter pedicellatis.

Folia pro genere majuscula, 10-12 centim. longa, 5-6 lata, nonnunquam angustiora, petiolo circiter sesquicentimetrali. Florum pedicelli petiolis vix longiores id est circiter bidecimetrales. Bracteæ florem involucrantes obovatæ nervulosæ calycem paulo superantes aut illi æquales. Calyx oblongo-campanulatus, dentibus magnis late ovatis acutis. Petala obovata, ferme 2 centim. longa, paulo minus lata. Stamina apice obtusa nec birostellata, connectivo postice in calcar conicum porrecto. — In Peruvia prope civitatem *Cuzco;* Cl. Gay.

5. Blakea sessiliflora †.

B. fruticosa submacrophylla sessiliflora ; ramulis supremis rubiginoso-furfuraceis mox glabratis ; foliis in eodem jugo inæqualibus ovato-ellipticis breviter et abrupte acuminatis basi subacutis integerrimis 3-nerviis glabratis ; floribus ad apices ramorum juniorum axillaribus solitariis subsessilibus ; bracteis involucri calyce explicato brevioribus.

Species a prioribus distinctissima et facile distinguenda, *B. repenti* (*Valdesiæ repenti* Ruiz et Pav.) nobis e descriptione Doneana non satis cognitæ fortasse affinis. Folia cujusque jugi disparia, uno alterum fere duplo longitudine et latitudine superante, scilicet majore 12-15 centim. longo, 5-6 lato, minore 7 longo, 3 et quod excedit lato, petiolis 1-2-centimetralibus, nervulis transversis a se invicem 1-3 millimetris distanti-

bus. Flores ad apices ramulorum primo adspectu geminati, revera tamen in utroque foliorum oppositorum axilla solitarii et gemmula intermedia quæ ramum productura est separati, unde videtur Donæum erravisse, cum ex inedito opere Ruizii et Pavonis, flores in hoc genere geminatos indicavit. Involucri bracteæ exteriores late ovatæ acutæ, interiores obtusæ rotundatæ, omnes calyce breviores. Calycis dentes triangulares acuti. Cæteræ partes floris nobis ignotæ. — In Peruvia, loco haud designato; Rivero.

Species addendæ :

6. B. ROSEA Don, *l. c.* — DC., *l. c.*, 195. — *Valdesia rosea* Ruiz et Pav., *Flor. Per. ined.*, tab. 408.

7. B. OVALIS Don, *l. c.* — DC., *l. c.* — *Valdesia ovalis* Ruiz et Pav., *Syst.*, 121, et *Flor. Per.*, tab. 406.

8. B. REPENS Don, *l. c.* — DC., *l. c.* — *Valdesia repens* Ruiz et Pav., *Syst.*, 121, et *Flor. Per.*, tab. 405.

9, B. LATIFOLIA Don, *l. c.* — DC., *l. c.* — *Valdesia latifolia* Ruiz. et Pav., *Flor. Per.*, tab. 407.

Species exclusæ aut ad alia genera removendæ :

B. mexicana Don, *l. c.* — DC., *l. c.*

B. quinquenervia Aublet. — BELLUCIA AUBLETII.

B. multiflora Don, *l. c.* — DC., *l. c.*

B. rotundifolia Don, *l. c.* — DC., *l. c.* — TOPOBEA ?? ROTUNDIFOLIA.

B. macrophylla Don, *l. c.* — DC., *l. c.* — BELLUCIA?

B. parasitica Don, *l. c.* — DC., *l. c.* — TOPOBEA PARASITICA.

B. lævigata Don, *l. c.* — DC., *l. c.* — TOPOBEA LÆVIGATA.

B. pulverulenta DC., *l. c.*, 196. — MICONIA ??

B. Cacatin Don, *l. c.* — DC., *l. c.* — MICONIA LÆVIGATA ?

CL. — *TOPOBEA*. Tab. VI, fig. 2.

TOPOBEA Aublet, *Guyane*, I, 476, tab. 189. — BLAKEÆ species Don, *Mem. Wern. soc.*, IV, p. 325 et seq. — DC., *Prod.*, III, 195. — DREPANANDRUM Necker, *Elem.*, n° 793.

Flos 6-merus interdumque 5-merus, bracteis 4 liberis aut opposite connatis involucratus. Calycis limbus in lobos breves

obtusos et quasi subobsoletos denticulo autem externo brevi ut plurimum apiculatos divisus, rarius integerrimus nec denticulatus. Petala ovata aut obovata, nonnumquamque suborbicularia. Stamina 12 (10 in floribus 5-meris) æqualia aut subæqualia, antheris lineari-subulatis, sæpius falcatis, apice porosis, connectivo postice ad basim calcarato aut inermi. Ovarium liberum vel basi adhærens, 4-5-6-loculare, placentis productis. Stylus filiformis, stigmate obtuso nec capitellato. Fructus baccatus (fortassis etiam capsularis). Semina ignota.

Frutices utriusque Americæ regionum calidiorum indigeni, interdum scandentes radicantes et pseudo-parasitici, glabrati aut glabri; ramis tetrahedris demum subteretibus; foliis oppositis petiolatis magis minusve ellipticis orbicularibusve acuminatis 3-7-*nerviis*, *inter nervos primarios transversim*, *more Pyxidanthi et Blakeæ, nervulosis; floribus mediocribus ad axillas foliorum aggregatis longe pedicellatis*, *roseis aut albis.*

Aubletianum genus *Topobeæ* a Candollæo cum Blakea Bellucia et fortasse Pyxidantho infeliciter coadunatum, propter habitum antherarumque formam diversam hic merito restituimus.

1. Topobea parasitica Aubl., *Guy.*, I, 476, tab. 189. — *Blakea parasitica* DC., *l. c.*, 196. — Don, *l. c.*, 327.

T. sarmentosa submacrophylla; ramis obsolete tetragonis glabratis aut furfure raro mox detergibili conspersis; foliis late ovatis interdumque omnino orbicularibus abrupte acuminatis, basi obtusis nec cordatis, subintegerrimis aut vix conspicue sinuato-denticulatis 5-7-nerviis glabris; foliolis involucri membranaceis liberis suborbicularibus; calyce hemisphærico 6-dentato; ovario basi adhærente 6-loculari.

Rami subtetragoni lignosi scandentes, in apicibus oligophylli. Folia in utraque pagina nitida, oculo armato subtiliter punctulata, 1-1 ½ decim. et quod excedit longa, 8-12 centim. lata, petiolo subgracili 2-3-centimetrali, nervulis transversis a se invicem 1-3 millim. distantibus. Florum fasciculi oligantlhi axillares, pedicellis propriis ferme centimetralibus. Bracteolæ involucri calycem subæquantes, 7-8 millim. longæ et latæ,

apiculatæ. Dentes calycini breves denticulo externo destituti. Petala obovata, circiter centimetralia, subapiculata. Antheræ lineari-subulatæ, 1-porosæ ? ; connectivo postice ad basim tuberculato aut breviter calcarato. — In America æquinoctiali , loco haud indicato ; Bonpland ; in Guyana haud rara est.

2. Topobea superba †.

T. macrophylla ; ramis crassiusculis quadrangulis nodosis, internodiis (saltem ramorum supremorum) abbreviatis; foliis maximis ovato-ellipticis breviter acuminatis tenuissime denticulato-sinuatis 5-nerviis glabratis ; floribus axillaribus aggregatis inæqualiter pedicellatis ; involucri foliolis suborbicularibus subcoriaceis ; calyce oblongo-campanulato 6-lobo ; ovario libero 5-6-loculari.

Species inter omnes characteribus propriis conspicua. Rami supremi (qui nobis soli suppetunt) succulenti, medullosi et pro foliorum magnitudine breviter articulati, internodiis scilicet vix bicentimetrum longis , hinc et inde decussatim foliorum delapsorum cicatricibus notati et inter cicatrices aut folia cujusque jugi ruga transversa obvallati , pennam anserinam crassitudine æmulantes aut etiam superantes. Folia 2-3 decimetra longa, 13-15 centim. lata, punctulata, nervis primariis subtus tomentum rufum præsertim ad basim retinentibus, nervulis transversis 2-4 millim. inter se distantibus, petiolo 2-3-centimetrali. Florum fasciculi ex utraque axilla opposita orti, 4-7-flori , floribus in quavis axilla interioribus quam cæteri longius pedicellatis maturiusque adultis, pedicellis 1-2-centimetralibus. Bracteolæ suborbiculares. 4-5 millim. longæ et latæ, calyce infra limbum constricto ferme dimidio breviores. Calycis lobi brevissimi, denticulo minuto instructi. Petala circiter centimetralia obovata. Stamina lineari-subulata falcata, poro fere extrorso dehiscentia, postice ad basim calcarata. Fructus ignotus. — Prope *Combayma* Reipublicæ novo-granatensis ; Goudot.

3. Topobea longipes †.

T. submacrophylla glabrata ; novellis furfure crasso subsquamuloso detergibili obductis, ramis supremis crassis tetrahedris ; foliis ovato-ellipticis breviter et abrupte acuminatis, tenuissime sinuato-denticulatis, 5-nerviis ; floribus axillaribus quaternis-quinis , longe et inæqualiter pedicellatis, 6-meris ; bracteis

involucri suborbicularibus rigidis, calyce oblongo-campanulato et infra limbum constricto dimidio brevioribus.

Species præcedenti affinis, eamdem nempe ramorum structuram eumdemque habitum et florum dispositionem exhibens. Rami supremi (nisi sit caulis simplicis summitas, quod incertum est) digitum auricularem mulierculæ crassitie vix non æmulantes, tetrahedri, cicatricibus foliorum delapsorum decussatim notati et inter cicatrices aut folia opposita ruga transversa obvallati, epidermide rubescente (saltem in specimine nostro) obtecti, internodiis circiter centimetralibus. Folia 12-15 centim. longa, 6-8 lata, nervulis 1-2 millim. distantibus, petiolo 3-4-centimetrali. Flores pro genere fortasse majusculi, in fasciculo quovis axillari seriatim a petiolo ad axim dispositi, pedicello eo longiore donati quo axi propinquiores sunt, interiorum scilicet pedicelli 4-5-centimetrales, exteriorum circiter dimidio breviores. Involucri folia exteriora inter se basi nonnihil connata, omnia 5-6 millim. longa et lata. Calyces ut in præcedente specie. Petala nec genitalia vidimus. — In montibus Peruviæ; Ruiz, ex herbario Lambertiano.

4. Topobea stephanochæta †.

T. submicrantha; ramis lignosis obscure tetrahedris, hinc et inde decussatim sulcatis; foliis ovato-ellipticis breviter et abrupte acuminatis, basi interdum subacutis, non manifeste sinuato-denticulatis, 5-nerviis glabris rigidulis; fasciculis axillaribus 3-4-floris, pedicellis inæqualibus; involucri bracteolis coriaceis subrotundis calyce fere dimidio brevioribus; floribus 6-meris; ovario basi adhærente, apice libero aristis 5-6 styli basim cingentibus coronato, 5-6-loculari.

Arbuscula aut saltem frutex elatus ramosus. Rami supremi nodosi epidermide corrugata (in speciminibus exsiccatis) vestiti, penna anatina vix crassiores, internodiis 2-4 centim. longis. Folia 10-12 centim longa, 5 et quod excedit lata, petiolo 2-3-centimetrali, nervulis transversis millimetrum circiter inter se distantibus. Florum interiorum in quovis fasciculo pedicelli sesquicentimetrum circiter longi, exteriorum vix centimetrales, omnes crassiusculi. Involucri bracteolæ rigidæ suborbiculares 3-4 millim. longæ et latæ. Petala ovata acuta, in alabastro tantum visa. Stamina æqualia, antheris basi postica breviter calcaratis. Ovarium ad medium usque adhærens, apice libero costis in aristas abeuntibus et loculos totidem indicantibus ornatum, 5-loculare, fortassis etiam 6-loculare, si ex analogia judicandum sit. Fructus ignotus. — In Republica novo-granatensi, prope *Portochuelo;* Goudot.

5. TOPOBEA CALYCULARIS †.

T. fruticosa glabrata pro genere submicrantha; ramis gracilibus tetrahedris et quadrimarginatis; foliis ovato-ellipticis abrupte et anguste acuminatis integerrimis, nervo utroque marginali adjecto, 5-nerviis rigidulis nitentibus; fasciculis axillaribus 2-4-floris; bracteolis involucri calyce dimidio brevioribus, duabus exterioribus inter se ad medium usque connatis; floribus 6-meris breviter pedicellatis; ovario 4-loculari.

Planta a præcedentibus omnibus facile distinguenda. Rami floriferi graciles et fere viminales penna corvina vix crassiores sunt, internodiis sæpe 2-decimetralibus. Folia 10-12 centim. longa, 5-6 lata, acumine lineari 1-1 ½ - centimetrali, petiolo circiter 3 centim. longo, nervulis transversis 1 millim. circiter inter se distantibus. Florum pedicelli quam in præcedentibus speciebus breviores et minus inæquales, paulo ante explicationem corollæ 6-8-millimetrales. Alabastra subcylindrica, in pedicellum confluentia. Bracteolæ exteriores inter se inferne connatæ calyculum bilobum formantes, interiores subliberæ suborbiculares, omnes 3 millim. circiter longæ et latæ. Calycis limbus 6-dentatus, denticulis exterioribus indistinctis. Petala ovata, subacuta, alba. Antheræ æquales (saltem in alabastro), postice inermes. Ovarium liberum 4-loculare, stylo crassiusculo, stigmate obtusissimo. — In sylvis humidis Reipublicæ mexicanæ, prope *Zuluzuchiapas;* Linden.

6. TOPOBEA FRAGRANS †.

T. fruticosa?; ramis 4-gonis; foliis carnosulis obovato-ellipticis breviter acuminatis basi acutis integerrimis 3-nerviis glabris; floribus in axillis foliorum solitariis? 5-meris; bracteolis involucri subrotundatis calyce multo brevioribus, duabus exterioribus basi inter se nonnihil connatis; calycis limbo integerrimo; ovario libero 4-loculari.

Plantæ specimen unicum et valde mancum habemus, ita ut quæ sint illius habitus et statura suspicari non liceat. Rami vetustiores (fortasse caulis ipsius summitas) crassiusculi, internodiis vix centimetralibus; ramulorum juniorum anguli acutiores et marginati, internodiis inferioribus ferme decimetralibus. Folia (saltem quæ nobis suppetunt) 8-9 centim. longa, 4 lata, petiolo 2-3-centimetrali, nervulis transversis vix perspicuis obliquis. Flores quam in præcedentibus speciebus in quavis axilla

pauciores, in specimine nostro solitarii, 5-meri et fortassis etiam 6-meri, pedicello crassiusculo sesquicentimetrum longo. Involucri foliola rotundata subcoriacea, calyce campanulato subtriplo breviora. Limbus calycinus simplex integer membranaceus. Petala oblongo-ovata subobtusa, 12-14 millim. longa, carnosula, carnea. Antheræ lineari-subulatæ, loculis undulatis, apice et nonnihil extrorsum biporosis. Ovarium liberum 4-loculare (siccine semper ?), stigmate obtuso punctiformi. Flores odorem gratum redolent. — In montibus mexicanis ad altitudinem circiter 1000 metrorum, prope *Vera-Cruz;* Galeotti, *Cat.* n° 2915.

Species addendæ sed incertæ :

7. T. LÆVIGATA. — *Blakea lœvigata* Don, *l. c.* — DC., *l. c.* — Species fortassis affinis *T. calyculari* et *T. fragranti.*

8. T.?? ROTUNDIFOLIA Don, *l. c.* — DC., *l. c.*

CLI. — *PYXIDANTHUS.* Tab. VI, fig. 3.

BLAKEÆ species aliorum ?

Flores 6-meri. Alabastra involucro 4-phyllo demum deciduo omnino inclusa ; involucri squamis per paria oppositis , duabus exterioribus carnoso-coriaceis concavis, sibi invicem marginibus arcte applicatis, duabus interioribus membranaceis. Calycis limbus simplex aut duplicatus , breviter 6-dentatus aut sinuato-lobatus. Petala ovata obovatave. Stamina 12 æqualia ; antheris brevibus triangulari-securiformibus ab utroque latere subcompressis, apice porosis? ; connectivo postice nonnihil producto , conico. Ovarium ultra medium adhærens, apice sterili attenuato liberum, 4-6-loculare. Stylus (in alabastro) cylindricus, stigmate punctiformi.

Arbusculæ aut frutices novo-granatenses et venezuelenses monticolæ ; foliis oppositis petiolatis 3-5-nerviis, rigidulis integerrimis transversim inter nervos primarios tenuiter et parallele nervulosis ; floribus ad axillas foliorum aggregatis aut solitariis, pedicellatis, albis aut roseis.

Pyxidanthi cum *Blakea* nostra (non DC.) affinitas manifesta est. Utriusque enim generis flores 6-meri, staminum fabrica et foliorum compages peculiaris cognationem indicant, sed involucri

structura nobis adeo diversa habita est ut ea sub diversis nominibus separare operæ pretium fuerit. Antheras, quæ in alabastris exiguis solum occurrerunt, poris apicalibus, propter analogiam, dehiscere reputavimus. Nec nos tamen effugere sulci tenues in utroque loculo longitudinaliter excurrentes rimosæ dehiscentiæ fortassis prima rudimenta.

1. Pyxidanthus Lindenianus †.

P. novellis furfuraceis; ramis veterioribus glabratis subteretibus; foliis ellipticis abrupte acuminatis subcoriaceis 5-nerviis glabratis aut vix perspicue punctulato-furfuraceis; alabastris globosis apiculatis; antherarum connectivo postice acuto conico et quasi calcarato.

Folia dense et parallele transversim inter nervos primarios nervulosa, circiter decimetrum longa, 4-5 centim. lata, petiolo 3-centimetrali. Flores axillares interdum solitarii, sæpius plures necnon in ramulis brevibus subterminales, pedunculis sesqui-bicentimetralibus suffulti. Involucri squamæ exteriores hemisphericæ submarginatæ, in planta exsiccata coriaceæ et sublignosæ, deciduæ; interiores pariter hemisphericæ, paulo minus coriaceæ, in flore aperto reflexæ, tardius quam priores deciduæ imo et fortasse persistentes. Calycis limbus brevissime sinuato-denticulatus. Petala ovata (in alabastro) subacuta. Antherarum connectivum postice in calcar acutum quasi productum. Ovarium depressum, 4-loculare (saltem in flore unico analysi subjecto, sed fortassis etiam 6-loculare recurrit), apice libero pleno nec in loculos excavato. — In Andibus venezuelensibus, prope urbes *Truxillo* et *Merida* ad altitudinem circiter 2000 metrorum; Linden.

2. Pyxidanthus Schlimii †.

P. ramis supremis tetragonis alternatim hinc et inde compressis glabratis, novellis furfuraceo-villosis; foliis obovatis, apice abrupte acuminatis, basi subacutis, 5-nerviis, pagina superiore cito glabrata, inferiore tomentum secus nervos diutius retinente; alabastris ovoideis acutis; antherarum connectivo postice conico sed subobtuso.

Planta cum præcedente primo intuitu confundenda, plurimis notis tamen distincta. Rami supremi qui circiter pennam anserinam diametro

æquant) manifeste tetragoni et ad angulos obtuse marginati. Folia juniora lanceolato-elliptica, adulta obovata et in medio apice quasi cordato breviter et abrupte acuminata, nervulis inter nervos primarios transversis paulo minus crebris quam in *P. Lindeniano* lineata, 1 decim. et quod excedit longa, 5-8 centim. lata (saltem in unico specimine Musæi Parisiensis), petiolo 3-4-centimetrali. Flores axillares solitarii-terni, fortass s etiam numerosiores, albi aut rosei, pedunculis 2-3 centim. longis furfuraceis suffulti. Alabastra quam in præcedente minus globosa, acutiora, squamis quatuor coriaceis (in specimine exsiccato sublignosis) inclusa. Calyces subglobosi, dentibus brevibus duplicatis. Petala fortassis obovata in flore aperto. Antheræ a lateribus conspectæ subtrigonæ securiformes. Ovarium 6-loculare. In Andibus venezuelensibus provinciæ *Truxillo*, ad altitudinem 2000 metrorum, Funck et Schlim, *Cat.* n. 738.

3. Pyxidanthus latifolius †.

P. subarborescens; ramis supremis subteretibus alternatim hinc et inde compressiusculis glabratis; foliis late obovatis subrotundatisque, apice breviter et abrupte acuminatis, basi obtusis, præter nervum utrumque marginalem 3-nerviis, glabratis; alabastris globosis apiculatis; antheris a lateribus compressis, connectivo postice conico subacuto.

Arbuscula 4-5-metralis, ramosa, submacrantha, si ex alabastris quæ sola suppetebant judicandum sit. Folia juniora oblongo-ovata, adulta fere suborbicularia si prætermittatur acumen terminale, nervulis transversis distantibus, quam in utraque specie præcedente multo minus regularibus, 7-9 centim. longa, 6-8 lata, petiolo sesquicentimetrali. Flores in axillis foliorum supremorum solitarii-terni, interdum geminati, albi; pedunculo progenere brevi crasso et rugoso-tuberculato. Involucri squamæ omnes hemisphæricæ, exteriores magis coriaceæ et apiculatæ. Calyx depressus, limbo membranaceo molli, sinuato et fere integro, simplici. Petala (in alabastris junioribus) obovata, apiculata. Stamina ut in *P. Schlimii* sed connectivo postico paulo productiore et acutiore. Ovarium superius liberum sterile, inferius calyci adnatum, 6-loculare. Stylus in alabastro brevis conicus, stigmate punctiformi. — In Republica novogranatensi, locis montosis; Goudot.

CLII. — *CREOCHITON*. Tab. VI, fig. 4.

CREOCHITON Blume, *Flora*, XIV, 506. — MELASTOMATIS species DC., *Prod.*, III, et aliorum.

Flos 4-merus, bracteis duabus concavis carnosis caducis ante explicationem inclusus. Calycis tubus hemisphæricus, limbus membranaceus mollis simplex obtuse 4-lobus. Petala obovata apiculata. Stamina 8 æqualia; antheris oblongis crassiusculis, apice angustato et fere subrostellato uniporosis, connectivo infra loculos antice non producto sed postice in appendicem conicam brevem cum anthera ipsa confluentem terminato, filamento in sulco ventrali antheræ affixo. Ovarium toto ambitu et ad apicem usque adhærens, 4-loculare; placentis secus longitudinem bilobis ideoque quasi duplicatis. Stylus crassiusculus, quadrangulus (Endlicher); stigmate obtuso punctiformi. Fructus baccatus globosus, limbo calycino persistente coronatus. Semina ovoideo-angulata vel oblonga, raphe laterali lineari hinc excurrente marginata.

Frutices Moluccani (Endlicher) *et Sundaici*, *scandentes; foliis petiolatis integerrimis; pedunculis axillaribus terminalibusque umbellato-multifloris aut paucifloris; floribus roseis.*

Inter Pyxidantheas americanas et asiaticam Creochitonem debilis est analogia. Videant botanici utrum melius sit hunc ordinem servare an Creochitonem Dissochæteis adnumerare.

1. CREOCHITON SUPERBA †.

C. submacrophylla; ramis teretibus radicantibus?, supremis furfure ferrugineo detergibili obductis, veterioribus glabratis; foliis coriaceis late ovatis interdumque orbiculari-ovatis, apice rotundatis aut vix et obtuse apiculatis, basi subcordatis, prætermisso utroque nervulo marginali 5-nerviis, ferrugineo-furfuraceis, pagina superiore cito glabrata, inferiore tomentum diutius retinente; pedunculis axillaribus 1-3-floris.

Specimen nostrum a Zollingero lectum nequaquam *Creochitoni bibracteatæ* Blum. referendum est si qua fides sit hujus descriptioni adhi-

benda. Fatente Candollæo *C. bibracteata* a *Melastomate pudibundo* sive ab altera Creochitonis specie vix differt, dum nostra ab hac adeo discrepat ut, nisi ad structuram floris attenderetur, facile alius esse generis crederetur. Folia 8-10 centim. longa sunt, 5-6 lata ; petiolo sesqui-bicentimerali ; nervis robustis subtus prominentibus. Flores bracteis involucrat ovoidei ; bracteæ ipsæ ellipticæ naviculares, circiter centimetrales. Flores explicati haud visi. — In insula Java ; Zollinger, n. 3009.

2. CREOCHITON PUDIBUNDA Blum., *Flora*, 1831, p. 506. — Walp., *Repert.*, II, 145. — *Melastoma pudibundum* DC., *l. c.*, 148.

C. subglabra aut mature glabrata ; ramis teretibus ; foliis oblongo-ovatis, apice attenuato obtusis, basi subrotundatis nec cordatis ; pedunculis axillaribus 5-10-floris ; floribus umbellatis.

Folia 7-9 centim. longa, 3-4 lata, petiolo $1\text{-}1\frac{1}{2}$-centimetrali. Pedunculi umbellarum circiter 3-centimetrales, pedicelli sesquicentimetrum longi. Flores quam in præcedente specie fere dimidio minores. Antheræ apice rostellatæ, oblique porosæ. Baccæ submaturæ crassitudine pisi.

Var. β *coriacea*, foliis coriaceis ; floribus quam in var. α paulo majoribus. — In insula *Java ;* Blume, Zollinger, *Cat.* n. 3196.

Species addenda :

3. C. BIBRACTEATA Bl., *l. c.*, 507. — *Melastoma bibracteatum* DC., *l. c.*

EXTRAIT DES **ANNALES DES SCIENCES NATURELLES**, TOME XVIII.
(CAHIER N° 5.)

MELASTOMACEARUM

QUÆ IN MUSÆO PARISIENSI CONTINENTUR

MONOGRAPHICÆ DESCRIPTIONIS

ET SECUNDUM AFFINITATES DISTRIBUTIONIS

TENTAMEN.

(SEQUENTIA.)

Auctore **CAROLO NAUDIN**.

SUBORDO II. — ASTRONIEÆ.

Astroniearum subordo a Melastomeis proprie dictis vix differt; inter eas sequentemque subordinem tam placentarum forma et situ quam seminum fabrica gradationem sistit. Unicum genus includit quod in posterum fortassis dividendum erit ; id est :

Astronia.

CLIII. *ASTRONIA.*

ASTRONIA Blum., *Bijdr. Flor. ned. Ind.*, p. 1080. — *Flora oder Bot. Zeit.*, 1831, II, 525. — *Rumphia*, I, p. 20, tab. 6, 7. — DC., *Prod.*, III, 197. — Endlicher, *Gen. plant.*, n° 6267. — PHARMACUM Rumph., *Amboin.*, IV. tab. 69. — CONOSTEGIÆ species Don., *Mem. soc. Wern.*, IV, 316. — DC., III, 176.

Flores 5-6-meri. Calycis tubus hemisphæricus, limbus nunc in dentes 5-6 simplices divisus, nunc clausus quasi in calyptram obtusam conflatus et sub anthesi transversim aut irregulariter lacerus. Stamina 10-12 æqualia ; antheris dolabriformibus apice obtusis antice rima duplici longitudinali dehiscentibus, connectivo postica basi mutico aut in tuberculum vix perspicuum desinente, filamentis complanatis brevibus. Ovarium cum calyce omnino

adnatum 2-5-loculare. Placentæ nunc in fundo loculorum depressæ planæ fere semilunares, nunc e basi columnæ centralis productæ multiovulatæ. Capsulæ globosæ limbi calycini vestigiis coronatæ in fragmenta undique disruptæ, nervis coriaceis parenchymati soluto superstitibus. Semina numerosissima minuta linearia aut acicularia, raphe laterali fusca hinc excurrente lineata.

Arbores et arbusculæ in India, insulis sundaicis et Oceania hucusque cognitæ, submicranthæ et microcarpæ, foliis petiolatis ovatis ovatove-oblongis acuminatis integerrimis trinerviis triplinerviisque; floribus abortu diclinis (ex auctoritate Blumii), *in paniculas terminales digestis, albis aut purpurascentibus.*

1. Astronia Forsterii. — *Conostegia glabra* DC., *l. c.*, 176.

A. fruticosa ramosa glaberrima multiflora; ramis supremis obscure tetrahedris mox teretibus apice foliosis; foliis petiolatis obovato-ellipticis oblongove-ovatis acuminatis integerrimis 3-nerviis; paniculis terminalibus corymbiformibus, ramulis extremis 3-floris, floribus pedicellatis; calycis limbo clauso calyptriformi sub anthesi varie lacero.

Frutex sesqui-bimetralis dumiformis ramosus, ramis superius tantum foliosis floriferisque inferius denudatis. Folia 4-5 centim longa, 1 ½-2 lata, apice in acumen angustum producta, nervis duobus lateralibus margini proximis parum conspicuis unde fiunt fere penninervia, petiolis 1-1 ½-centimetralibus. Paniculæ abbreviatæ corymbiformes aut subumbellatæ, trichotome ramosæ. Flores integri non suppetebant in specimine nostro sed fructus maturos habebamus qui calycis marcidi vestigia retinebant illumque ante floris explicationem calyptratum et sub anthesi partim circumscissum aut etiam in lobos 2-4 dentiformes obtusos laceratum fuisse ostendebant. Pedicelli proprii circiter centimetrum longi. Calyces fructiferi circiter crassitudine pisi minoris, cum capsula arcte connati et ad tempus maturitatis carptim soluti copiam relinquentes nervorum persistentium, qui etiam post seminum dispersionem inter se connivent capsulæque defunctæ quasi umbram referunt. Placentæ 4-5 ex ima columella ortæ oblongæ erectæ. Semina numerosissima minuta linearia aut pyramidata, raphe laterali nigra hinc excurrente notata. — In collibus insulæ Tahitensium frequens; Ribourt.

Astronia Forsterii ab asiaticis sundaicisve speciebus differt limbi calycini placentarumque fabrica quæ Melastomacearum plurimarum placen-

tis forma et situ conformes sunt. Ab illis fortassis etiam discrepat loculorum numero. Nonne quum melius innotescent Astronieæ ut genus proprium describenda est?

2. Astronia macrophylla Blum. *Bijdr. Flor. ned. Ind.*, 1080. — DC., *l. c.*, 197.

A. arborea macrophylla; foliis longe petiolatis ovatis ellipticisve aut etiam late lanceolatis acuminatis prætermisso utroque nervo submarginali triplinerviis; paniculis terminalibus pyramidatis floribundis.

Species nobis male cognita, variabilis, sed ab aliis hujus generis haud ægre discernenda ex foliis manifeste triplinerviis. Rami supremi hornotini et annotini obscure tetrahedri et a nodo ad nodum sulcati, in prima juventute pulvere fusco obducti mox glabrati. Folia 1 ½-2 decim. longa, 6-8 centim. lata, integerrima glabrata triplinervia aut etiam fere quintuplinervia si adjiciantur nervi submarginales, petiolis 4-5-centimetralibus. Paniculæ terminales foliis vix breviores pyramidatæ floribundæ, pulvere fusco mox deterso obductæ; ramis superposite geminatis; floribus ad extremos ramulos aggregato-glomeratis brevissime pedicellatis. Petala ovato-rotundata, 3-4 millim. longa et lata. Ovarium biloculare. Fructus maturi exsucci globosi circiter crassitudine seminis *Lathyri odorati*, undique in fragmenta solubiles. Semina numerosissima tenuia linearia vel potius acicularia, e placenta crassa plana semilunari vel semicirculari assurgentia. — In insulis Sundaicis scilicet *Java*, *Sumatra* et *Bornéo* Blume.

3. Astronia papetaria Blum. *Flora*, 1831, vol. II, 526. — *Rumphia*, t. I, p. 20, tab. 6. — *Pharmacum papetarium* Rumph, *Amb.* IV, tab. 69.

4. Astronia spectabilis Blum. *Flora*, *l. c.* — *Rumphia*, t. I, p. 20, tab. 7.

5. Astronia intermedia Blum. *Mus. bot. Lugd. Bat.*, p. 9.

Harum trium specierum fragmenta pauca habemus et manciora quidem quam ut ex illis species describamus. Inutilis cæterum esset labor quum solertissime a Blumio depictæ sint in operibus hic memoratis, quibus ergo recurrat lector necesse est.

Quasdam alias Astroniarum formas ex insulis Oceaniæ oriundas et *Astroniæ Forsterii* affines in herbario celeberrimi Asæ Gray vidimus, quæ

nondum descriptæ et herbario Musæi parisiensis deficientes nobis prætermittendæ sunt.

Subordo III. — KIBESSIEÆ.

Kibessieæ a cæteris Melastomaceis stigmate sulcato aut, ut videtur, etiam vere lobato discernuntur. Macroplacis placentarum charactere quæ e fundo loculorum assurgunt Astronieas Kibessieis connectit, aliis autem generibus subordinis reliquis characteribus jungitur. Subordo naturalis est.

Conspectus generum :

Macroplacis.
Ewyckia.
Rectomitra.
Kibessia.

CLIV. *MACROPLACIS.*

Macroplacis Blum., *Mus. bot. Lugd. Bat.*, p. 7. — Ewyckiæ spec., Korthls, in *Verh. nat. Gesch. bot.*, 255.

1. Macroplacis cordata Blum., *l. c.* — *Ewyckia cordata* Korthls, *l. c.*

CLV. *EWYCKIA.*

Ewyckia Blum., *Flora*, 1831, II, 525. — *Rumphia*, 1, 23, tab. 8. — Pternandra? Jack in *Mal. misc.*, II, *App.*, p. 3. — Hooker, *Bot. misc. comp.*, I, 158. — Wight et Arntt. *Prod.*, I, 324. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6266.

Flores 4-meri. Calyx hemisphæricus, limbo integerrimo aut obsolete 4-lobo. Petala lanceolato-acuta aut ovata. Stamina 8 æqualia, antheris breviusculis fere ovoideis longitudinaliter 2-rimosis (nonne aliquando 1-rimosis?), connectivo postice breviter calcarato aut mutico. Ovarium omnino adhærens 4-loculare. Stylus gracilis erectus, stigmate conico aut ovoideo, longitudinaliter 4-sulco (fortassis et 8-sulco). Placentæ in fundo loculorum parietales parum productæ undique ovuligeræ. Cætera ignota.

Arbusculæ in peninsula malaccensi et archipelago indico obviæ, glabræ ; foliis breviter petiolatis 3-nerviis ; pedunculis axillaribus paucifloris; floribus parvulis cæruleis.

1. EWYCKIA MEDINILLIFORMIS. — Estne *Pternandra capitellata* Jack?

E. macrophylla glaberrima; ramis teretibus; foliis coriaceis breviter petiolatis late ovatis ellipticisque acuminatis basi acuta cum petiolo confluentibus 3-nerviis; floribus ad nodos glomeratis brevissime pedicellatis.

Utrum frutex an arbuscula sit nescimus. Rami hornotini jam in lignum indurati teretes, annotini ad nodos floriferi. Folia coriacea magnitudine variabilia, 8-15 centim. longa, 5-9 lata, lævia, pagina inferiore quasi glaucescentia, nervis tribus subtus prominentibus ex ipso petiolo orientibus. Inflorescentia completa non suppetebat in speciminibus nostris, sed fasciculi seu glomeruli oliganthi videbantur. Calyx campanulatus, limbo subintegerrimo. Petala ovata 3-4 millim. longa. — In peninsula Malaccensi et insula *Pulo-Pinang*; Gaudichaud?

Fortassis sub eodem nomine hic duas species affines sed distinctas includimus, unam scilicet Malaccensem foliis distinctam brevioribus et ovatioribus, alteram insulæ *Pulo-Pinang* indigenam foliis multo majoribus et oblongioribus. Videant posteri.

Species addendæ:

2. E. CYANEA Blum. *Rumphia*, t. I, p. 24, tab. 8. — *Mus. bot. Lugd. Bat.*, p. 6.

3. E. LATIFOLIA Blum. *Mus bot. Lugd. Bat.*, p. 6. — *E. cyanea* Korthls, in *Verh. nat. Gesch. bot.*, 254.

4. E. CÆRULEA. — *Pternandra cærulea* Jack in *Malay. misc.* II, *App.* 3.? — Species maxime dubia, male descripta, fortassis eadem quam sub nomine *E. latifoliæ* descripsit Blumius. Differtne etiam ab *E. medinilliformi?*

CLVI. *RECTOMITRA.*

RECTOMITRA Blum., *Mus. bot. Lugd. Bat.*, 6, tab. I, fig. 2. — EWYCKIÆ, species Korthls, in *Verh. nat. Gesch. bot*, 254. tab. 67.

1. RECTOMITRA GALEATA Blum., *l. c.* — *Ewyckia galeata* Korthls, *l. c.*

2. RECTOMITRA TUBERCULATA Blum., *l. c.* — *Ewyckia tuberculata* Korthls, *l. c.*

Nullam differentiam essentialem inter *Rectomitram* et *Ewyc-*

kiam reperimus quas idcirco merito consociatas a Korthalsio credimus.

CLVII. *KIBESSIA*.

KIBESSIA DC., *Prod*, III, 196. — Blume in *Flora*, 1831, p. 524. — Deless., *Icones*, V, 2. — Endlicher, *Gen. plant.*, n° 6265.

1. KIBESSIA AZUREA Blum., *Mus. bot. Lugd. Bat.*, p. 8. — DC., *l. c.*
2. KIBESSIA SUBALATA Blum., *l. c.*, p. 8.
3. KIBESSIA CORDATA Korthals in *Verh. nat. Gesch. bot.*, 253, tab. 66. — Blum., *Mus bot. Lugd. Bat.*, p. 8.
4. KIBESSIA SIMPLEX Korthals, *l. c.* — Blum., *l. c.*
5. KIBESSIA SESSILIS Blum., *Mus. bot. Lugd. Bat.*, p. 8.
6. KIBESSIA ANGUSTIFOLIA Blum., *l. c.*, p. 9.
7. KIBESSIA CUPULARIS Dne., in Deless. *Icon. select.*, V, p. 2, tab. 5.

SUBORDO IV. — MEMECYLEÆ.

Memecyleæ a Melastomeis quam Astronieæ Kibessieæque remotiores cum illis tamen haud ambiguam affinitatem retinent, mediantibus præsertim speciebus folia 3-nervia aut 5-nervia exhibentibus. Inter priores Mouririearumque subordinem intermediæ videntur quanquam a posterioribus maxime discedant fabrica staminum ovario 1-loculari fructusque et embryonis compage.

Conspectus generum :

Spathandra.
Memecylon.
Liindenia.

CLVIII. *SPATHANDRA*.

SPATHANDRA Guillem. et Perrot., *Flor. Seneg.*, I, 313, tab. 71. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6268.

Flos 4-merus. Calyx late turbinatus, limbo brevissime et obtusissime 4-lobo aut potius subintegro. Petala late ovata acuta. Stamina 8 æqualia, in flore aperto exserta ; antheris brevibus secu-

riformibus reflexis rima antica duplici dehiscentibus ; connectivo basi postica in calcar conicum acutum subtus canaliculatum producto ; filamentis gracilibus. Ovarium calycis tubo adhærens 1-loculare ; stylo gracili exserto, stigmate punctiformi. Ovula ut plurimum 8 reniformia, placentæ centrali columniformi affixa. Fructus baccatus sæpius 2-spermus. Semina (secundum Perrottetium) hemisphærica aut fortassis, si unicum adest, subglobosa ; embryonis cotyledonibus carnosis.

Arbor senegambiensis, 6-10-*metralis macrophylla micrantha*, *trunco femur humanum crassitudine æquante aut superante ; ramis dense foliosis ; foliis oppositis, rarius ad basim ramorum alternis, breviter petiolatis subcoriaceis ovatis ovatove-ellipticis acuminatis basi rotundatis integerrimis 3-nerviis glabris ; inflorescentia magna terminali cymoso-corymbosa floribunda ; floribus ad apices ramulorum extremorum umbellatis graciliter pedicellatis ; petalis ut videtur cæruleis.*

Spathandra, si ad characteres floris solum respiciatur, nihil aliud est ac Memecylon ; uti génus proprium hanc tamen servavimus propter habitum et inflorescentiam quæ a Memecylorum inflorescentia axillari discrepat.

1. SPATHANDRA CÆRULEA Guill. et Perr., *l. c.*, tab. 71. — Jos. Hook. et Benth. *Flor. nigrit.*, 356.

Folia sesquidecimetrum circiter longa, 8-9 centim. lata ; petiolo crasso 3-5-millimetrali ; nervis tribus robustis ad apicem limbi convergentibus, lateralibus paulo infra apicem evanidis, nervulis transversis conspicuis et a nervo medio divergentibus. Baccæ maturæ globosæ, crassitudine pisi. — In Senegambia, secus ripas fluminis Casamanciæ ; Perrottet, Heudelot ; et in aliis locis Africæ æquatorialis.

Species ut videtur excludendæ propter inflorescentiam axillarem :

S. memecyloides Benth., *l. c.*, 357. — MEMECYLON VOGELII.

S. fascicularis Planch. in *Herb. Hook.* — Benth., *l. c.*, 357. — MEMECYLON FASCICULARE.

CLIX. *MEMECYLON*.

MEMECYLON, Linn., *Gen.*, n° 481. — Roxburgh, *Plant. Corom.*, tab. 81. — DC., *Prod.*, III, p. 5. — VALIKAHA Adans., *Fam.*, II, 84. — SPATHANDRÆ species Benth. in *Flora. nigrit.*, 357. — SCUTULA Lour., *Flora Coch.*, I, 290. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6269.

Flos 4-merus. Calyx late campanulatus vel hemisphæricus, limbo nunc integerrimo nunc obtuse et breviter 4-lobo. Petala late ovata aut etiam suborbicularia nonnunquam in apiculum producta. Stamina 8 æqualia, antheris brevibus securiformibus rima antica duplici dehiscentibus, connectivo postice in calcar seu cornu conicum subtus excavatum producto. Ovarium omnino adhærens 1-loculare, stylo magis minusve exserto, stigmate punctiformi. Ovula 6-12 reniformia, placentæ centrali affixa. Fructus baccatus globosus, sæpe 1-spermus (siccine semper?).

Frutices arboresve mediocris altitudinis, ab Africæ ora tropica occidentali, capite Bonæ spei, Madagascaria et insulis Mascarenis ad Indiam, Chinam australiorem insulasque vicinas recurrentes, glaberrimi micranthi; caulibus ramisque mature induratis: foliis coriaceis breviter petiolatis vel omnino sessilibus integerrimis penninerviis aut nervulorum transversorum copia in parenchymate folii evanida 1-nerviis, rarius Melastomearum more 3-5-nerviis; inflorescentia axillari aut in nodis ramorum annotinorum laterali, e paniculis ut plurimum contractis cymosis subumbellatis aut etiam subcapitatis constante, haud raro etiam abbreviatione pedunculi communis fasciculum florum mentiente, floribus pedicellatis, sæpe (nonne potius semper?) cæruleis aut cærulescentibus, baccis maturis crassitudinem pisi raro superantibus.

Ut supra dictum est artificialiter Spathandra a Memecylo dissociata est; vix dubitandum est quin melius esset si ambo genera in unum coadunarentur. Memecyli species plurimas inter se nimis affines, donec illarum specimina nova integriora suppetant, e descriptionibus distinguere difficile erit.

a. *Species africanæ, madagascarienses, sechellanæ et mascarenæ.*

1. MEMECYLON HEUDELOTII †.

M. fruticosum ; ramis supremis teretibus; foliis coriaceis breviter petiolatis ovatis acuminatis subobtusis basi rotundatis, pagina utraque nitidulis, præter nervulos transversales longitudinaliter 3-5-nerviis; floribus in axillis foliorum et supra nodos ramorum glomeratis breviter pedicellatis; petalis cæruleis caducis.

Frutex aut arbuscula 2-3-metralis, sæpe humilior, ramis rectis rigidis teretibus. Folia coriacea, utraque pagina sublucida, nervis primariis 5 aut etiam, sed rarius, 7 ad apicem convergentibus donata, in acumen breve obtusum producta, 7-8 centim. circiter longa, 4-6 lata, petiolo ut plurimum semicentimetrali. Inflorescentiæ e cymis brevibus subsessilibus densifloris hemisphæricis constantes, in axillis foliorum aut supra nodos ramorum foliis jam nudatorum ortæ, 10-30-floræ. Calyces campanulati, limbo manifeste 4-lobo. Petala obovata, vix 2 millim. longa, cærulea, caduca. Stamina 8 alternatim parumper dissimilia ; quatuor petalis oppositorum filamentis rectis, quatuor alternantium filamentis sub anthera ipsa geniculatis, omnium antheris brevibus securiformibus, calcare sursum recurvo. Ovarium 6-ovulatum. Stylus gracillimus exsertus, stigmate acuto. — In variis locis Senegambiæ maritimæ, secus rivulos; Heudelot.

2. MEMECYLON MELASTOMOIDES †.

M. ramis supremis acute quadrangulis aut potius breviter quadrialatis; foliis subcoriaceis lanceolato-ellipticis apice breviter acuminatis basi acutis et in petiolum brevem confluentibus 3-nerviis ; cymis pedunculatis paucifloris supra nodos ramorum annotinorum ortis.

Arbuscula? Rami supremi dichotomi, annotini ad nodos tumidos quasi articulati, quadrialati aut saltem acute quadranguli. Folia omnino ut in Melastomeis plurimis 3-nervia, Rousseauxiæ aut Huberiæ folia facie referentia, in herbario nonnihil lutescentia, 7-8 centim. longa, 3-4 lata, nervulis transversis inter nervos primarios convergentes conspicuis, petiolo 3-4-millimetrali. Inflorescentiæ vestigia in specimine nostro suppetebant, non adeo tamen manca ut adjuvante analogia hujus dispositionem agnoscere nobis difficile fuerit. Calyces campanulati, brevissime 4-dentati. Stamina 8 æqualia, antheris securiformibus, loculis brevibus,

calcare postico maximo acuto, filamentis rectis. Ovarium 8-spermum Stylus gracilis exsertus, stigmate punctiformi. —In insula Madagascaria aut fortassis Mauritio ; Du Petit-Thouars.

3. MEMECYLON GRANDIFOLIUM †.

M. subarboreum macrophyllum ; ramis teretibus ; foliis sessilibus coriaceis oblongo-ellipticis apice rotundatis subuninerviis ; florum glomerulis e nodis ramorum annotinorum orientibus confertifloris.

Frutex seu arbuscula 5-6-metralis, inter congeneres magnitudine foliorum insignis. Rami annotini floriferi calamum scriptorium crassitudine æquantes aut etiam superantes, nodosi, cortice cinerescente vestiti, sæpe excoriati. Folia maxima, 2 decim. et quod excedit longa, 7-8 centim. lata, omnino sessilia, nervo medio subtus prominente, nervulis transversis subobsoletis. Glomeruli e florum numero variabili constantes, haud raro ferme centiflori, floribus omnibus breviuscule pedicellatis. Alabastra acuta, sub anthesi semine cannabino paulo tenuiora, calycibus breviter campanulatis, limbo obtuse 4-lobo. Petala ovato-acuta, 4 millim. longa ? Antherarum calcar posticum productum acutum sursum erectum. Ovarium 10-15 ovulatum. Fructus ut videtur baccæ sunt edules. — In insula *Nossi-Bé*, prope Madagascariam ; Pervillé.

4. MEMECYLON DOLICHOPHYLLUM †.

M. arboreum? macrophyllum aut potius dolichophyllum ; ramis teretibus; foliis brevissime petiolatis coriaceis lanceolato-oblongis apice in acumen gradatim attenuatis basi rotundatis pagina superiore nitidulis.

Species conspicua nobis nisi specimine valde manco non cognita. Rami hornotini penna anatina paulo crassiores. Folia 1 ½-2 decim. et quod excedit longa, 4-6 centim. lata, nervo medio crasso subtus prominente, nervulis transversis subevanidis. Inflorescentia deficiebat. — In insulis Mascarenis aut Madagascaria? Du Petit-Thouars.

5. MEMECYLON CORDATUM Desr. in Lamk. *Dict.* IV, p. 89. — DC., *l. c.*, p. 6. — Lamk. *Illustr.*, tab. 284, fig. 2.

M. fruticosum submacrophyllum ; ramis teretibus; foliis sessilibus aut vix non sessilibus late ovatis apice subacutis aut obtu-

sissimis basi cordatis et quasi amplexicaulibus ; paniculis paucifloris subumbellatis in axilla foliorum sæpius solitariis.

Species primo intuitu distinctissima, quamvis foliorum magnitudine et forma variet. Rami supremi foliosi subgraciles, penna anatina vix crassiores. Folia ovata, nunc fere in acumen obtusum producta, nunc fere suborbicularia, basi distincte cordata, nec omnino sessilia si quidem petiolus adest circiter millimetralis, secundum specimina (quæ tunc fortasse varietates constituunt) 4-10 centim. longa, 4-6 et quod excedit lata, nervis transversis a medio divergentibus utraque pagina conspicuis. Paniculæ foliis breviores, in axillis foliorum aut rarius in nodis ramorum jam foliis denudatorum solitariæ aut etiam ternæ; floribus pro genere majusculis, pedicellatis. Calyx late turbinatus, limbo integro. Petala ovata subacuta carnosula fere 3 millim. longa et lata. Antheræ securiformes, calcare acuto, filamentis sub anthera geniculatis. Baccæ submaturæ globosæ, crassitudine pisi. — In insula Borbonica ubi dicitur *Bois de maïs;* Commerson. Alia specimina quoque habemus ex herbario Thouarsiano recepta, quæ in insula Mauritiana aut fortassis Madagascaria lecta suspicamur.

6. MEMECYLON THOUARSIANUM †.

M. fruticosum aut arboreum submacrophyllum ; ramis teretibus, annotinis nodosis ; foliis brevissime petiolatis aut subsessilibus coriaceis elliptico-ovatis ovatove-oblongis apice rotundatis subretusisque basi vix perspicue cordatis margine nonnihil revolutis subuninerviis ; florum fasciculis depauperatis ? brevibus axillaribus aut supra nodos ramorum jam foliis denudatorum ortis.

Species nobis non satis cognita, *M. strumoso* et *M. roboreo* fortasse affinis, ab illis facie foliorum vix satis distincta. Rami annotini rigidi, crassitie calamum scriptorium æmulantes, nodosi. Folia 7-9 centim. longa, 4-5 lata, nitidula, coriacea, nervulis transversis subevanidis, petiolo crasso millimetrum vix excedente. Specimen nostrum floribus carebat sed fructus paucos immaturos hemisphæricos supra cicatrices foliorum delapsorum retinebat. — In insula Madagascaria aut Mascarenis, loco ignoto ; Du Petit-Thouars.

7. MEMECYLON STRUMOSUM †.

M. fruticosum aut fortassis arboreum submacrophyllum ; ramis teretibus, annotinis nodosis floriferis ? ; foliis breviter petiolatis

coriaceis obovatis oblongove-obovatis, apice rotundatis aut saltem obtusis, basi gradatim attenuata acutis subacutisve, margine revolutis, fere 1-nerviis.

Specimen nostrum floribus omnino cassum cum *Memecylo roboreo* in sylloge Musæi parisiensis commistum erat, ita ut in mente aliquid dubii supersit utrum chirographus collectoris staturam arboris florumque colorem statuens huic an illi pertineat. In hac specie folia sunt quam in altera oblongiora, basi gradatim attenuata unde fere acuta fiunt, apice apiculata aut rotundata nequaquam autem retusa, decimetrum totum longitudine, 4-5 centim. latitudine explentia, nervulis transversis non omnino evanidis, petiolo 3-6-centimetrali. Si ex habitu peculiari speciminis nostri judicare liceret, fruticem ramis repentibus donatum hanc speciem esse arbitraremur. — In insula Madagascaria; Chapelier.

8. MEMECYLON ROBOREUM †.

M. arboreum; ramis supremis teretibus nodosis rigidis; foliis coriaceis breviter petiolatis late ellipticis apice rotundatis aut subretusis, nonnunquam fere orbicularibus, margine ut plurimum revolutis, 1-nerviis; floribus supra nodos ramorum annotinorum fasciculatis, violaceis.

Arbor mediæ altitudinis (10-12-metralis?) nobis frustulo floribus et fere foliis spoliato necnon chirographo collectoris tantum cognita. Truncus robustus, ligno denso durissimo. Folia coriacea rigida lucida ovata aut late elliptica, basi fere rotundata, apice obtusissimo retusa aut integra, 6-7 centim. longa, 4-5 lata, petiolo semicentimetrum vix excedente, nervulis transversis obsoletis. Flores ad nodos ramorum annotinorum glomerati. Petala acuta aut acuminata violacea. Staminum filamenta brevia applanata; antheræ trigonæ. Cætera nobis omnino ignota. — In insula Madagascaria; Chapelier.

9. MEMECYLON PRUNIFOLIUM †.

M. ramis supremis quadrangulis aut brevissime 4-alatis, vetustioribus magis ac magis rotundatis nudatis nodosisque; foliis petiolatis ovato-ellipticis apice obtusis vel aliquando retusis basi subacutis aut rarius subrotundatis; fasciculis fructiferis supra cicatrices ramorum annotinorum lateralibus.

Utrum frutex sit an arbor non compertum est. Rami foliosi fructiferique pennam anatinam crassitudine subæquantes, quadranguli, ad nodos

tumidi. Folia foliis *Pruni domesticæ* aut *Pruni Padi* forma et magnitudine fere similia sed obtusiora, 7-8 centim. longa, 3-4 lata, quam in aliis speciebus minus coriacea, nervulis transversis utraque pagina manifestis, petiolo 3-5-millimetrali. Flores in speciminibus nostris non suppetebant. Fructus submaturi globosi, crassitudine pisi. Differtne hæc species a *M. angulato* DC. ? — In insula Madagascaria aut Mascarenis ? ; Du Petit-Thouars ; in Mauritio, Commerson.

10. Memecylon lutescens †.

M. micranthum ; ramis supremis obscure tetrahedris mox teretibus, annotinis nodosis, omnibus floriferis ; foliis subcoriaceis oblongo-obovatis apice obtusis aut rotundatis inferne gradatim attenuatis et in petiolum mutatis 1-nerviis ; cymis brevibus aggregatis ut plurimum 3-floris.

Species fruticosa (aut fortassis arborea), ut videtur *Memecylo sphærocarpo* DC. affinis. Rami supremi nonnihil sunt tetrahedri, non autem angulati, vetustiores teretes et ad nodos tumidi, pennam anatinam aut rarius anserinam crassitudine æquantes. Folia in speciminibus exsiccatis nonnihil lutescentia, ferme 5 centim. longa et 2 lata, petiolo in limbum gradatim confluente, nervulis transversis omnino obsoletis. Florum fasciculi ut plurimum e nodis ramorum foliis jam nudatorum orti, rarius ex axillis ipsis foliorum, parvi, oliganthi, cymarum pedunculis communibus brevissimis, florum pedicellis propriis gracilibus circiter 3-millimetralibus. Petala late ovata, millimetrum vix excedentia. — In insulis Mascarenis aut Madagascaria, loco ignoto ; Du Petit-Thouars.

11. Memecylon myricoides †.

M. fruticosum aut arboreum oliganthum ; ramis supremis obscure tetrahedris mox teretibus dense foliosis ; foliis oblongis angustis apice obtusis inferne gradatim attenuatis et quasi in petiolum brevem mutatis 1-nerviis ; cymis axillaribus brevibus ut videtur solitariis 3-floris.

Species habitu peculiari maxime conspicua, Myricam nostram fere referens. Rami vetustiores foliis nudati nodosi, haud raro fructiferi. Folia coriacea, in herbario fragilia, pagina superiore nitida et quasi vernicosa (nonne in frutice vivo viscidula ?), 6-8 centim. longa, 1 et quod excedit lata, petiolo distincto 1-4-millimetrali. Flores nullos vidimus sed cymæ 3-carpæ nondum maturæ aderant, pedunculo fere centimetrali gauden-

tes. — Ut videtur planta e Madagascaria aut insulis Mascarenis oriunda est ; hanc ex herbario Thouarsiano tenemus.

12. Memecylon myrtiforme †.

M. fruticosum ; ramis gracilibus teretibus, hornotinis foliosis ut plurimum ananthis, annotinis ad nodos floriferis ; foliis ellipticis ellipticove-ovatis apice obtusis basi in petiolum attenuatis 1-nerviis ; floribus pedicellatis solitariis-ternis.

Frutex ut videtur sesqui-bimetralis, ramosus, fortassis fastigiatus ; ramis supremis pennam passerinam crassitudine paulo superantibus, vetustioribus crassioribus nodosis floriferis. Folia 4-5 centim. longa, 1 ½ - 3 lata, apice ut plurimum obtusa aut subobtusa, nonnunquam et emarginata, basi acuta in petiolum 3-4-millimetrale confluente, nervulis transversis subobsoletis. Florum pedunculi e nodis ramorum foliis denudatorum ut plurimum orti, sæpissime solitarii, uni-triflori, 7-10 millim. longi. Calyces hemisphærici, limbo integerrimo. Petala late ovata apiculata, circiter 3 millim. longa et lata. Fructus globosi, crassitudine pisi minoris. — In insula Mauritio aut Madagascaria, loco incerto ; du Petit-Thouars ; necnon in sabulosis aridis loci dicti *Ambongo*, Pervillé.

13. Memecylon dumosum †.

M. fruticosum submicrophyllum ramosissimum ; ramis supremis subtetragonis ; foliis breviter petiolatis coriaceis rigidis ovatis apice subobtusis basi rotundatis vix uninerviis.

Frutex circiter metralis, ramosissimus ; ramis divaricatis, supremis seu hornotinis brevissime 4-alatis aut potius 4-gonis, annotinis teretibus duris. Folia ovata coriacea nitidula, 2-3 centim. longa, 1 ½-lata, nervo medio subobsoleto, petiolo circiter 2-millimetrali. Inflorescentia in speciminibus nostris omnino deficiebat, sed ex toto habitu judicantes plantam hujus generis esse pro certo habemus. — In insula *Nossi-Bé* Madagascariæ vicina, secus oras maris ; Pervillé.

14. Memecylon ulopterum DC., *l. c.*, 5.

M. fruticosum ramosissimum microphyllum oliganthum ; ramis ut plurimum dichotomis, supremis gracilibus 4-pteris ; foliis brevissime petiolatis late ovatis interdumque suborbicularibus

basi acutiusculis apice obtusis subuninerviis; floribus in axillis foliorum solitariis, pedicello gracili in medio articulato.

Species ut videtur fruticosa, fortasse dumiformis, rigidula. Rami supremi 4-alati; alis crispato-undulatis, demum marcidulis nigris et a ligno per particulas secedentibus; rami vetustiores nudati teretes. Folia petiolo vix millimetrali aut semimillimetrali instructa, coriacea, nitida, centimetrum circiter longa, vix non tantum lata, in herbario nigrescentia. Flores ut videtur paucissimi solitari axillares, calyce campanulato, limbo 4-lobo intus foveolis 8 antheras in præfloratione inflexas recludentibus insculpto. Petala nec genitalia suppetebant. — In insula Madagascaria, loco nobis ignoto; Chapelier.

15. Memecylon ligustrinum †.

M, fruticosum?; ramis supremis obsure 4-hedris mox teretibus; foliis ovatis ovatove-ellipticis apice obtusis basi acutis et in petiolum breve attenuatis 1-nerviis; cymis brevibus pauci-multifloris ex axillis foliorum nodisque ramorum annotinorum ortis, floribus brevissime pedicellatis.

Species ut videtur fruticosa, primo intuitu *M. ramifloro* similis, attentius autem considerata ab asiatica specie plurimis notis diversa. Rami hornotini graciles sed parum producti, ut et veteriores floriferi, obscure tetrahedri aut subteretes. Folia ut plurimum 3 centim. longa, 1-1 ½ lata, apice obtusa vel etiam subretusa, petiolo 1-3-millimetrali. Cymæ petiolis duplo triplove breviores, sæpe geminatæ, fortassis et numerosiores in eadem axilla, tri-pluriflloræ, pedunculo minuto vix 3-millimetrali suffultæ, florum pedicellis propriis pedunculo communi æqualibus. Calyces late turbinati aut cupuliformes, obscure et obtusissime 4-lobi. Petala subrotunda apiculata, 2 millim. longa et lata. Cætera ut in reliquis. — In insula Mauritio, loco nec collectore cognitis.

16. Memecylon rhamnoideum †.

M. fruticosum?; ramis supremis subteretibus aut obscure angulosis, annotinis nodosis, omnibus floriferis; foliis breviter petiolatis late ovatis ellipticove-subrotundatis basi tamen acutiusculis et in petiolum confluentibus 1-nerviis; cymis brevibus pauci-multifloris; floribus brevissime pedicellatis.

Species nobis maxime incerta, deficiebant enim in herbario nostro specimina completa et manuscriptæ adnotationes collectoris. Affinis

videtur *M. ligustrino*, imo fortassis illius mera varietas est ramis contractioribus foliisque latioribus distincta. Folia, ut in permultis Memecylis, diversiformia, ut plurimum late ovata, apice obtusa aut etiam retusa, 3-4 centim. longa, 2-3 lata, petiolo 2-4-millimetrali. Cymæ trimultifloræ, in axillis foliorum aut supra nodos ramulorum jam foliis denudatorum solitariæ-binæ, fortassis et ternæ, pedunculo communi 2-4-millimetrali, pedicellis florum propriis pedunculo ipso brevioribus. Calyces late turbinati aut hemisphærici, limbo integerrimo. Petala late ovata apiculata, 2 millim. circiter longa et lata. — In insula Mauritio; Commerson.

17. MEMECYLON PERVILLÆANUM †.

M. fruticosum oliganthum; ramis teretibus; foliis oblongo-ellipticis apice obtusis basi in petiolum parumper decurrentibus fere 1-nerviis; cymis axillaribus solitariis 3-floris.

Frutex aut arbuscula 2-3-metralis, foliosus; ramis supremis hornotinis subgracilibus. Folia 5-7 centim. longa, 2½-3 lata, petiolis fere centimetralibus, nervo medio subtus prominente, nervulis transversis fere omnino evanidis aut nullis. Cymæ in axillis foliorum solitariæ, 3-floræ, pedunculo brevi suffultæ, pedicellis florum propriis gracilibus ferme centimetrum longis. Petala nec genitalia suppetebant. — In saxosis insulæ *Mahé* Sechellarum; Pervillé.

b. *Species asiaticæ aut ex insulis Asiæ vicinis oriundæ.*

18. MEMECYLON PANICULATUM W. Jack, in Hook. *Comp. to Bot. mag.*, 1, 219.

M. fruticosum macrophyllum megastachyum; ramis teretibus; foliis brevissime petiolatis elliptico-oblongis oblongove-ovatis acuminatis basi rotundatis; paniculis ex axilla foliorum orientibus aut in nodis ramorum foliis caducis nudatorum lateralibus, sæpius ternis, opposite ramosis, axi ramisque 4-gonis; floribus ad apices ramorum ramulorumque capitato-umbellatis, graciliter pedicellatis.

Species nobilis et a Jackio belle descripta. Frutex est multimetralis aut fortassis arbuscula a Memecylonis omnibus nobis cognitis, præter *M. Cummingii*, magnitudine panicularum discrepans. Folia sesquidecimetrum aut etiam amplius longa, 5-7 centim. lata, supra lucida, ner-

vulis transversis facile perspicuis, petiolo fere semicentimetrum longo. Paniculæ solitariæ-ternæ, in axillis foliorum inferiorum orientes illisque mature superstites, tertiam partem folii, rarius dimidiam, longitudine æquantes, pedunculo communi longiore aut breviore ramisque oppositis quadrangulis. Flores in apicibus ramorum ramulorumve secundarii ordinis capitato-umbellati, pedicello gracili circiter 4-millimetrali suffulti. Calyces breviter campanulati, limbo obsolete 4-lobo. Petala ovato-acuta, vix 2 millim. longa, cærulea. Stamina non vidimus. Ovarium ex ipso Jackio 8-ovulatum. — In insulis sundaicis; specimen nostrum ut videtur in insula *Java* a Zollingerio lectum est.

19. MEMECYLON CUMMINGII †.

M. macrophyllum micranthum pro genere megastachyum; ramis teretibus; foliis sessilibus ovato-oblongis, in acumen gradatim attenuatis, basi cordata amplexantibus; paniculis axillaribus pedunculatis; floribus ad apices ramorum capitato-umbellatis, pedicello proprio gracili suffultis.

Species nobis non satis cognita propter imparitatem speciminis nostri, sed inter congeneres inflorescentia peculiari insignis et eo respectu *M. paniculato* quodammodo affinis. Folia sesquidecimetrum et quod excedit longa, 5 centim. lata, nervulis transversis haud omnino inconspicuis. Paniculæ in axillis foliorum solitariæ nec raro etiam binæ et ternæ, folium medium longitudine subæquantes, pedunculis communibus subteretibus 3-6-centimetralibus suffultæ, ramos quatuor, prætermisso ipso inflorescentiæ axi, per paria superpositos et oppositos in articulatione quavis proferentes, ramis apice pariter in ramulos breves divisis aut capitulo confertifloro umbellam nonnihil ludente terminatis. Florum pedicelli proprii graciles, 3-4-millimetrales. Calyces cupuliformes, limbo integerrimo. Petala ovato-acuta, sesquimillimetrum longa. Reliqua ut in aliis speciebus. — In insula Luzonia, prope *Manille;* Cumming.

20. MEMECYLON UMBELLATUM Blum., *Bijdr. Ned. Ind.*, 1094, ex Zolling. et Moritz. *Syst. Verzeich. der von Zoll.*, etc., p. 9.— Species ut videtur diversa a *Scutella umbellata* Lour.

M. arboreum?; ramis supremis teretibus gracilibus foliosis floriferisque; foliis petiolatis lanceolato-ellipticis acuminatis basi acutis aut subacutis 1-nerviis; florum umbellis pedunculatis ex

axilla foliorum aut e nodis ramorum ortis; floribus graciliter et breviuscule pedicellatis.

Species ut videtur ab omnibus hujus generis facile distinguenda, nobis vero incomplete cognita. Rami supremi graciles, millimetrum diametro vix excedentes. Folia late lanceolata aut lanceolato-elliptica, in acumen subangustum subobtusumque producta, 5-6 centim. longa, 2 et quod excedit lata, petiolo circiter semicentimetrali. Paniculæ axillares, foliis sæpe superstites, omnino umbelliformes aut potius corymbiformes, pedunculo ferme 2-centrimetrali suffultæ, in ramulos breves umbellatim divisæ, floribus ad apices ramulorum umbellulatis. Alabastra subglobosa vix apiculata nec, ut in aliis speciebus, acuta. Calyces late campanulati, breviter 4-dentati. Petala trapezoideo-obovata apiculata, fere 5 millim. longa et lata. Ovarium 6-8-ovulatum. — In insula Java; Zollinger.

21. Memecylon clausiflorum †.

M. ramis teretibus; foliis petiolatis elliptico-ovatis aut latissime lanceolatis breviter acuminatis basi subacutis et cum petiolo confluentibus haud inconspicue penninerviis; cymis axillaribus pedunculatis solitariis-ternis; floribus longe graciliterque pedicellatis, corolla clausa, stylo exserto.

Rami foliosi floriferique subgraciles, raro ut videtur pennam anserinam crassitudine æmulantes. Folia nunc ovatiora nunc magis lanceolata, in acumen acutiusculum breve producta, basi etiam angustata, in herbario lutescentia, 6-9 centim. longa, 3-4 et quod excedit lata, petiolis circiter centimetralibus, nervulis transversis non omnino in parenchymate subcoriaceo evanidis. Cymæ ex axillis foliorum ortæ (fortassis etiam foliis delapsis superstites), haud raro in eadem axilla binæ, pedunculo breviore aut longiore suffultæ ideoque magnitudine variabiles, petiolum modo longitudine vix superantes, modo folium dimidium æquantes, apice subumbellatim floriferæ. Flores pedicello proprio gracili fere centimetrali instructi. Calyces hemisphærici, limbo integerrimo. Corolla etiam in anthesi clausa, calyptram brevem apiculatam obtusamve stylo exserto quasi perforatam mentiens, demum ut videtur effecta anthesi aperta et tunc decidua. Stamina stylusque ut in aliis.—In insula Luzonia prope *Manille*, Cumming.

22. Memecylon Griffithianum †.

M. subarboreum?; ramis supremis subtetragonis aut 4-marginatis, vetustioribus teretibus; foliis petiolatis lanceolatis acu-

minatis basi acutis obscure penninerviis; paniculis axillaribus cymoso-umbellatis, floribus pedicello proprio brevi instructis.

Species nobis non satis nota sed, ut videtur ex incompletis speciminibus herbarii Musæi Parisiensis, ab omnibus hucusque descriptis distinctissima. Rami extremi, id est hornotini, marginibus quatuor a nodo ad nodum decurrentibus instructi et idcirco quadranguli, vetustiores cortice gilvo obtecti, magis ac magis teretes. Folia subcoriacea, apice in acumen longiusculum angustum subacutumque producta, basi acuta et cum petiolo gradatim confluentia, 7-10 centim. longa, 2-4 lata, nervulis transversis parum conspicuis, petiolis centimetro paulo brevioribus. Flores in speciminibus nostris non suppetebant. Paniculæ fructiferæ axillares, nonnullæ foliis delapsis superstites, foliorum tertiam, rarius dimidiam partem longitudine æquantes, pedunculo communi circiter sesquicentimetrali tetrahedro suffultæ, ramis tri-multifloris subumbellillorisque. Baccæ submaturæ globosæ crassitie pisi majoris, limbo calycino brevi coronatæ. — In India orientali, loco non indicato; Griffith.

23. Memecylon prasinum †. — Fortassis eadem species ac *M. ovatum* Hohenack., *Plant. Ind. or. ined.*

M. ramis teretibus, annotinis nodosis floriferis; foliis petiolatis ovatis breviter et obtuse acuminatis basi rotundatis pagina superiore nitentibus; cymis supra cicatrices foliis delapsis succedentes superposite aggregatis multifloris; floribus pedicello breviusculo instructis.

Frutex aut potius arbuscula ramis nodosis duris et floribundis conspicua. Folia pro genere longiuscule petiolata, coriacea, rigidula, 7-9 centim. longa, 3-4 lata, pagina superiore nitida et in herbario e viridi colore nigricantia, petiolo distinctissimo circiter sesquicentimetrali, nervulis transversis haud inconspicuis. Flores e nodis ramorum annotinorum et ut videtur etiam vetustiorum orti, in cymas pedunculatas pauci-multifloras dispositi. Cymæ in utroque latere ejusdem nodi ternæ-senæ, sibi invicem superpositæ perinde ac si deficeret pedunculus communis illas omnes in unicam inflorescentiam coadunans, centimetrum sesquicentimetrumve longæ. Florum pedicelli proprii 3-4-millimetrales. Calyces campanulati, limbo membranaceo vix non integerrimo. Petala ovata apiculata. — In insula Luzonia, prope *Manille*, Cumming.

24. Memecylon Calleryanum †.

M. subarboreum ramosissimum floribundum ramis teretibus

nodosis ; foliis petiolatis coriaceis rigidis ovatis aut late ellipticis, breviter et obtuse acuminatis, ima basi subacuta in petiolum quasi decurrentibus 1-nerviis ; cymis brevibus tri-multifloris, in axillis foliorum nodisve ramorum lateralibus, solitariis-ternis, subnutantibus ; floribus pedicello brevi instructis.

Arbuscula 4-6-metralis aut elatior. Rami teretes, duri, nodosi, cortice cinereo obtecti. Folia in herbario lutescentia, pagina superiore nitida, coriacea, magnitudine variabilia, id est 4-7 centim. longa, 2-3 lata, 1-nervia, petiolis 5-8-millimetralibus. Cymæ seu umbellulæ nonnunquam in paniculas breves productæ, tri-multifloræ, pedunculo circiter centimetrali suffultæ, haud raro nutantes, in axillis foliorum sæpissime geminatæ, foliis delapsis superstites et tunc in ramis denudatis laterales. Calyces hemisphærici, limbo inconspicue 4-denticulato. Petala ovata apiculata, ferme 3 millim longa. Ovarium 10-12-ovulatum. — In insula Luzonia, prope *Manille* et *Pangasinan* aliisque locis ; Callery.

25. MEMECYLON MANILLANUM †.

M. macrophyllum ; ramis teretibus ; foliis sessilibus oblongo-ovatis acutis basi rotundatis aux vix subcordatis obscure penninerviis ; cymis axillaribus aut supra nodos ramorum lateralibus brevibus paucifloris ; floribus pro genere majusculis, pedicello crasso suffultis.

Species conspicua, primo intuitu *M. laurifolio* affinis, ab illo autem certe distincta. Folia sessilia nec ut in altero petiolata et ovatiora, 8-12 centim. longa, 4-5 lata, nervulis transversis subobsoletis. Cymæ axillares 3-9-floræ, sæpius 7-floræ saltem in speciminibus nostris, pedunculo communi crasso brevissimo suffultæ, florum pedicellis propriis pariter crassis brevibus et in medio articulatis. Flores quam in plerisque Memecyloni speciebus paulo majores, id est alabastra sub anthesi semen cannabinum crassitudine paulo excedentia. Calyx cupuliformis brevis, limbo integerrimo. Petala carnosula, latiora quam longiora, trapezoideo-rotundata, 4-5 millim. diametro metientia. Stamina 8 brevia, in flore aperto subinclusa, antheris securiformibus, filamentis crassiusculis. Ovarium sæpius 8-ovulatum, stylo brevi, stigmate punctiformi. — In insula Luzonia, prope *Manille*, Cumming.

26. Memecylon laurifolium †. — *M. tinctorium* Zolling. et Moritz. *Syst. Verzeich.*, 9, nº 1950.

M. arboreum ? submacrophyllum ; ramis teretibus ; foliis breviter petiolatis ovato-ellipticis oblongisve acutis aut apiculatis nonnunquam et obtusis aut etiam retusis basi rotundatis 1-nerviis ; cymis axillaribus brevibus sæpius trichotomis ; floribus pro genere majusculis, pedicello proprio suffultis.

Species ut pleræque hujus generis polymorpha. Rami foliosi quam in plurimis aliis speciebus productiores et lentiores, pennam anatinam aut rarius anserinam crassitudine æquantes. Folia subcoriacea plana, decimetrum sesquidecimetrumve longa, 4-5 centim. aut etiam paulo amplius lata, in quibusdam speciminibus multo minora, petiolo circiter semicentimetrali, nervulis transversis fere omnino obsoletis. Glomeruli in axillis foliorum orti, e cymis trichotomis pluribus constantes, breves, subhemisphærici. Flores pro genere majusculi aut saltem non omnium minimi, pedicellis ut plurimum crassis brevibus suffulti. Calyces hemisphærici, limbo obsolete 4-lobo. Petala ovata, fere 2 millim. longa et lata. Baccæ piso paulo crassiores. — In insula *Java* ; Leschenault, Zollinger.

27. Memecylon pyrifolium †.

M. fruticosum (fortassis arboreum) ; ramis teretibus ; foliis petiolatis ovatis nonnihil acuminatis subobtusis basi rotundatis aut in petiolum confluentibus obscure penninerviis pagina superiore nitentibus ; paniculis cymosis brevibus axillaribus solitariis aut superposite geminatis.

Pauca de hac specie nobis dicenda sunt, deficiunt enim flores in herbario nostro, nec est qui nos moneat chirographus collectoris. Folia foliis *Pyri domesticæ* forma, magnitudine et nitore fere simillima, illis autem magis coriacea et rigidiora, circiter 7-9 centim. longa, 4-5 lata, petiolo centimetrali, nervulis transversis non omnino obsoletis. Panicularum pedunculi communes 5-8 millim. longi aut etiam fere centimetrales, pro genere crassi, sulcati. Fructus globosi, crassitudine pisi. — In montibus Indiæ dictis *Kottar-Gherris* ; Perrottet.

28. Memecylon amplexicaule Roxbrg. *Flor. Ind.*, II, 261. — *Herb. Wight propr.*, nº 1061. — Walp. *Repert.*, II, 148. — *Nedum-Schetti* Rheed, *Hort. Malab.*, tab. 15. — *M. grande* DC.

Prod. III, 6. — *M. cordatum* Wall., *Cat.*, 4100. — *M. depressum* Benth. in Wall., *Cat.*, 4101.

M. subarboreum macrophyllum; ramis teretibus; foliis sessilibus ovato-oblongis gradatim acuminatis basi cordatis amplexantibus, nervo medio subtus prominente, nervulis transversis subobsoletis; fasciculis multifloris densiflorisque ex axilla foliorum orientibus.

Rami foliosi floriferique pennam anserinam crassitudine æmulantes, nunc etiam graciliores aut paulo crassiores. Folia margine parumper revoluta, utraque pagina sublucida, 1-2 decim. longa aut etiam majora, 4-6 centim. lata, petiolo ut ita dicamus nullo. Florum fasciculi ex axillis foliorum oppositorum orti, foliis fortasse superstites et tunc in nodis ramorum supra cicatriculas foliorum delapsorum insidentes, multiflori, pedunculis propriis fere destituti, florum pedicellis propriis 5-6-millimetralibus. Calyces late campanulati aut turbinati, limbo obsolete 4-lobo. Petala ovato-orbicularia. Stamina parum exserta. Species ut pleræque hujus generis variabilis videtur.—In India orientali, loco haud indicato, Wight; prope *Valliar* aliisque locis oræ orientalis peninsulæ indicæ, Perrottet.

29. Memecylon edule Roxbrg., *Plant. Corom.*, I, tab. 82.

M. fruticosum floribundum; ramis teretibus; foliis petiolatis ovatis ellipticisve apice obtusis basi subacutis 1-nerviis; paniculis multifloris densiflorisque brevibus supra nodos ramorum annotinorum lateralibus, superposite geminatis aut ternatis, rarius solitariis; floribus pedicello proprio brevi instructis.

Frutex sesqui-bimetralis, abundantia florum decorus, *Memecylo ramifloro* toto habitu affinis sed inflorescentia multo productiore dignoscendus. Rami supremi foliosi graciles, annotini floriferi foliisque spoliati penna anserina ut plurimum tenuiores. Folia in herbario obscure lutescentia, magnitudine et forma variabilia, sæpius ovata aut elliptica, rarius orbicularia, 4-5 centim. et quod excedit longa, 1 $\frac{1}{2}$-3 lata, petiolo 2-5-millimetrali, nervulis transversis obsoletis aut saltem vix perspicuis. Paniculæ ut plurimum 2 decim. longæ, florum ubertate capitula fere efficientes, pedunculo communi crassiusculo subcomplanato 5-10-millimetrali suffultæ, ramulis 3 aut sæpius 5 complanatis ex eodem puncto sive summo pedunculo ortis iterumque divisis constantes. Florum pedicelli proprii 2-3-millimetrales. Alabastra subsphærica, obtusa. Calyces late campa-

nulati, limbo integro aut obsolete 4-sinuato. Petala ovata obtusa fere 2 millim. longa et lata. Fructus maturi circiter crassitudine pisi, edules. — In ora orientali peninsulæ indicæ dicta *Coromandel* ubi frequens videtur ; Leschenault, Perrottet. Specimina alia habemus e Zeylania ; Leschenault.

30. MEMECYLON TINCTORIUM Kœn. — Wight et Arntt. *Prod. Flor. pen. Ind. or.*, I, 319.

M. fruticosum aut subarboreum micranthum ; ramis teretibus ; foliis breviter petiolatis late ellipticis obovatis ovatisve apice obtusis interdumque retusis subuninerviis; cymis brevibus supra nodos ramorum annotinorum lateralibus ; floribus graciliter breviterque pedicellatis.

Memecyli tinctorii auctorum quæ sit forma genuina nos pauciora mancioraque specimina explanare non sinunt, sed plurimas species sub eodem nomine commistas fuisse facile crederemus. Pro typo specifico varietatem α quæ in herbario Wightiano sub numero 1058 inscribitur sumendam proponimus, exclusa donec melius innotescat varietate β quæ fortassis ad aliam speciem referenda est. Sic circumscriptæ speciei paucos characteres e specimine nostro admodum incompleto indigitabimus, quos quidem maxime impares fatemur. Folia in herbario magis minusve lutescentia, 3-5 centim. longa, 2-3 lata, parum coriacea, nervis transversis subobsoletis aut evanidis, petiolo 2-3-millimetrali. Cymæ seu potius paniculæ abbreviatæ e nodis ramorum annotinorum foliisque jamdiu denudatorum ortæ, centimetrum sesquicentimetrumve longæ, pauci-multifloræ ; pedunculo communi tetrahedro crassiusculo 3-5-millimetrali. Florum pedicelli proprii graciles, pedunculum communem longitudine subæquantes. Calyces campanulati, limbo subintegerrimo. Alabastra ovoidea apiculata. Ovarium 6-8-loculare.— In peninsula Indiæ orientalis ; ex herbario Wightii.

Var. β, ut supra dictum est, a priore habitu discedit ; foliis distinguitur oblongo-ovatis haud raro subacutis floribusque in cymas capitatas axillares aggregatis. Non caret affinitate cum *M. ramifforo* et *M. eduli*, quamvis inflorescentiam gerat quam prioris productiorem, quam posterioris autem breviorem et contractiorem. Lucis in his disquisitionibus efficiendæ curam posteris relinquimus.

31. MEMECYLON CAPITELLATUM Linn. *Spec.*, 497. — Lamk. *Illustr.*, tab. 284. — DC., *l. c.*

M. ramis teretibus subgracilibus; foliis breviter petiolatis late ovatis apice in acumen acutiusculum obtusumve productis

basi acutis 1-nerviis; floribus ad apices pedunculorum axillarium brevium capitatis, pedicello proprio fere destitutis.

Specimen unum et alterum et ne completum quidem nobis tantum suppetit, deficit pariter chirographus auctoris staturam et habitum plantæ statuens quam fruticem suspicamur. Nobis tamen haud ægre distinguenda videtur propter inflorescentiæ characterem. Folia late ovata aut, si mavis, late lanceolata siquidem utraque parte in aciem attenuantur, 5-6 centim. longa, 3 et quod excedit lata, petiolo 3-6-millimetrali, nervulis transversis obsoletis. Florum capituli in axillis foliorum sæpissime bini, haud raro etiam solitarii aut terni, pedunculis simplicibus petiolo æqualibus aut etiam subbrevioribus raro longioribus suffulti, 5-10-flori, foliis delapsis facile superstites. Flores congesti subsessiles. Calyces hemisphærici, limbo breviter et obtuse 4-lobo. Petala latiora quam longiora subrotundata, ut videtur e siccis speciminibus, cærulea. Stylus gracilis exsertus. Ovarium 6-8-ovulatum. — In insula Zeylania; Leschenault.

32. Memecylon ramiflorum Desr., in Lamk. *Dict.* IV, p. 88. — DC., *l. c.*, 6. — Ut videtur eadem planta ac *Cornus sylvestris Korakaha* Burm., *Thez. Zeyl.*, tab. 31.

M. fruticosum floribundum; ramis teretibus; foliis coriaceis late ellipticis obovatisve apice obtusis basi gradatim attenuata subacutis nonnunquam et rotundatis 1-nerviis; capitulis confertifloris uberrimis ramos annotinos quasi vestientibus; antheris styloque exsertis.

Folia in herbario sæpe lutescentia, circiter 4-centim. longa, 2-2 ½ aut etiam 3 lata, petiolo 2-4-centimetrali, nervulis transversis indistinctis. Flores ut plurimum e ramis annotinis nudis orientes, pauci etiam ex axillis foliorum enati, in paniculas breves, circiter centimetrales, pedunculo brevi communi instructas, multifloras et capitula mentientes digesti, pedicellis propriis gracilibus 2-4-millimetralibus suffulti. Calyces late campanulati, limbo obsolete 4-lobo. Antherarum calcar posticum loculos ipsos longitudine æmulans, ut loculi ipsi sursum recurvum, ita ut anthera tota semilunaris evadat. Ovarium 12-14-ovulatum. — In insula Zeylania, Leschenault; India orientali, secus Gangem, Gaudichaud, Wallich; prope *Mangalor*, ex herb. Hohenacker, multisque aliis locis ejusdem regionis.

Specimina alia habemus e diversis botanicis necnon ex herbario Wightiano foliis mollioribus et majoribus floribusque in capitula densiora contractis insignia, quasi intermedia forent inter *M. ramiflorum*, *M. tinctorium* et *M. capitellatum*. Utrum distinctæ sint species an unius speciei formæ diversæ nobis adhucdum incertum videtur.

33. MEMECYLON LILACINUM Zolling. et Moritz., *Syst. Verzeich. der auf Jav.*, p. 9.

M. arboreum; foliis petiolatis elliptico-ovatis breviter et obtuse acuminatis ima basi angustata quasi acutis et in petiolum confluentibus 1-nerviis; florum glomerulis densis hemisphæricis supra nodos ramorum annotinorum applicatis; floribus graciliter pedicellatis; staminibus styloque exsertis.

Species *Memecyli ramiflori* habitum referens, foliis majoribus tamen ab illo distinctum. Rami annotini floriferi teretes nodosi, penna anatina vix crassiores; hornotini vel potius supremi haud obscure tetragoni. Folia subcoriacea 1-nervia, 5-6 centim. longa, 3 lata; petiolo decimetrum longitudine subæquante, nonnunquam et dimidio breviore. Fasciculi 20-50-flori, supra nodos ramorum sessiles, id est, pedunculo communi non suffulti. Florum pedicelli proprii graciles, circiter 5-millimetrales; calyces campanulati, limbo manifeste 4-dentato. Petala ovato-acuminata, ut antheræ ipsæ et stylus lilacina. Ovarium 6-8-ovulatum. — In sylvis Javæ, prope *Tjikoya;* Zollinger.

Species addendæ nobis ignotæ, quarum quædam incertæ sunt et fortassis sub aliis nominibus descriptæ :

34. M. TRINERVE DC., *l. c.*, 5.

35. M. ANGULATUM DC., *l. c.*

36. M. SUBQUADRANGULARE DC., *l. c.*, 6.

37. M. SPHÆROCARPUM DC., *l. c.* — Nonne eadem species ac *M. tinctorium*?

38. M. LAXIFLORUM DC., *l. c.*

39. M EXCELSUM DC., *l.c.*

40. M. OVATUM DC., *l.c.*—Smith in Rees., *Cyclop.* XXIII, n° 3.

41. M. ACUMINATUM Smith, *l. c.* — DC., *l. c.*

42. M. FERREUM Blum., *Bijdr.* 1095. — DC., *l. c.*, 7.

43. M. HEYNEANUM Benth., in Wall., *cat.*, 4012. — Wight, *Icon. plant.*, I, tab. 278.

44. M. CÆRULEUM Will. Jack., in Hook. *Bot. misc.*, II, 75.

45. M. ANGUSTIFOLIUM Wight, *Illust. of Ind. bot.*, 215.

46. M. JAMBOSIOIDES Wight, *l. c.*

47. M. NIGRESCENS Hook. et Arntt., *Bot. Belch., voy.* 186.

48. M. CAPENSE Eckl. et Zeyh., *Enum. plant. afr.*, n° 1772.

49. M.? SCUTELLATUM. — *Scutula scutellata* Lour., *Flor. coch.*, I, 290. — DC., *l. c.*

50. M.? LURERII. — Scutula umbellata Lour., *l. c.* — DC., *l. c.* — Species non confundenda cum *Memecylo umbellato* Blum.

51. M. PUNCTATUM Presl., *Botan. Bemerk.*, p. 67. — Walp., *Ann. bot. syst.*, 303.

Hic etiam addendas credimus species sequentes :

52. M. VOGELII. — *Spathandra memecyloides* Benth., *Flor. nigrit.*, 356.

53. M. FASCICULARE. — *Spathandra fascicularis* Benth., *l. c.* — Planch., in *Herb. Hook.*

CLX. *LIINDENIA.*

LIINDENIA Zoll. et Moritzi, *Syst. Verzeichn. der von Zoll.*, 10. — Walp., *Ann. bot. Syst.*, 303,

Genus nobis ignotum, fortassis a Memecylo non separandum.

1. LIINDENIA DIOICA Zoll. et Mor., *l. c.*

SUBORDO V. — MOURIRIEÆ.

Mouririearum subordo nondum satis notus est, sed quantum e paucis speciebus nobis observatis judicare licet vix in Melastomaceis includitur, nulli tamen ordini aptius quam huic congruit. Hujus genera sunt sequentia, scilicet :

Guildingia.
Mouriria.

CLXI. *GUILDINGIA.*

GUILDINGIA Hooker, *Bot. misc.*, I, 122, tab. 30. — OLISBEA DC., *Prod.*, III, 31, ex auctoritate Arnottii. — Endlich., *Gen. plant.*, n° 6271.

1. GUILDINGIA PSIDIOIDES Hook., *l. c.*

CLXII. *MOURIRIA.*

MOURIRIA Juss., *Gen.*, 329. — Lamk., *Ill.*, tab. 360. — DC., *Prod.*, III, 7. — MOURIRI, Aubl., *Guyane*, , I, p. 452, tab. 180. — PETALOMA Swartz, *Prod.*, 73. — *Flor. Ind. occ.*, II, p. 831, tab. 14. — Endlicher, *Gen. plant.*, n° 6270.

Flores 5-meri, rarius 4-meri. Calyces turbinati aut campanu-

lati, limbo sæpius dentato, rarius subintegro. Petala ovata obovatave acuta, rarius lanceolata. Stamina petalorum numero dupla æqualia; antheris oblongis apice obtusis, rima duplici laterali paulo infra apicem apertis; connectivo postica basi in calcar obtusum aut acutum magis minusve producto. Ovarium in fundo calycis immersum, omnino adhærens, 2-5-loculare, pauciovulatum. Stylus gracilis, stigmate punctiformi. Fructus baccatus drupaceus, calycis limbo coronatus, ut videtur sæpius 2-4-spermus.

Frutices aut potius arbusculæ in utraque America tropica et Antillis crescentes, glaberrimæ; foliis breviter petiolatis et subsessilibus magis minusve coriaceis ovatis aut ellipticis acutis integerrimis penninerviis, sæpe etiam folia uninervia ludentibus, lævibus aut subtilissime punctulatis; floribus in axillis foliorum hornotinorum aut supra nodos ramorum annotinorum fasciculatis, pedicellatis, parvis aut magnitudine mediocribus, roseis luteis fortassisque etiam albis.

Erravisse Benthamium credimus cum ovarium *Mouririæ parvifoliæ* uniloculare esse affirmavit. Quamvis hæc species nobis non innotescat, vix dubitamus quin illius ovarium biloculare sit ut in pluribus aliis ejusque dissepimenta cum ovulis 6 aut 8 in unam molem congesta et scalpello e cavitate sublata auctorem celeberrimum fefellerint.

a. *Flores 5-meri.*

1. Mouriria princeps †.

M. arborea? macrophylla pro genere macrantha; ramis teretibus; foliis brevissime petiolatis elliptico-oblongis breviter et abrupte acuminatis, basi nonnihil cordatis penninerviis; floribus axillaribus solitariis-paucis; calycibus campanulatis, limbo 5-lobo.

Arbor arbusculave egregia, affinitate haud carens cum *Guildingia psidioide* et *Mouriria domingensi*, a cæteris speciebus hujus generis propter magnitudinem foliorum remotior sed eumdem modum dehiscentiæ antherarum ostendens. Folia vix coriacea, utrinque nitidula, omnino penninervia, 1 ½-2 decim. longa, 6-8 centim. lata, petiolo distincto ferme semicentimetrali. Inflorescentia nobis non satis cognita est, hac parte enim

truncum erat specimen nostrum. Calycis lobi membranacei ovati acuti, in flore aperto reflexi et fere revoluti. Petala obovato-acuta, circiter centimetrum longa. Antheræ exsiccatæ omnino coriaceæ, quasi osseæ, erectæ, connectivo postica basi obtuse tuberculato nec calcarato. Ovarium 4-loculare (fortassis et 3-5-loculare). Baccæ non suppetebant. — In Guyana batavica, prope *Surinam;* Hostmann.

2. Mouriria guyanensis Aubl. *Guyane*, I, 453, tab. 180.— DC., *l. c.*, p. 7.

M. arborea; foliis breviter petiolatis ovatis acuminatis basi nonnunquam cordatis et tunc quasi amplexicaulibus pagina utraque nitidulis, nervis transversis conspicuis; floribus in axillis foliorum fasciculatis; calycibus campanulatis, limbo 5-dentato.

Arbor-10-12-metralis (si Aubletio credatur), trunco corpus humanum crassitudine æquante aut etiam excedente, quoad staturam et aspectum ut videtur variabilis. Folia coriacea rigidula lævia, pagina superiore præsertim nitidula, nervis transversis facile conspicuis nec obsoletis insignia, in herbario magis minusve nigrescentia, 5-7 centim. longa, 3-4 lata, petiolis 2-5-millimetralibus. Occurrunt specimina quorum folia omnino sunt cordiformia, aut etiam latiora quam longiora, basi cordata et fere sessilia, nec adeo infrequenter eas omnes varietates in eodem specimine reperire est. Cymæ tri-multifloræ. Florum pedicelli ferme centimetrales aut paulo longiores. Calyces campanulati aut turbinati, dentibus triangulari-acutis. Petala ovata acuta, circiter 5 millim. longa, luteola. Ovarium 3-4-loculare, rarius 2-loculare. Bacca matura (ex Aubletio) lutea, punctis rubris irrorata, drupam *Cerasi capronianæ* DC. crassitudine æmulans, semina 3 vel 4 includens.

3. Mouriria acutiflora. — *M. guyanensis* Miq., *Herb. Hohenack.*

M. arborea?; ramis supremis lævigatis; foliis petiolatis oblongo-ellipticis acuminatis basi subobtusis rigidulis impunctatis fere uninerviis; floribus in axillis foliorum fasciculatis; calycibus campanulatis, limbo acute 5-dentato.

Species absque dubio *M. guyanensi* proxima, ab illa tamen certe dissocianda, quamvis utriusque differentias exprimere arduum sit. *M. acutifloræ* folia multo oblongiora sunt quam *M. guyanensis*, quippe quæ 7-10 decimetra longitudine metiantur dum latitudine 3 vix excedant,

nec minus compage et facie discrepant, nam eorum nervi transversi fere omnino evanescunt. Florum fasciculi axillares tri-multiflori; pedicellis propriis gracilibus, calyce paulo longioribus; alabastris ut videtur cernuis. Petala ante floris explicationem convoluta, columnam subulatam e calyce exsertam fingentia, in anthesi ovato-acuminata acutissima, 7 millim. circiter longa, ex specimine sicco lutea. Antheræ breviusculæ obtusæ, connectivi calcare postico acuto. Ovarium 2-loculare, 6-8-ovulatum. — In Guyana batavica; Hostmann.

Var. β *amblyodon*; foliis quam in præcedente majoribus; calycis dentibus obtusissimis. — Folia decimetralia, 5 centim. circiter lata, petiolo semicentimetrali, nervis transversis haud omnino conspicuis. Calycis dentes obtusi, post anthesim inflexi. Reliquæ partes floris ut in var. α. — In Guyana gallica, prope *Cayenne*; Leprieur.

4. Mouriria vernicosa †.

M. subarborea aut fruticosa pro genere submacrophylla di-trichotome ramosa; ramis hornotinis floriferis; foliis breviter petiolatis ovatis acuminatis rigidulis pagina superiore quasi vernicosa nitidis; floribus in axillis foliorum aut supra nodos ramorum foliis jam denudatorum fasciculatis; calycibus late turbinatis, limbo subintegerrimo.

Quæ sit hujus elegantissimæ speciei statura nobis non compertum est, sed ex analogia arbusculam suspicamur. Folia ovata, basi rotundata, apice in acumen breve producta, in herbario nigerrima, 8-10 centim. longa, 4 et quod excedit lata, nervis secundariis haud inconspicuis, pagina superiore nitida, inferiore subtiliter punctulata, petiolis 4-8-millimetralibus. Cymæ florales sæpius in eadem axilla ternæ, tri-multifloræ, pedicellis florum propriis longitudine variis, ut plurimum 5-8-millimetralibus. Calyces late turbinati, limbo quasi truncato aut denticulis 5 vix conspicuis instructo. Petala ovato-acuta, 5-6 millim. longa. Antheræ oblongæ, calcare postico brevi subacuto. Ovarium 2-loculare, fortassis et aliquando 3-loculare. Cætera ignota. — In Guyana gallica, prope urbem *Cayenne*; Martin.

5. Mouriria brevipes Gardn., in Hook. *Journ. of bot.*, II, 26. — Walp., *Repert.*, II, 149. — Tom. XII, tab. x, fig. 5.

M. foliis subsessilibus late ovatis apice acuminatis basi rotundatis

1-nerviis subcoriaceis; floribus in axillis foliorum fasciculatis; calycibus subturbinatis, limbo acute 5-dentato.

Arbuscula?. Rami ut plurimum dichotomi teretes; supremi pari uno et altero foliorum instructi, floriferi. Folia 6-7 centim. longa, 4-5 lata, nervis transversis omnino obsoletis uninervia, pagina inferiore subtilissime punctulata, in herbario colorem obscure nigrum induentia. Flores in axillis foliorum aggregati, pauci, bracteolis 4 brevibus sessilibus late ovatis acutis quasi calyculati, pedicello calycem longitudine subæquante, in medio articulato bracteolisque duabus minutis instructo. Calyx turbinato-campanulatus 5-dentatus, dentibus acutis. Petala ovato-lanceolata acuta, 7 millim. circiter longa. Antheræ lineares suberectæ, connectivi calcare postico brevi aut fere subnullo. Ovarium 2-loculare, 8-spermum. — In Guyana anglica; Schomburgk.

6. Mouriria Weddellii †.

M. fruticosa ut plurimum dichotome ramosa oligophylla polyantha; foliis subsessilibus rigidulis ovatis breviter acuminatis uninerviis impunctatis; floribus ad nodos ramorum annotinorum fasciculatis; calycibus campanulatis, limbo 5-dentato.

Frutex aut arbuscula 2-3-metralis, ramis teretibus, cortice cinereo tectis, sæpius dichotomis; ramulis ultimis foliorum par unum rarius paria duo ad apicem gerentibus, ananthis. Folia ovata, basi rotundata, apice acuta aut breviter acuminata, plana, 4-5 centim. longa, 2-3 lata, nervis secundariis inconspicuis, petiolis vix bimillimetralibus. Florum fasciculi supra nodos ramorum vetustiorum insidentes polyanthi, pedunculis 1-3-floris, ferme centimetrum longis. Calyx late campanulatus, dentibus 5 triangulari-acutis. Petala ovato-acuminata, margine subcrispula, basi in unguiculum brevem quasi coarctata, 5 millim. longa, rosea. Antherarum calcar posticum productum. Ovarium 4-5-loculare. — In provincia Brasiliæ centralis dicta *Sertao d'Amaroleité*; Weddell.

b. *Flores 4-meri.*

7. Mouriria abnormis †.

M. subarborea? pro genere submacrophylla oligantha; ramis hornotinis floriferis; foliis petiolatis coriaceis ellipticis aut rarius ovatis breviter acuminatis 1-nerviis; cymis ut plurimum trifloris, in utraque axilla foliorum oppositorum solitariis; caly-

cybus depressis fere hypocrateriformibus limbo breviter 5-denticulato.

Species in genere insignis propter numerum partium floris quaternarium, nobis autem non satis cognita, deficiebant enim in herbario parisiensi notæ chirographæ staturam plantæ, colorem florum fructusque crassitudinem et compagem monentes. Ex analogia frutex magnus aut arbuscula nobis visa est. Folia omnino uninervia, sub lente subtiliter punctulata, 7-10 centim. et quod excedit longa, 4-5 lata, in quibusdam speciminibus etiam minora, exsiccatione fuscescentia, petiolis ferme semicentimetrum longis. Cymæ axillares trifloræ (aut abortu florum lateralium 1-floræ), solitariæ, pedunculo semi-sesquicentimetrum longo suffultæ, pedicellis propriis pedunculum communem longitudine paulo excedentibus aut saltem æquantibus. Calyx pateriformis depressus, denticulis 4 minutis distantibus instructus. Petala 4 exserta ovata acuta, 5-6 millm. longa. Stamina non vidimus. Ovarium 2-loculare. — In Guyana gallica; Martin, Perrottet.

Species addendæ, partim ex imparibus descriptionibus auctorum non agnoscendæ :

8. M. MYRTILLOIDES Poir., *Dict.* XXXIII, 163. — *Petaloma myrtilloides* Swartz, *Flor. Ind. occ.*, II, 833, tab. 14. — Sloane, *Hist.*, II, 78, tab. 87, ex auctoritate Candollæi. — DC., *l. c.*, 7.

9. M. CAULIFLORA DC., *l. c.*, 7.

10. M. GRANDIFLORA DC., *l. c.*, 8.

11. M. MEXICANA DC., *l. c.*, 8. Fortassis eadem est ac *M. guyanensis*.

12. M. POLYANTHA Miq., *Linnæa* XVIII, 290. — Walp. *Annal. Bot. syst.*, 303.

13. M. PARVIFOLIA Benth., *Bot. of Belch.*, 97, tab. 36. — Walp., *Repert.*, V, 725.

14. M. DOMINGENSIS Walp., *Repert.*, II, 149. — *Petaloma domingensis* Tussac, *Flor. des Ant.*, III, 119. Nonne melius pro typo generis alius sumenda est hæc species?

15. M. PUSA Gardn., in Hook. *Journ. of bot.*, II, 23, tab. 1. — Walp., *Repert.*, II, 149.

16. M. ARBOREA Gardn., *Herb. flor. bras.*, 5704. — Hook., *Icon. plant.*, tab. 515. — Walp., *Repert.*, II, 149.

EXPLICATIO ICONUM.

TOM. XV. TABULA 3.

PYRAMIA SALVIÆFOLIA.

A. Ramus foliosus et floriferus. — *a*. Calyx integer. — *b*. Petalum pilis glanduliferis ciliatum. — *c*. Stamina duo antherarum filamentorumque structuram exhibentia. — *d*. Ovarium antica parte calycis nudatum. — *e*. Ejusdem sectio transversalis.

TOM. XV. TABULA 4.

I. DISSOCHÆTA SPOLIATA.

a. Flos integer apertus. — *b*. Calyx longitudinaliter sectus ad monstrandum septa quæ ovarium tubo calycino connectunt. — *c*. Stamina duo e quatuor æqualibus; unum a facie antica, alterum a latere visum. — *d*. Ovarii sectio transversalis. — *e*. Semina.

II. DISSOCHÆTA CYANOCARPA.

a. Calyx integer. — *b*. Petalum. — *cc*. Stamina duo e quatuor majoribus. — *d*. Unum e quatuor minoribus. — *e*. Ovarii sectio transversalis.

III. DISSOCHÆTA DECIPIENS.

a. Ramulus inflorescentiæ extremus triflorus, calycis petalorumque formam demonstrans. — *bb*. Stamina — *c*. Ovarium longitudinaliter sectum. — *d*. Ejusdem transversa sectio.

IV. DISSOCHÆTA PALLIDA.

a. Calyx absque reliquis partibus floris. — *b*. Petalum. — *c*. Stamen unum e majoribus. — *d*. Alterum e minoribus. — *e*. Calycis et ovarii adnati sectio longitudinalis. — *f*. Ovarium transversim resectum ut appareant loculi octo antheras in præfloratione includentes.

V. OMPHALOPUS FALLAX.

a. Flos integer sub anthesi. — *b*. Petalum concavum caducum. — *c*. Flos in anthesi delapsis petalis staminum dispositionem ostendens. — *d*. Stamina duo seorsum visa et aucta.— *e*. Sectio ovarii longitudinalis. — *f*. Eud: sectio transversalis.

VI. DRIESSENIA AXANTHA.

a. Calyx integer natura multo major, quadricostatus et denticulos exteriores tuberculiformes dentium interiorum dorso insidentes demonstrans. — *b*. Petalum. — *c*. Stamina duo e majoribus, unum antica facie, alterum a latere consideratum.— *d*. Duo e minoribus.— *e*. Ovarii maxima parte adhærentis sectio longitudinalis apicem 4-lobum simul demonstrans. — *f*. Capsula calyce artificialiter nudata, apice umbilicata et quadrimarginata. — *g*. Semina.

Tom. XV. Tabula 12.

I. Marumia muscosa.

a. Calyx integer. — *b*. Petalum. — *cc*. Stamina duo e majoribus; unum a latere, alterum ab antica facie visum. — *d*. Stamen unum e quatuor minoribus. — *e*. Ovarium longitudinaliter sectum. — *f*. Idem transversim sectum.

II. Bredia hirsuta.

a. Flos integer. — *b*. Calyx seorsim visus. — *c*. Petalum. — *d*, *e*. Stamina inæqualia. — *f*. Ovarii adhæsio cum calyce ejusque apex membranula 4-loba coronatus. — *g*. Ovarii sectio transversalis.

III. Medinilla rosea.

a. Flos integer. — *bb*. Stamina duo e majoribus antheram basi triappendiculatam monstrantia. — *cc*. duo e minoribus. — *d*. Ovarium cum calyce maxima parte adhærens longitudinaliter sectum. — *e*. Ejusdem sectio transversalis. — *f*. Semina.

IV. Medinilla Javanensis.

a. Calyx seorsim visus. — *bb*. Petala duo quorum unum ex alabastro desumptum nondum explicatum est. — *cc*. Stamina subæqualia conformia, connectivum sub antheris tricalcaratum ostendentia. — *d*. Ovarii sectio longitudinalis ejus adhæsionem cum calyce ostendens. — *e*. Ejusdem sectio transversa. — *f*. Semina.

Tom. XV. Tabula 13.

I. Medinilla rubicunda.

a. Calyx integer. — *b*. Petalum. — *c*. Calyx longitudinaliter truncatus ad ostendendum ovarii cum ipso adhæsionem. — *d*. Stamina subæqualia et inter se conformia, antheras basi obtuse trilobas ostendentia. — *e*. Ovarii sectio transversalis.

II. Medinilla loranthoides.

a. Plantæ fragmentum folia, cicatrices ramorum foliis nudatorum inflorescentiamque exhibens. — *b*. Calyx seorsum visus. — *c*. Petalum. — *dd*. Stamina subæqualia aut omnino æqualia et inter se conformia, antice calcaribus duobus adscendentibus, postice unico deorsum vergente donata. — *e*. Ovarii cum calyce adhæsio. — *f*. Ejusdem sectio transversalis.

III. Diplogenea viscoidea.

a. Calyx integer in alabastro. — *b*. Idem post anthesim, in limbo reflexo et discum nectareum ostendens ovarii omnino anhærentis apicem obtegentem — *cc*. Petala duo; unum minus, alterum magis explicatum.

Tom. XV. Tabula 14.

Erpetina radicans.

a. Plantæ fragmentum folia, radices adventitias florumque dispositionem exhi-

bens. — *b*. Calyx integer. — *c*. Idem longitudinaliter sectus ad monstrandum ovarii cum ipso adhæsionem. — *d*. Petalum. — *ee*. Stamina æqualia rimis longitudinalibus dehiscentia, antice sub loculis obtuse biloba, postice calcare acuto donata. — *f*. Ovarium quadriloculare transversim sectum. — *g*. Semina.

TOM. XV. TABULA 15.

I. POGONANTHERA REFLEXA.

a. Calyx integer. — *b*. Petalum. — *c*, *d*. Stamina æqualia, appendiculas dorsales antheræ ostendentia; unum e flore explicato desumptum et erectum, alterum ex alabastro et inflexum. — *e*. Ovarii sectio longitudinalis. — *f*. Sectio transversalis.

II. APLECTRUM MYRTIFORME.

a. Calyx integer. — *b*. Petalum. — *cc*. Stamina duo e majoribus. — *d*. Unum e minoribus. — *e*. Ovarii cum calyce adhæsio. — *f*. Ejusdem sectio transversalis loculorum numerum locellosque antheras in præfloratione includentes ostendens.

III. OCHTHOCHARIS PANICULATA.

a. Calyx seorsum visus. — *b*. Petalum. — *cc*. Stamina subæqualia, calcare postico brevi, in quatuor majoribus sursum recurvo, donata. — *d*. Ovarium cum calyce fere usque ad apicem adhærens. — *e*. Ejusdem sectio transversa. — *f*. Semina.

IV. HOMOCENTRIA VAGANS.

a. Calyx integer. — *b*. Petalum. — *cc*. Stamina duo e majoribus. — *d*. Unum e minoribus. — *e*. Ovarium longitudinaliter sectum. — *f*. Idem transversim divisum.

V. ALLOZYGIA CERNUA.

a. Calyx integer, tubum tetragonum ostendens. — *b*. Petalum. — *cc*. Stamina duo e majoribus. — *d*. Duo e minoribus, omnia antheris linearibus et exappendiculatis insignia. — *e*. Ovarii fabrica et cum calyce adhæsio. — *f*. Ejusdem sectio transversalis. — *g*. Semina.

VI. CARIONIA ELEGANS.

a. Calyx seorsum visus ad monstrandos dentes maxime productos et subtriquetros. — *b*. Petalum. — *cc*. Stamina subæqualia et inter se conformia. *d*. Ovarii sectio longitudinalis ad patefaciendam ejus adhæsionem cum calyce, mediantibus septis duodecim inter antheras in præfloratione inflexas interjectis. — *e*. Ejusdem sectio transversa loculos locellosque demonstrans.

VII. VEPRECELLA MACROPHYLLA.

a. Calyx seorsum visus. — *b*. Petalum. — *cc*. Stamina æqualia et conformia, calcare acuto donata. — *d*. Ovarium longitudinaliter sectum et membranam styli basim circumdantem ostendens. — *e*. Idem transversim divisum.

VIII. VEPRECELLA NIGRESCENS.

a. Calyx integer. — *b*. Petalum. — *c*. Stamina æqualia. — *d*. Ovarii sectio transversalis. — *e*. Ejusdem adhæsio cum calyce.

Tom. XVI. Tabula 18.

I. Salpinga parviflora.

a. Rami floriferi pars suprema inflorescentiam exhibens. — *b*. Calyx integer. — *c*. Petalum. — *dd*. Stamina duo; unum e majoribus, alterum e minoribus. — *e*. Calyx longitudinaliter dissectus ut patefiat capsulæ dispositio et forma. — *f*. Ovarium transversim sectum.

II. Sonerila brachyandra.

a. Planta integra magnitudine naturali. — *b*. Calyx integer. — *c*. Idem cum ovario longitudinaliter sectus. — *d*. Stamina. — *e*. Sectio ovarii transversa. — *f*. Semina.

III. Sonerila solanoides.

a. Flos integer 3-petalus 3-stemon. — *b*. Petalum a dorso visum ut appareant pili glanduliferi e nervo medio orientes. — *c*. Stamina antice et a latere visa. — *d*. Ovarii cum calyce adhæsio et fabrica. — *e*. Ejusdem sectio transversa.

IV. Sonerila heterostemon.

a. Flos integer tripetalus hexandrus. — *b*. Stamina duo e majoribus. — *c*. Unum e minoribus. — *d*. Ovarii adhæsio, stylus et stigma.

V. Triolena scorpioides.

a. Inflorescentia seu scapus aphyllus secundiflorus. — *b*. Calyx integer dentes interiores exterioresque ostendens. — *c*. Petalum. — *dd*. Stamina duo e majoribus. — *e*. Unum e minoribus. — *f*. Calyx dissectus ut manifesta fiat ovarii pars superior trigona.

Tom. XVI. Tabula 24.

I. Diolena hygrophila.

a. Calyx integer. — *bb*. Stamina duo e majoribus, scilicet unum ab antica parte, alterum a latere visum. — *c*. Stamen unum e minoribus. — *d*. Calyx longitudinaliter dimidiatus ad ostendendam ovarii fabricam. — *e*. Fructus nondum omnino accreti sectio transversa.

II. Eriocnema Hilariana.

a. Planta tota, magnitudine naturali delineata. — *b*. Calyx integer seorsum visus. — *c*. Petalum. — *d*. Stamina duo, unum e majoribus, alterum e minoribus. — *e*. Ovarii sectio longitudinalis. — *f*. Ejusdem sectio transversa.

III. Sphærogyne latifolia.

a. Calyx integer. — *b*. Petalum. — *c*, *d*. Stamina duo, unum e majoribus, alterum e minoribus. — *e*. Calyx ovariumque longitudinaliter dimidiata. — *f*. Ovarii sectio transversalis. — *g*. Stigma supra naturam delineatum, capitatum et fere 5-lobum.

Tom. XVI. Tabula 25.

I. Huberia ovalifolia.

a. Flos integer. — *b*. Calyx seorsum visus. — *c*. Stamina duo quorumunum a latere, alterum a facie visum est. — *d*. Calyx longitudinaliter dimidiatus ad ostendendum ovarium in fundo liberum. — *e*. Ovarii sectio transversalis. — *ff*. Semina alata aut margine cincta.

II. Chitonia albicans.

a. Calyx integer. — *b*. Stamina duo. — *c*. Calycis ovariique sectio longitudinalis. — *d*. Ovarium transversim dimidiatum. — *ee*. Semina.

III. Urodesmium huberioides.

a. Calyx. — *bb*. Stamina duo e majoribus. — *c*. Unum e minoribus. — *d*. Ovarii sectio longitudinalis. — *e*. Ejusdem sectio transversalis.

IV. Miconiastrum Lambertianum.

a. Flos integer. — *b*. Calyx jam fructiferus seorsum visus. — *c*. Stamen unum a latere visum et supra naturam delineatum. — *d*. Ovarium longitudinaliter dimidiatum. — *e*. Semina matura.

V. Sarcomeris coriacea.

a. Calyx integer seorsum visus. — *b*. Petalum. — *c*. Stamina duo. — *d*. Ovarii omnino adhærentis sectio longitudinalis. — *e*. Ejusdem sectio transversalis.

VI. Bucquetia glutinosa.

a. Flos integer ad naturam delineatus. — *b*. Stamina. — *c*. Calyx longitudinaliter dimidiatus ut appareat ovarium liberum et apice 4-lobum. — *d*. Semina.

VII. Svitramia pulchra.

a. Flos integer magnitudine naturali. — *b*. Calix seorsum visus. — *c*. Petalum seorsum delineatum. — *d*. Stamina duo, scilicet unum antice, alterum a latere visum. — *e*. Ovarium in tubo calycino liberum et apice setis coronatum. — *f*. Ejusdem sectio transversa. — *g*. Semina.

Tom. XVIII. Tabula 3.

I. Tococa Weddellii.

a. Flos integer. — *b*. Calyx seorsum visus. — *c*. Stamina duo a latere visa. — *d*. Calycis ovariique sectio longitudinalis. — *e*. Ovarii sectio transversalis. — *f*. Semina.

II. Microphysca quadrialata.

a. Calyx integer alis quatuor instructus. — *b*. Petalum. — *ccc*. Stamina. — *d*. Ovarii sectio longitudinalis. — *e*. Ejusdem sectio transversalis. — *f*. Semina.

III. Tococa macroptera.

a. Calyx integer alas tubi cum denticulis externis alternantes ostendens. — *b*. Petalum. — *c*. Stamen unum a latere visum. — *d*. Calyx et ovarium longitudinaliter dimidiata.

IV. Chalybea corymbifera.

a. Flos magnitudine naturali delineatus. — *b*. Calyx seorsum visus.— *c*. Petalum. — *dd*. Stamina. — *e*. Ovarium longitudinaliter dimidiatum. — *f*. Idem transversim resectum. — *gg*. Semina.

V. Conostegia subhirsuta.

a. Alabastrum calycis calyptrati sub anthesi circumcisionem incipientem ostendens. — *b*. Flos apertus. — *c*. Calycis tubus post circumcisionem limbi caduci. — *d*. Petalum. — *e*. Stamina duo, unum ab antica parte, alterum a latere visum. — *f*. Ovarium longitudinaliter dimidiatum. — *g*. Idem transversim resectum.

VI. Myriaspora decipiens.

a. Calyx et ovarium longitudinaliter secta ad ostendendum utriusque structuram, scilicet dentes calycinos, setarum copiam ovarii verticem umbilicatum coronantem stigmatisque subpeltati et 5-lobi fabricam. — *b*. Petalum. — *c*. Idem a dorso villoso. — *d*. Stamina duo, unum a latere, alterum ab antica parte visum — *e*. Ovarii sectio transversa loculos decem ostendens.

Tom. XVIII. Tabula 4.

I. Bellucia Aubletii.

a. Flos integer apertus, stylo exserto, staminibus inclusis. — *bb*. Stamina duo. — *c*. Ovarium longitudinaliter divisum ad monstrandum hujus fabricam et cum calyce adhæsionem. — *d*. Idem transversim resectum ut patefiat loculorum numerus. — *e*. Stigma sursum visum.

II. Staphidium octonum.

a. Flos integer apertus. — *b*. Calyx integer. — *cc*. Stamina. — *d*. Calyx longitudinaliter cum ovario divisum ut ostendatur processus lamellosus e toro staminum productus et ovarium superne tegens. — *e*. Ovarii sectio transversalis.

III. Staphidium biserratum.

a. Flos integer. — *b*. Stamen. — *c*. Ovarium cum calyce adnato longitudinaliter divisum. — *d*. Ejusdem sectio transversalis.

IV. Henriettea multiflora.

a. Calyx. — *b*. Petalum. — *cc*. Stamina. — *d*. Calyx cum ovario longitudinaliter dissectus. — *e*. Ovarii sectio transversa.

V. Clidemiastrum mexicanum.

a. Flos integer expansus. — *b*. Petalum. — *cc*. Stamina. — *d*. Ovarii sectio longitudinalis. — *e*. Ejusdem sectio transversalis.

Tom. XVIII. Tabula 5.

I. Platycentrum clidemioides.

a. Calyx integer. — *b*. Petalum. — *c*. Stamina duo, unum ab antica parte, alterum a latere visum, ut appareat appendix postica membranacea. — — *d*. Ovarium longitudinaliter et — *e* transversim sectum.

II. Meriania quintuplinervis.

a. Calyx integer. — *b*. Petalum. — *cc*. Stamina duo, unum a latere, alterum ab antica parte visum. — *d*. Ovarii divisio longitudinalis. — *e*. Ejusdem sectio transversalis.

III. Calyptraria eximia.

a. Flos integer sese mox explicaturus calycisque in calyptram conflati circumcisionem incipientem ostendens. — *b*. Petalum. — *c*. Stamen unum etiam in anthesi inflexum. — *d*. Ovarii calycisque truncati sectio longitudinalis. — *e*. Loculi ut plurimum septem ovarii patefacti.

IV. Graffenrieda ovalifolia.

a. Calyx integer. — *b*. Petalum. — *cc*. Stamina duo. — *d-e*. Ovarium longitudinaliter transversimque resectum.

Tom. XVIII. Tabula 6.

I. Blakea granatensis.

a. Flos nondum apertus bracteis quatuor sessilibus involucratus. — *b*. Calyx integer. — *c*. Petalum. — *d*. Stamina duo. — *e*. Calycis sectio longitudinalis ad ostendendam ovarii adhæsionem. — *f*. Ovarii sectio transversalis.

II. Topobea stephanotricha.

a. Calyx integer basi bracteolis quatuor squamiformibus involucratus aut calyculatus. — *b*. Petalum. — *c*. Stamina duo. — *d*. Calyx longitudinaliter apertus ovarii adhæsionem ejusque setas apicales ostendens. — *e*. Ovarium transversim resectum.

III. Pyxidanthus latifolius.

a. Floris alabastrum seu flos squamis duabus exterioribus coriaceis concavis sibique invicem applicatis inclusus. — *b*. Idem delapsis squamis exterioribus bracteis duabus interioribus mollioribus involutus. — *c*. Idem bracteis omnino nudatus. — *d*. Petalum in alabastro. — *e*. Stamina duo, unum a latere, alterum antice visum. — *f*. Ovarii sectio longitudinalis. — *g*. ejusdem transversalis.

IV. Creochiton superba.

a. Flos nondum explicatus bracteis duabus concavis carnosis inclusus. — *b*. Una e bracteis seorsum visa cavitatem anticam ostendens. — *c*. Alabastrum bracteis nudatum. — *d*. Petalum. — *ee*. Stamina duo. — *f*. Ovarii sectio longitudinalis. — *g*. ejusdem transversalis.

FINIS MELASTOMACEARUM MONOGRAPHICÆ DESCRIPTIONIS.

INDEX GENERUM ALPHABETICUS.

INDEX EXPLICATIONIS ICONUM.

ERRATA TYPOGRAPHICA ALIAQUE EMENDANDA.

Pagina 2ª, *linea* 29ª,..... quæ Musæi parisiensis penes sunt..., *lege:* quæ Musæi parisiensis herbarium penes sunt....

— 3ª, *lin.* 33ª, adjuvarunt, *lege :* adjuverunt.

— 7ª, *lin.* 4ª, Cacylis, *lege :* Calycis.

Ibid., *lin.* 25ª, fasciculatis-luteis, *lege :* fasciculatis, luteis.....

— 12ª, *lin.* 1ª, dup, *lege :* duplo.

— 53ª, *lin.* 34ª, nescio, *lege :* nescimus.

— *Ibid.*, *lin.* 36ª, Vicinia, *lege :* vicinia.

— 56ª, *lin.* 4ª, pulchellæ, *lege :* pulchellæ.

— 73ª, *lin.* 25ª, herbarii parisiensis penes, *lege :* herbarii parisiensis syllogem penes.

— 143ª, *lin.* 12ª, anoplanthum, *fortassis melius :* ahoplanthum.

— 154ª, *lin.* 21ª, deficienta, *lege :* deficiente.

— 178ª, *lin.* 10ª, dente, *lege :* dentes.

— 182ª; *lin.* 8ª et 9ª, H- lariano, *lege :* Hilariano.

— 193ª, *lin.* 1ª, Oxyrhinæ, *lege :* Oxyrrhinæ.

— *Ibid.*, *lin.* 7ª, breviter, *lege :* breviter ur- .

— 200ª, *lin.* 25ª, ramor, *lege :* ramorum.

— *Ibid.*, *lin.* 25ª, cory mboso-approximatis, *lege :* corymboso-approximatis.

— 203ª, *lin.* 28ª, ni si, *lege :* nisi.

— 256ª, *lin.* 27ª, harnotinis, ramis..., *lege :* ramis hornotinis.

— 266ª, *lin.* 8ª, sparse, *lege :* sparsim.

— 276ª, *lin.* 13ª, differ, *lege :* differt.

— 693ª, *lin.* 33ª, Scutella, *lege :* Scutula.

ADNOTATIONES.

Pagina 68ª. Microliciis etiam addendæ sunt duæ species prætermissæ quæ sunt :

82. MICROLICIA BALSAMIFERA Mart., Nov. gen., III, *l. c.*—*Cambessedesia balsamifera* DC., *Prod.*, III, 110.

83. MICROLICIA SINCORENSIS Mart., *l. c.* — *Cambessedessia sincorensis* DC., *l. c.*

— 109ª. *Lasiandra sarmentosa* eadem est ac *Pleroma laxum* Don.; necesse est ergo ut pristinum nomen specificum restituatur, sicque fiat : LASIANDRA LAXA.

— 140ª. Synonymiæ MELASTOMATIS REPENTIS addendum erit : *Rhexia heterantha* Bonpl., *Rhex.*, tab. 33.

— 381ª. *Microphysæ* nomen genericum jam a Schrenkio in genere quodam Rubiacearum usurpatum nobis non licet retinere; illud igitur in MICROPHYSCA mutamus.


— 443ª. *Miconia pteropoda* nostra non eadem est, ut ex impari descriptione credidimus, ac *M. pteropoda* Benth. quam nuperrime receptam facile distinctam agnovimus. Quum ergo speciei nostræ nomen sit mutandum, ut fiat MICONIA ALTERNANS poscimus.



Naudin del. Mme Poulet sc.

Pyramia salviæfolia.

N. Rémond imp.




Naudin del. Mme Pouliot sc.

I. *Dissochæta spoliata.* II. *Dissochæta cyanocarpa.*

III. *Dissochæta decipiens.* IV. *Dissochæta pallida.*

V. *Omphalopus fallax.* VI. *Driessenia axantha.*

N. Rémond imp.



C. Naudin del. *Mme Poulriot sc.*

I. *Marumia muscosa.* II. *Bredia hirsuta.*

III. *Medinilla rosea.* IV. *Medinilla javanensis.*

N. Rémond impr r. des Noyers, 65. Paris.




C. Naudin del. *Mme Pouliot sc.*

I. *Medinilla rubicunda.* II. *Medinilla loranthoides.*

III. *Diplogenea viscoidea.*

N. Rémond impr. r. des Noyers, 65. Paris.



C. Naudin del.

Mme Douliot sc.

Erpetina radicans.

N. Remond impr. r. des Noyers 63. Paris



C. Naudin del. Mme Douliot sc.

I. *Pogonanthera reflexa.* II. *Aplectrum myrtiforme.* III. *Ochthocharis paniculata.*
IV. *Homocentria vagans.* V. *Allozygia cernua.* VI. *Carionia elegans.*
VII. *Veprecella macrophylla.* VIII. *Veprecella nigrescens.*

N. Rémond impr. r. des Noyers. 65. Paris



Riocreux del. Mme Douliot sc.


I Salpinga parviflora. II Sonerila brachyandra. III Sonerila solanoides.
IV Sonerila heterostemon. V Triolena scorpioides.

N. Rémond impr. r. des Noyers, 65. Paris.



I *Diolena hygrophila*. II *Eriocnema Hilariana*. III *Sphaerogyne latifolia*.

V. Remond imp. r. des Noyers 63 Paris



Ch. Naudin del. *Mme P...*

I *Huberia ovalifolia.* II *Chitonia albicans.* III *Urodesmium huberioides.* IV *Miconiastrum Lambertianum.*
V *Sarcomeris coriacea.* VI *Bucquetia glutinosa.* VII *Svitramia pulchra.*


N. Remond imp. r. des Noyers, 65 Paris



Ch. Naudin del.

I Tococa Weddellii. II Microphysa quadrialata. III Tococa macroptera.
IV Chalybea corymbifera. V Conostegia subhirsuta. VI Myriaspora decipiens


N. Rémond imp. r. des Noyers, 65, Paris



C. Naudin del. — Mme Douliot sc.

I *Bellucia Aubletii.* II *Staphidium octonum.* III *Staphidium biserratum.*
IV *Henriettea multiflora.* V *Clidemiastrum mexicanum.*

V. Rémond imp. r. des Noyers, 63, Paris.



Ch. Naudin del. *d' Poulot*

I *Platycentrum clidemioides.* II *Meriania quintuplinervis.* III *Calyptraria eximia.*
IV *Graffenrieda ovalifolia.*

N. Rémond imp. r. des Noyers, 65 Paris.



I



II



III



IV

Ch. Naudin del. Mme Doulliot sc.

I *Blakea granatensis* II *Topobea stephanochæta.* III *Pyxidanthus latifolius.*
IV *Creochiton superba.*

N. Rémond imp. r. des Noyers, 65. Paris.